



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Phil,

648

M. Joh. Jacob Schaber.

HOBBIANISMI ANATOME

Qua innumeris Assertionibus
EXTRACTATIBUS

DE

HOMINE, CIVE. LEVIATHAN

Juxta seriem locorum Theologiæ Christianæ
Philosophi illius à Religione Christianâ Apo-
stasia demonstratur, & refutatur.

Authore

M. GISBERTO COCQUIO.

Philosophiæ Doctore, & V.D.M.



TRAJECTI ad RHENUM.

Apud FRANCISCUM HALMA, Bibl.

M. DC LXXX.

Col. 2. vers. 8.

Βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἴσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φι-
λοσοφίας καὶ κενῆς ὑπερηφάνειας.

*Reverendis , eruditione ac pietate
eximiis viris , Classis Ultrajectinae Pastoribus
vigilantissimis , Patribus ac Fratribus in Christo
platinum honorandis.*

VIRI REVERENDI,



*Portet (inquit Apostolus) hereses esse
inter vos , ut qui probati sunt , manifesti
sint , i Cor. II. 19. Loquitur de
hæresibus , qui sunt errores , funda-
mentum fidei & salutis evertentes , cum perti-
naciâ propugnati. Has dicit oportere esse inter Chri-
stianos ; non quod illas probet , aut jus fasque sit
inter Christianos existere , absit : nam & Ser-
vator ait ; *neesse esse , ut eveniant scandala ,*
Matt. 18. vers. 7. quæ tamen abominatur , væ
in illos pronuntians , à quibus fiunt ; sed respi-
cit Dominus immutabile , idemque sapientissi-
mum ; sanctissimumque Dei consilium , quo
illa in Ecclesia fieri permittit , tum in perniciem
reprobatorum , tum ad probandam fidelium adver-
sus ea in fide & pietate constantiam. Non secus
Apost. ait , *oportere hereses esse inter Christianos ;*
quod nempe ita disponat sapientissimus , idem-
que iustissimus , & sanctissimus Deus juxta
æternum atque immutabile suum decretum ;
*ut illi , qui in fide & pietate probati sunt , manifesti
sint.* Neque certè vanum fuit illud Apostoli
pronuntiatum : Quod enim à resurrectione*

* 2

D.N.

D. N. J. Christi unquam fuit seculum ; quo non Diabolus (Deo permittente) varias in Ecclesia Christi, easque perniciosissimas, per falsos Doctores, contra præcipua religionis Christianæ capita, hæreses excitavit? & quod unquam fuit omnis generis errorum atque hæresium exitialium hoc nostro fœcundius? Hujus rei causa est 1. Justissima Dei voluntas, sic Verbi sui contemptum ulciscens, & suos probantis, 2 *Theff.* 2. *vers.* 11. 1 *Cor.* 11. *v.* 19. 2. Satanæ malitia & odium veritatis, quo per falsos, quos subornat, Doctores sanam doctrinam corrumpere, vel etiam evertere fatagit, *Gal.* 5. *vers.* 20. 3. Mala infidelium conscientia, 1 *Tim.* 4. *vers.* 2. rebellio, avaritia, ambitio, 2 *Tim.* 3. *vers.* 2. *Tit.* 1. *vers.* 15, 16. 1 *Theff.* 2. *vers.* 5, 6. 2 *Petr.* 2. *v.* 3. 4. Vana etiam nonnullorum *δοξησιβόρων* Philosophia, *Col.* 2. *vers.* 8. qui scientia sua inflati omnia superbe contemnunt & rident, quæ cum imaginaria ipsorum sapientia non conveniunt. Unde non immeritò Tertullianus adversus Hermog. *Philosophos dixit Hæreticorum Patriarchas.* Et Hieron. adversus Pelag. *Pulchre, inquit, quidam Nostrorum ait; Philosophi Patriarchæ Hæreticorum Ecclesie puritatem perversa maculavere doctrina, ut nesciant illud dictum de humana fragilitate; Quid gloriatur terra & cinis?* Duplex imprimis hoc tempore in pretio est multis Philosophia, variorum periculosorum errorum in Religione atque

que hæresium scaturigo; *Cartesiana* nempe, at-
que *Hobbessiana*; ex quâ utrâque spinas suas col-
legit nuperus Author impuri *Tractat. Theol. polit.*
& alius Author Anonymus ex *Cartesii* Princi-
piis se arbitratur clarè & distinctè concipere;
Philosophiam (suam *Cartesianam* intelligit) esse *S.*
Script. interpretem; quorum Prior refutatus est
à *Regn. Mansvelt*, dum vixit in nostra *Academ.*
Philosophiæ Prof. & Joh. Melchior. V. D. M. in
Epistola ad Amicum de Tract. Theol. Polit. Poste-
rior à *clariss. Prof. Essenio, Dispp. de Conscientia part.*
6. & seqq. & *Reinero Vogelsangio in sua indignatione*
justa adversus illum librum. In eo tamen *Hobbe-*
siana hâc in parte superat *Cartesianam*; quod
præcipuè hujus conclusiones (v. gr. *Deum exi-*
stere, ratione naturali demonstrare; Mentem hu-
manam esse substantiam immaterialem, realiter à
corpore distinctam) sint orthodoxæ religioni con-
sentaneæ; principia autem multa assumat aut
falsa, aut incerta, vel etiam periculosa; quo-
rum *Gangrænarum* luculenter demonstravit *Clari-*
ss. Mastricht in sua *Gangrana Cartesianismi.* In
Hobbessianâ autem nihil sani; verum omnia,
tum principia tum conclusiones studio compara-
ta ad omnem religionem & pietatem, nedum
Christianam, funditus extirpandam, ut ambi-
gam, an doctrina *Hobbessiana* hæretica, an non
potius apostatica, & an potius apostatica à re-
ligione *Christianâ*, an vero ab omni prorsus re-
ligione dicenda sit. Quod postremum verisimile
facit,

facit, quod ubique fere vel apertè vel occultè Atheismum inculcet, eumque (quantum salvo suo honore facere potuisse visum fuit) extenuet, imo ne peccatum quidem propriè esse, seu malum culpæ docere non erubescat.

Doctrinam hujus Philosophi ita, ut dixi, comparatam esse, non est, *Reverendi Viri*, quod multis vobis persuadeam, ut qui jam dudum *Hobbesi Leviathanem* per Deputt. vestros in Synodo nostrâ Provinciali; ut *Librum perniciosum* condemnastis. Quod quam verum & justum sit vestrum judicium, ego in hâc *Hobbesianismi Anatome* innumeris illius Philosophi Assertionibus, præsertim ex illius Tractatibus *de Homine, de Cive, & Leviathan*, juxta seriem locorum Theologiæ Christianæ abundè demonstro. Quæ una est causa, quæ me movit, cur hanc *Anatomen* vobis sacram esse velim: nam cum Dei causa sit, quæ hîc agitur & defenditur adversus impium Philosophum, cui imprimis invigilare & omni studio incumbere omnium nostrum officium est, & vos per Dei gratiam gnaviter invigilare non desistitis, minimè dubitavi, hoc meum studium vobis & omnibus piis gratum & acceptum esse. Et si (quod Hobbes docet *Lev. c. 46. p. 322.*) ille operis alicujus *Author* est, cujus aut jussu aut impulsu illud aliquis fecit; ille autem *Actor* duntaxit, per cujus vires peractum est; tum ego quidem per Dei gratiam solus hujus operis *Actor* sum; vos autem, *Reverendi Viri*, operis ejusdem *Authores*,

*Auctores, ut quondam suasu & impulsu opus hoc
in lucem prodit; quod ergo vobis dari, dicari,
& dedicari, æquum esse censui. Et pro omni
officio Christiano hoc grati animi publicum vo-
lui extare monumentum. Hoc ergo, Viri Re-
verendi, quo animo à me vobis offertur munu-
sculum, eodem ut accipere dignemini, obnixè
rogo. Gratia Domini nostri Jesu Christi, &
charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum
omnibus vobis, Amen.*

*Reverentia Vestra
observantissimus*

G I S B E R T U S C O C Q .



Judicium Facultatis Theologicae.

CUM Reverendus ac Doctissimus Dom. *Gisbertus Cocquius* L. A. M. ac Philosophiæ Doctor, & Eccl. quæ in *Cockengen* Christo colligitur verbi divini Minister, *Anatomen Hobbesianismi*, laudabili zelo, ac pio labore conscripserit, jamque in Publicum mittere constitueret: Nostrum prius judicium de eo rogavit. Itaque partitis operis, quantum per occupationes licuit, eundem illustravimus, nec nisi orthodoxum & impios Hobbesii Atheismos, fortiter ac solide conficientem observavimus; proinde dignum omnino censemus, qui publico bono excludatur; Deoque supplices sumus, pio ac docto labori sua gratia adspiret affatim, qua serpenti huic impietati, radicitus extirpandæ feliciter conducat. Sic testamur *Ultrajecti* IV. Non. April. Anno Christi. M. DC. LXXX.

PETRUS van MASTRICHT, S. S. Th. D. & P. O.

MELCHIOR LEYDEKKER S. S. Th. D. & P.

Judicium Deputatorum Classis Ultrajectinae.

LECTA nobis est *Anatome Hobbesianismi*, scriptum Doctissimi, & fidelissimi in *Vicinia* nostra Pastoris D. *Gisberti Cocquii*; nihilque notatum Religionis & fidei nostræ formulis dissonum. Jam à multis annis Vir Rever. trivit, & excussit Th. *Hobbes*, Anglum, acumine ingenii, aptitudine methodi, & inventorum novitate per celebrem; at errorum in Theologia, ne alia tangamus, gravissimorum, & qui Christianæ fidei jugulum petunt, reum; ut lectorem suum, quasi pestilenti sidere afflare videatur. Cum autem noster *Symmysta* cerneret Scripta ista venenata impune per ora virum volitare, exarsit pio zelo; ne per ipsum stare, quo minus Catholica fides in tuto locaretur. Quod ea diligentia, eruditione, ingenio, ac judicio præstitit, ut opus non tantum orthodoxum, sed utilissimum judicemus, quod quidem publicam lucem videat, seduloque perlegatur.

HERM. van HALEN.

5. Cal. April. 1680.

GERARDUS HALMA.

ARNOLDUS BOSCHMAN.

PRÆFATIO.

Verã Religionẽ nulla res præclarior est, nulla magis necessaria & utilis generi humano, nulla etiã creatura rationali magis conveniens. Nam cum vera Religio in vera Dei cognitione consistat, religiosoque erga illum affectu, quo plena animi fiducia, & charitate minime simulata, illi adhaerescimus; patet, vera religione homines Deo religari, unde & Religio dicta est; in quo ergo (cum Deus solus sit summum hominis bonum & beatitudo, omnis boni & beatitudinis fons & origo) summa etiã hominum perfectio & beatitudo sita est; quod nempe communionem habeant cum Deo Patre & Filio ejus J. Christo, 1 Joh. 1. vers. 3. Divina consortes natura, 2 Petr. 1. vers. 4. Quod nec inter Philosophos gentiles ignoravit Jamblichus; Suspicasis, inquit, viam aliquam forte esse, quã ad felicitatem eatur, aliam, quam pietatem; & quæ sit aut esse possit illa? rogas; sed profecto si in Deo essentia, & prima vis omnis boni sita est; beati illi tantum, qui (quod nos fecimus) sese totos adjunxerint Deo, & consecraverint. de Myst. cap. 45. Et ante illum Plato in Phædone, in eo summum hominis bonum collocavit, quod jungatur & assimiletur Deo (quod sola religione fieri diximus) quem omne beatitudinis fastigium, metam, & finem esse dixit. Deinde homines vera religione ita Deo religati, etiã
mutuo

*mutua charitatis & benevolentia complexu in Deo colligantur inter sese. Qua ergo (Religione) etiam nihil efficacius est ad stabilendam humanam societatem in pace & defensione communi: nam charitas non quaerit, quae sua sunt; sed quae alterius sunt, I Cor. 13. 5. Unde non immeritò Cicero Religionem humanae societatis fundamentum appellat; Plato, propugnaculum potestatis, legum & honestae disciplinae vinculum; Plutarchus *εὐνομίας καὶ σωφροσύνης νομιμίας, καὶ νομοθεσίας ἡγεμονία*; atque facilius urbem ait sine solo, quam Romp. sine opinione de Deo constitui posse, aut constitutam servari. Illa reddit homines placidos, obsequiosos, amantes patriae, & juris aequi; retinentes. Et notat Arist., à subditis pluris fieri Imperantes, nullasque ab iis injurias metuere, quos Numinis reverentes esse credunt. Et cum totus mundus, & in eo omnia mundi Regna rogantur Dei providentia (nam si Deus est, mundus regitur providentia) procul dubio omni benedictionis genere ditare volet illam Civitatem, quam cernit erga se religiosam; quam autem videt impiam & irreligiosam, omnis generis calamitatibus affligere. Hinc in veteri Hebraorum lege, felix Regni status, agrorum domorumque fecunditas, de hostibus triumphus, aliaque prospera piis ostentantur; impiis è contra dira canuntur gravissima, Levit. 26. & Deut. 28. Idem agnoverunt Gentiles; sic Livius, Omnia, inquit, prospera eveniunt colentibus Deum, adversa spernentibus; Horat., Di multa neglecti dederunt Hesperiae mala luctuosa. Valerius M. Non*

Non mirum, inquit, si pro eo imperio augendo, custodiendoque pertinax indulgentia Deorum semper excubuit; quod tam scrupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinare videretur. Quocirca sublata Religione nulla Republ. diu felix esse potest: nam cives, Deum non metuentes, pessima quaque designabunt, eò magis quod in ejusmodi Civitatibus illa tam severè prohiberi aut puniri non soleant; atque una cum Religione, sublata mutua inter homines charitate & benevolentia, relabatur unusquisque ad philantropiam (sui ipsius amorem inordinatum) qua dum unusquisque tantum privatam suam commodum intendit, multas inter cives discordias oriri necesse est, & in Republ. seditiones; quibus offensum Numen tandem justam suam iram in illam effundit, & penitus evertit.

Proinde cui patria sua chara est, unicuique incumbit, pro ratione muneris sui vel in Ecclesia vel in Republ. curare, ut Religio in Civitate intemerata conservetur, adversus quoscunque, qui impiis scriptis illam aut adulterare, aut penitus ex hominum animis excutere moliantur; quò imprimis tendit conatus Hobbesii Angli, professione Philosophi, qui sub pretextu stabiliendi regiminis politici, in Tractatu de Homine, de Cive, & imprimis in monstroso libro, dicto Leviathan, ejusmodi jacit fundamenta, quibus non tantum veram & orthodoxam, sed omnem penitus Religionem è medio tollit. Theologiam Christianam statuit absque verbo Dei, quod ipse loquutus est Deus. In Epicuræ voluptate summam

mam hominis felicitatem collocat. Nullam agno-
 scit authoritatem S. Scripturæ, nisi quam mu-
 tuam accepit à Potestate civili. Nullum Artic-
 lum fidei fundamentalem, præter hunc unicum;
 Jesum esse Christum; sed hoc cum sciri nequeat
 nisi ex S. Scriptura; illam autem verbum Dei
 esse, neget homines Christianos scire posse, sed tan-
 tum credere ita esse, fide sc. implicita, authoritate
 summam habentis potestatem; patet, secundum
 Hobbesium neminem Christianum scire posse fide Di-
 vina; Jesum esse Christum, sed tantum credere
 ita esse, sc. authoritate summam habentis potesta-
 tem. Totam perimit Fidem Divinam, dum ne-
 gat, quenquam scire posse, S. Scripturam esse ver-
 bum Dei; fideique Christiana Assensum non inniti
 testimonio divino, sed humano tantum contendit;
 & Assensum fiducialem, in quo præcipuè ratio fidei
 salutaris consistit, non admittit, his formulis (Credo
 in Deum Patrem, & in Jesum Christum &c.)
 in Symbolo aut S. Scriptura contineri. Deum
 O. M. ex.istere, negat à plerisque hominibus sciri
 posse; eumque corporeum esse imaginatur. Dogma
 de S. S. Trinitate, tantum pietatis Myste-
 rium! indignè explodit. Cum Sadducæis Spiritus
 esse negat bonos & malos natura subsistentis;
 aut si sunt, illos contendit esse corporeos; neque
 diutius existere, quam eorum opera utitur Deus.
 Infra gregem brutorum Homines deprimit; eorum-
 que Animas rationales immortales esse, palam ne-
 gat. Præter leges civiles nullas agnoscit Leges
 divinas

*divinas proprie dictas ; aut naturales , aut super-
 naturaliter in S. Scriptura revelatas. Talia
 passim fundit dogmata , quibus omnia & singula
 evacuat Decalogi praecepta. Nec ullam in homine
 conscientiam agnoscit praeter leges civiles sua Civita-
 tis. Nec peccatum ullum proprie dictum , nisi con-
 tra leges civiles. Christum Mediatorem spoliat
 natura sua divina , & officii Mediatoris. Nam
 illum negat , ut Prophetam annuntiasse Verbum
 Dei , tanquam legem ; ut Sacerdotem sacrificio
 mortis suae loco nostro pro peccatis nostris satisfacisse
 justitiae Divinae. Regem quidem à Deo unctum esse
 fatetur ; sed cujus Regnum demum incipiet novissi-
 mo die ; non in caelo , sed hac in terra mundanum ,
 quale Regnum Dei fuit populus Israël tempore Mosis ,
 & postea usque ad Saulum Regem. Nullam agno-
 scit hac in terra Ecclesiam Catholicam ; nullam
 etiam particularem à regimine civili distinctam ;
 nullam Ecclesiam in caelo triumphantem aut jam
 esse , aut unquam futuram. Cum Socinianis ,
 Atheis , Libertinis &c. negat , impios post hanc vitam
 manere aeternos cruciatus. Et innumera similia ,
 quae in hac mea Hobbesianismi Anatome ad sin-
 gula religionis Christianae capita & annotavi &
 refutavi.*

*Illène ergo praeter ceteris stabilire dicetur imperia ,
 qui tam nefarie , quod eorum precipuum , si non uni-
 cum , fundamentum esse demonstravimus ; Religio-
 nem fere omnem , nedum Christianam eximere sa-
 tagit ex animis hominum ?*

Saltem

Saltem ad hominum Societatem necessariam esse obedientiam civilem, justitiam, & fidem, etiam illi fatentur, qui non multum curant religionem; sed ille nullam agnoscit obedientiam Magistratui præstandam à civibus, nisi ex pacto primo civili uniuscujusque cum unoquoque de non resistendo voluntati Imperantis; dum interim unumquemque docet jus seipsum contra vim, a legitimo Magistratu legitime illatum, defendendi retinuisse. Proinde qui capitale facinus commiserunt, unde a Rege de vita metuunt, jus habere & libertatem combinationes facere, sibi invicem succurrere, & conjunctis viribus se mutuo defendere adversus Civitatis potestatem summam. Nec cum Epicuro ullam agnoscit justitiam, nisi ex pacto enatam, quæque in sola consistit legum civilium observatione, præstandam solo pœna metu. Nullam admittit obligationem ad fidem, quam quæ est a potestate coactivâ Magistratus.

Multum ergo fallitur, aut fallit, quisquis est, qui Philosophi hujus imagini in Principio Tract. Leviatb Belg. hanc subjecit versiculum;

Dits Hobbes, die door Gods, natuers, en re-
dens Wet,
De Hooge Opper-macht aen EEN heeft vast
geset.

Quod latine sonat;

Hic est Hobbesius, qui per dictamina legum
Et Divinarum, Naturæque, ac rationis
Imperium summum validè firmavit in Uno.

Nam

Nam quæ per Dei, naturæ, & rationis legem su-
prema potestas in Uno colligatur, ubi a plerisque
Deum esse sciri non potest; & naturæ leges, seu
dictamina rationis naturalis, proprie & accurate
loquendo non sunt leges; ubi omnis fides Christiana
atque Religio tam impie pedibus quasi conculcatur;
subditis resistentia positiva permittitur adversus
Imperantis potestatem summam; & ubi nulla viget
iustitia aut fides, nisi ex metu pœne civilis?

Ita comparatam esse doctrinam Hobbesii, pateſcet
ſcire cupido ex hac mea Hobbeſianiſmi Anatome,
qua innumeris Illius Aſſertionibus, juxta ſeriem loco-
rum Theologiæ, (ut oppoſita juxta ſe poſita magis
eluceſcant) Philoſophi illius ab omni Religione, nedam
Chriſtiana Apoſtaſiam demonſtro, atque refuto, hoc or-
dine. 1. Ad ſingula Capita parvis complector veram &
orthodoxam doctrinam. 2. Aſſertiones Hobbeſii con-
trarias, ipſius fere verbis conceptas, ordine deſigno
numeris majoribus I, II, III, IV, &c. 3. Eaſdem
argumentis ex S. Scriptura, ratione naturali,
& ex ipſo Hobbeſio (nam ubique prodigioſis ſcatet an-
tilogiis) pro re nata vel fuſius vel brevius refuto.
4. Objectiones ſi qua occurrunt, breviter diluo.
5. Varias paſſim per totum Tractatum de præcipuis
materiis, imprimis ad Tract. de Cive, Exercita-
tionès ſubjungo. Ne quis præmonitus, & quodam-
modo præmunitus, ſcripta hujus Philoſophi legens,
imprudenter in præcipitium ruat; atque evigilent
Patria Patres, quibus gloria Divina Majeſt. cordi
eſt, ſubditorumque ſuorum ſalus, ut non minus hu-
jus

*jas Philosophi scripta proſcribenda atque ſupprimenda
curent edictis ſuis ; ac pie fecerunt ſcripta Sociniano-
rum : cum ſane non minus , imo plus periculi ſit ab
Hobbeſiana , quam Sociniana impietate ; & qua in
hac blaſphema occurrunt in Divinam Majeſt. non mi-
nus in illa ſint.*

*Unum reſtat, de quo monendus Lector , nempe
quod in citandis paginis ex Leviathan reſpiciam li-
brum illum , prout latine extat in Hobbeſii operibus
in quarto , editis Amſtel. apud Joh. Blauw Anno
1668.*

*Faxit Deus Opt. Max. ut hoc meum quale-
cunque ſtudium cedat in nominis ſui gloriam ,
Sacro-Sancta ſue veritatis honorem , atque Ec-
cleſia ſue adificationem , per D. N. J. Chriſtum.
Amen.*

עד פשוט ומדע

In laudem Reverendi ac doctissimi viri

D. GISBERTI COCQ.

Phil. Doct. & V. D. M. vigilantissimi ;
cum hanc suam **HOBBIANISMI**
ANATOMEN ederet.

נכון לבי בשר הזר
ארים שם איש האלוהים זה
שקנה לו חכמה בנה
בימי חייו מכל מעלת:

הלבב הנכון ולשון
למורים נתן לנו עליך
לעות דבר את התעם
וללמד דרכי יה פושעים:

שקד הוא למדת בתפנית
ערד האל גם באמת
בעבוד יושעה ארת עמו
גם נפשות השומעים למ:

ותאכלנו קנאת בית אל
לנתוש לרמוס בגורת אל
תועת יוצאות קן תח עושים
בימים אלה הרעים:

עקש

**

עקשו הכל את אריותם
כשלה האפר ברחובותם
אין האלוהים אמרו רבים
בלבבם שיש נתעבים :

הנה ספר היקר בו
קראו וראו שנגלו בו
התעתעים המשחיתים
של פלסוף איש השם בממים :

פה תראו כי הוכחו הכל
באמרים נאמנים שכל
הזפקו ממגלה הקדושה
גם מפלסופיא לא עקשה :

על כן בכל המה אמנם
מאוס ימאוס איש לא תגם
אחלי תרחק מכלע
רוח השקר שתתענו :

ברוך אל שדי שידו
השתרה לזאת לברת עבדו
יהיה נעם השם עליו
ויבנו כל מעשו עליו :

תוסף אל תרפה איש אישים
ללחום לאמונת הקדושים
כי יש שכר לפעלתך
את יה ותהלה לשמך :

אנא אלי אל יערו
אנשי חיל שהתגברו
בקול בכתב לקים האמת
על כל מתקופמים על האמת :

יהו על ציון חסדיך
יבנו חומותי ירך
הבן הקדישה באמתך
את כל עמך לכבודך :

E. à VIANEN.

V. D. M. in Overlangbroeck.

O D E.

Domasse monstra prædicatur omni paginâ
Famofus Heros Hercules :
Mortalium pestes , cruces , & aspides
Bis scx laboribus necans.
Pelagii mater , propinqua tellus Anglica ,
Ferox novarum mentium ,
Obtrusif Hobbes orbi literario ,
Opprobrium gentis suæ.
Informe monstrum , ingens , cui Rex est Deus ,
Dux , normaque omnis Symboli.
Pictura mensis Spiritus sacerrimus ,
Fabella Scholæ Trinitas.
Miscet sacris profana juris Civium
Everfor audax , impudens ,
Dei repudium , nefandam magicam
Absolvit omni crimine
Ardelio , mortalium non luci sed
Flammis vovendâ paginâ.
Hanc qui secat , correptus igne cœlitus ,
Vivamque vindex conficit ,
Cœlestis aulæ Scriba peritissimus ,
Miles inexpugnabilis ,
Jungendus astris an sit hic Anatomus ,
Tu Lector alme judica.

L. M. Q. apposuit.

A. BOSCHMAN.

V. D. M.

In doctissimum opus Reverendi & eruditissimi

VIRI

GISBERTI COCQUII

Phil. Doct. & V. D. M.

Dum variis Christi jactatur sponfa procellis,
Innumerofq; hostes intus & extus habet;
Dum nova conantur procudere dogmata falli
Doctores, & dum tollere vera student:
Otia amant alii; sed tu, doctissime Cocqui,
Non suis ingenii dona latere tui.
Impia fastidis, & veri inflammatus amore
Sincero, & quæ sunt dogmata vera probas.
Detegis & doctè monstras, quibus artibus *Hobbes*
Sub specie veri fingere falsa studet.
Tu pietatis amans, Christum defendis, & ejus
Sacro sustentus Flamine victor eris.
Sic age, sic Christi causam dum fortiter urges,
Non deerunt cœpto præmia digna tuo.

In debita observantia signum posuit

HUGO FITTZ.

S. S. Theol. Stud.

I N D E X

Locorum & Caputum.

Locus I.

De Theologia & Religione.

- Cap. 1. De Theologia & Verbo Dei.
2. De Religione.

Locus II.

3. De summo bono, atque ultimo fine,
sive de hominis Felicitate summâ.

Locus III.

De S. Scriptura.

4. De S. Scripturæ Authoritate.
5. Amanuensibus.
6. Interpretatione.
7. Specimina quædam interpretationis
Hobbefianæ.

Locus IV.

8. De Articulis fidei fundamentalibus.

Locus V.

9. De Fide.
10. Confessione.
11. Martyrio.

Lo-

LOCUS VI.

De Deo Opt. Max.

12. De Dei Existentia, Essentia, & Attributis.
13. De S. S. Trinitate.

LOCUS VII.

14. De Creatione mundi in genere.

LOCUS VIII.

15. De Angelis.

LOCUS IX.

16. De Homine, & anima humana.
17. De statu hominum extra societatem civilem.

LOCUS X.

18. De Providentia Dei circa actiones humanas.
19. De Regno & fœdere Dei.

LOCUS XI.

De Lege Divina.

20. De lege in genere, & legum naturalium principiis.
21. De præceptis Decalogi in genere.
22. De singulis Præceptis in specie.
23. De Conscientia,

Le-

LOCUS XI I.

24. De Peccato.
25. De Peccati poenâ.

LOCUS XII I.

26. De Gratia, & Libero arbitrio.

LOCUS XIII.

27. De persona I. Christi.
28. De officiis Christi Mediatoris.

LOCUS XIV.

De beneficiis Christi.

29. De Vocatione.
30. De Justificatione.
31. De Pœnitentia, & bonis operibus.

LOCUS XV I.

De Ecclesiâ.

32. De Ecclesiæ natura & divisione.
33. De Ministerio.
34. De Hostibus Ecclesiæ.
35. De Disciplina Ecclesiæ.
36. De Sacramentis Ecclesiæ.

LOCUS XVI I.

37. De Magistratu & lege civili.

LOCUS XVII I.

38. De poenis & pœniis post hanc vitam.

Hobbesianismi delineatio Poëtica.

HOBBSIANISMI ANATOMIE.

LOCUS PRIMUS

DE

Theologiâ & Religione.

CAPUT I.

De Theologiâ & Verbo Dei.



Theologia Christiana, ita dicta ἀπὸ λόγῳ
 Θεῶ, significat verbum Dei, non tantum,
 quod de Deo dictum est, sed & quod ipse
 loquutus est Deus. *Jes. 51. 4. Doctrina à
 me prodibit. Joh. 9. 29. Nos scimus, Deum
 esse loquutum Mosi. Gal. 1. 11, 12. Euangelium non est
 secundum hominem; neque enim ab homine accepi, neque
 edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi. Nam
 Theologiæ Christianæ Principium est; ἄυτοῦ ἔφα, sic ait Dominus; uti passim in Sacris loquuntur acti à
 Spir. S. Prophetæ, & Apostoli, 2 Petr. 1. 21. Qua-
 re non minus verbum, quod ipse loquutus est Deus,
 sunt hæ & similes formulæ, à Sanctis Dei Viris usur-
 patæ, quam quod Deum expressè loquutum esse pro-
 nuntiarunt: nisi enim hæ & similes formulæ essent
 verbum, quod ipse loquutus est Deus, tum fides, quâ
 recipiuntur illa verba, quæ Deum immediatè loquu-
 tum*

A

tum esse testantur Prophetæ, non esset divina & infallibilis, testimonio nitens Divino; sed humana, testimonio tantum nitens humano. Hobbes contra

I. Λόγον Θεῶν, seu Theologiam Christianam, significare contendit, non verbum Dei; quod loquutus est Deus; sed quod de Deo, & Regno ejus, id est, doctrinam Christianam dictum est: quia tota quidem S: Scriptura verbum Dei est, hoc est, continet Doctrinam Christianam; sed non, quatenus verbum Dei ponitur pro eo, quod loquutus est Deus. Leviat. c. 36. p. 194, 195. de Cive c. 16. a. 11.

Quasi doctrina Christiana tota S: Scriptura contenta, non esset verbum Dei, quod ipse Deus loquutus est. Sed. 1. Negari non potest, totam S: Scripturam esse verbum, quod Prophetæ & Apostoli Θεωπνευστος, acti à Spiritu S. loquuti sunt & scripserunt: nam πάντα γραφή Θεόπνευστος, 2 Tim. 3. 16. Nec libitu hominis allata est olim Prophetia; sed acti à Sp. S. loquuti sunt sancti Dei homines. Et 2. de Doctrinâ, S: Scripturâ contentâ, dicitur quod à Deo prodiit; quam qui norunt, sunt docti à Deo; eam Deum loquutum esse; eamque edoctos esse Viros sanctos Dei, non ab homine, sed per revelationem Dei; Locis statim cit: Qui ergo aut negari aut dubitari potest, totam S: Scripturam esse verbum, quod ipse Deus loquutus est. 3. Præterea omne verbum de Deo, & Regno ejus, non à Deo, sed solis hominibus profectum, est errori obnoxium, fallere & falli potest: nam animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei. 1 Cor. 2. 15. Et solus Deus est verax, mentiri nescius, omnis autem homo mendax. Rom. 3. 4. Sed verbum de Deo & Regno ejus, in totâ S: Scripturâ revelatum, non est tale, sed omnino indubium, certum, & infallibile. Ἐχομεν βεβαιότερον λόγον τῆς προφητικῶν. 2 Petr. 1. 19. Nam omnis caro est ut gramen, & omnis gloria hominis ut flos graminis; εὐχαρισ

exaruit gramen, & flos ejus decidit. Sed Dei verbum manet in eternum: hoc autem est verbum illud, quod Evangelizatum est vobis. 1. Petr. 1. 24, 25.

Obj. 1. Act. 3. 46. [*Vobis oportebat primum loqui verbum Dei;*] id, inquit, quod appellatur hic verbum Dei, doctrina erat Christiana. Resp: Sed à Deo revelata.

Obj. 2. Act. 5. 20. [*Verba hujus vitæ,*] significant doctrinam Evangelicam. Act. 15. 7. Verbum Dei appellatur [*verbum Evangelii*] quia continet doctrinam de Regno Christi. Idem verbum, Rom. 10. 8, 9. vocatur [*Verbum fidei,*] id est, ut ibi explicatur, doctrina de Christo venturo, & à mortuis suscitato. Et Matt. 13. 19. appellatur idem verbum, [*verbum Regni,*] id est doctrina, quam docuit Deus circa regnum Dei. Resp. Non quæritur hîc, quid significet verbum vitæ, Evangelii, fidei, Regni; sed λόγος Θεῶν, verbum Dei; an non verbum quod ipse Deus loquutus est? quare illa citata hîc aliena sunt.

Obj. 3. Idem verbum (Act. 12. v. 24.) crevisse & multiplicatum esse dicitur. Id quod de doctrinâ Evangelii intelligere, facile est; sed de voce Dei difficillimum. Resp: Verbum Dei ibi notat doctrinam Evangelii, à Deo revelatam; de illâ, quâ tali, intelligere, quod refert S: Lucas, quæ difficultas?

Obj. 4. Etiam ubi S. Paulus loquitur de doctrinâ Dæmonum, non intelligit id, quod dictum est de (à legendum) Dæmone aliquo, sed Dæmonologiam Gentilium. Resp. Doctrinas Dæmonum appellat Apost: Prohibere matrimonium, & vesci cibis, quos Deus condidit, quæ non sunt Doctrinæ de Dæmonibus, sed suggestionem Dæmonum introductæ. Ergo per doctrinas Dæmonum, Apostolus intelligit doctrinas, à Dæmonibus profectas. Πρωτον Λεῶν; Dæmones non esse vera ὄντισματα, seu entia realia, sed Phantasmata

Philosophorum; de quo infra suo loco, cap. 15. de *Angelis*, acturi sumus.

II. Negat etiam, has & similes à Prophetis, & Apostolis usurpatas formulas (*hæc dicit Dominus*) verba esse Dei, verum tantum Prophetarum & Apostolorum, illas usurpantium.

Verba hæc, inquit (*Ego sum Dominus, Deus tuus &c. usque ad finem Decalogi*) *verba sunt ipsius Dei, Mosen* (totum populum, dicere debuit, aut per Mosen totum populum) *alloquentis; tamen præfatio illa* (*loquutus est Dominus omnia verba hæc*) *sunt verba ejus, qui historiam conscripserat. Item* (*hæc dicit Dominus*) *non est Domini vox, sed Præconis, sive Prophetæ. Ibid. loc. citatis ad Assert. præced.*

Unde concludit; *λόγον θεῶν* (Verbum Dei) seu totam Sacram Scripturam non esse Verbum Dei, quod ipse Deus loquutus est.

Eodem collimant, quæ tradit (de Cive cap. 15. a. 3.) de triplici Verbo Dei, nempe; *naturali*; *Prophético*, & *sensibili*: nam verba illa quæ Mosis, cæterique Prophetæ testantur, Deum loquutum esse, sunt Illi respectu nostri *Verbum Dei Propheticum*; hæc autem verba Mosis aliorumque Prophetarum (*Hæc dicit Dominus*) non sunt *Verbum Dei naturale*; neque etiam *sensibile*, sive immediatè à Deo ad nos factum, ut per se palam est; quocirca si neque sunt Verbum Dei eo modo, quo Verbum Dei sunt illa verba, quæ Mosis alii-que Prophetæ Deum loquutum esse testantur, hoc est, non sunt *Verbum Dei Propheticum*; tum nullo modo hæc verba Mosis, aliorumque Prophetarum (*hæc dicit Dominus*) sunt Verbum Dei.

Verum has, similesque formulas, à Prophetis & Apostolis usurpatas, esse Verbum Dei, quod ipse
Deus

Deus in Prophetis & Apostolis , & per eos loquutus est , manifestum est. 1. 2 Tim. 3: 16. *πρόσωπον θεού πνεύματος* ; ergo etiam hæc S. Scripturæ pars ; sic dicit Dominus. 2. Non minus hæc verba Prophetarum (sic dicit Dominus) quam alia , quæ tanquam Verba ipsius Dei & scripserunt , & loquuti sunt , Deus indidit ori Prophetarum. Ecce (inquit Deus Jeremiæ) *in dabo verba mea ori tuo.* Jer. 1: 8. & Spiritus Sanctus in Prophetis & per eos loquutus est. 2 Sam. 23: 2. *Spiritus Jehovæ* (inquit David) *loquutus est in me , & sermo ejus per linguam meam.* & Act. 28: 25, dicitur *Spiritus Sanctus loquutus fuisse per Jesaiam Prophetam ;* & 1 Pet. 1: 21. *Spiritus Sanctus habitans in Prophetis testatus esse* &c. Ergo non minus , quam alia , sunt verba ipsius Dei , quæ ipse Deus credi debet , per Prophetas , & in Prophetis loquutus fuisse. 3. His adde 2 Petr. 1: 21. *Non enim hominis voluntate allata est olim Prophetia ; sed acti à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines.* Unde aut negandum ; verba hæc (sic dicit Dominus) Prophetas loquutos fuisse , actos à Spiritu Sancto , quo actum esset de Divinâ S. Scripturæ authoritate ; aut si acti à Spiritu Sancto verba illa loquuti sunt , tum illa ipsa Spiritus Sanctus (hoc est Deus) per illos loquutus est. •

III. Imprimis animadversione dignum est , quod tradit Lev. c. 7. p. 34. nempe , *eandem* (quoad fidem) *esse rationem historiarum , à Prophetâ nomine Dei conscriptarum ; & cæterarum : verbi gr. à Livio , Curtio conscriptarum ; sic si Livio non credamus , loquutam esse bovem , non Deo nos , sed Livio diffidere.*

Nempe & simili modo ; si Mosi non credamus , A-
finam Bileami esse loquutam , non Deo nos , sed Mosi
diffidere.

Qui credunt id, quod narratur Dei nomine à Prophetâ, fidem Prophetæ habere, illumque honorare, illi credere, & fidere dicendos esse, sive verus sit, sive falsus Prophetâ. Si non credunt id, quod narratur Dei nomine à vero Prophetâ Dei, non putare se, Deum illis merito succensurum esse, aut alium quemlibet, præter historiæ conscriptorem. Ibid.

Quasi non Diviniore, ac fide digniore Spiritu scripserunt S: Prophetæ historias suas, quam suas scripserunt Livius, Curtius, &c. Athei, uti Gentiles appellat Apost: Eph. 2. 12. *Quam profanè! Nos Scimus, Deum esse loquutum Mosi. Joh. 9. 29. In scriptis Prophetarum testatur nobis Spiritus S: Heb. 10. 15. Neque Prophetæ, neque Apostoli fuerunt, qui loquuti sunt, sed Spiritus Patris Cœlestis, is est, qui loquutus est in illis. Matth. 10. 20. Vide etiam 2 Petr. 1. 21. Passim in S: Script: dicuntur Deo credere, qui credunt verbo, à Prophetis & Apostolis sibi annuntiato. Ita Ninivitæ, credentes Jonæ Prophetæ, dicuntur Deo credidisse. Jon. 3. 5. Similiter credentes Evangelio sibi prædicato, Domino credidisse. Act. 5. 14. & 9. 4. & 16. 34. & 18. 18. Tit. 3. 8. Rom. 10. 14. Atque eo nomine laudat Apost: fideles Thessalonicenses, quod acceptum de Deo sermonem; quem audiverant ab ipso, abisque S: Apostolis, exceperint non ut sermonem hominum, sed (sicut est verè) ut Dei sermonem. Et contrà ipsi Deo non credere, qui Prophetarum & Apostolorum verbo non credunt. Luc. 10. 16. *Qui vos audit (inquit Christus Apostolis) me audit, & qui vos rejicit, me rejicit: & qui me rejicit, rejicit eum, qui misit me. Qui rejicit hæc (inquit S: Paulus) non filium hominis rejicit: sed Deum, qui dedit in vobis Spiritum suum sanctum. 1 Thess. 4. 8. Falsum ergo, non illos Deo, sed Prophetæ tantum fidem habere, illumque honorare, qui credunt id, quod narratur**

ratur

ratur Dei nomine à Prophetâ vero; neque illos Deo, sed Prophetæ tantùm diffidere, qui non credunt id, quod narratur Dei nomine à Prophetâ vero. Et maledictus pronuntiatur, qui homini fidit. Jer. 17: 5. Ergo credentes id, quod narratur Dei nomine à Prophetâ vero, illi quidem Prophetæ narranti credunt, sed soli Deo fidunt. Deum autem non meritò succensere illis, qui non credunt id, quod narratur Dei nomine à Prophetâ vero, quam vanum & profanum sit dicere, liquet. 2 Chron. 36: 16. *Subsannabant Nuntios Dei, & spernentes verba ejus, dicebant, se circumduci per Prophetas ejus: Donec accensus est æstus Jehovæ in populum suum, adeo ut non esset remedium.* 2 Reg. 17: v. 13, 14. Jes. 65: 12, &c. & 66: 4. Jer. 7: 13. & 13: 10. & 44: 4, 5, 6, &c. Prov. 1: 24, &c. Luc. 10: 16. & 24: 25. 2 Theff. 1: 8.

Ἡρώτων Ἰωδ: *Scripturam S. atque hæc verba Prophetarum, & Apostolorum (sic dicit Dominus) non esse Verbum Dei, quod ipse Deus loquutus est. Vide Assert: 1. & 2. Item Homines Christianos scire non posse, S. Scripturam esse Verbum Dei. Vide Assert: 1. Cap. 4.*

Quibus admissis, quis non videt, totam collabi S. Scripturæ autoritatem divinam, credique eam yde non divinâ, sed humanâ tantum?

EXERCITATIO

Ad Art. 3. cap. 15. de Cive.

De triplici Verbo Dei; ratione, revelatione, & Prophetiâ.

Hujus Hobbesianæ Verbi Divini distinctionis Assert. 2. mentionem fecimus, atque mysterium, quod ea occultatur, paucis aperuimus. Nunc illam Verbi Divini distinctionem penitius introspeciamus.

Docet ergo Hobbes art. cit. *Triplex esse Verbum Dei. 1. Rationale. 2. Sensibile. 3. Propheticum; illud per tacita recte rationis dictamina; istud per revelationem immediatam, quam, ait, intelligi fieri vel per vocem supernaturalem, vel per visionem, vel somnium, vel inspirationem, seu aflatum Divinum; hoc per vocem alicujus hominis, quem Deus per vera miracula edita, ut fide dignum, ceteris commendavit, hoc est, Prophetam declarari. Atque his respondere tres modos, quibus Verbum Dei audire dicimur. 1. Ratiocinationem rectam. 2. Sensum. 3. Fidem.*

In margine autem triplex hoc Verbum Dei esse dicit. *1. Rationem. 2. Revelationem. 3. Prophetiam. Quasi quod rectè ratiocinatione cognoscimus, dicendum non esset, à Deo revelatum esse, contra Rom. 1: 19. ubi Apost. quod ratione naturali de Deo scimus, dicit à Deo nobis revelatum esse. Aut etiam quod cognoscimus ex Prophetiâ, contra 1 Cor. 2: 10. ubi idem Apost. quæ ex Prophetiâ de mysteriis Euangelii cognoscunt fideles, dicit illa Deum iis revelasse per suum Spiritum. Aut revelatio, immediatè Prophetis facta, non esset dicenda prophetia.*

Porro *revelationem illam, quam Verbum Dei sensibile appellat, dicit, ad paucos factam esse; neque Deum hoc modo loquutum esse, nisi viritim & diversis diversa; neque ullas leges Regni hoc modo populo ulli promulgatas fuisse.*

Resp. 1. Ratio, seu *verbum rationale*, absolutè Verbum Dei non est, aut dici debet: quia ratiocinatio humana sæpe falsa est, quod de Verbo Dei cogitare nefas; sed duntaxat ex hypothesi, nempe si rectè iudicet & ratiocinetur. 2. Alibi per Spiritum sanctum (2 Petr. 1: 21. *Spiritu sancto inspirati &c.*) intelligit *vocem Dei, in somnio, vel visione supernaturali.* Et per
in spi-

inspirationem Divinam (de qua 2 Tim. 3:16.) *Spiritus*, five *animos Prophetarum*, quos per gratiam suam disposuit Deus, ut scriberent, quæ utilia futura essent ad doctrinam &c. Leviath. cap. 34. pag. 198. Hæc quorsum, si revera præter oraculum, somnium, & visionem supernaturalem agnoscat revelationem immediatam per inspirationem, seu afflatum Divinum? quam etiam acriter impugnat illius Discipulus *Tract. Theol. Pol. Cap. 1. & 2.* contendens, omnem revelationem Propheticam esse imaginariam. 3. Omnes Prophetas à Deo, ut fide dignos, aliis commendatos fuisse veris miraculis, dicit non probat: nam multi veri Prophetæ fuerunt, de quibus non legimus, ulla fecisse miracula; ut Abraham, qui Prophetæ appellatur. *Gen. 20.* David, Salomon, Jeremias, Ezechiel, Amos, Joël, Johannes Baptista, aliique. Neque omnes, quæ miraculis claruerunt, veri Prophetæ fuerunt, ut liquet *Matt. 7. 22, 23. & cap. 24. v. 24.* item *Deuter. cap. 13. vers. 1, 2.* 2 *Thess. cap 2. vers. 9.* Neque omnes in Ecclesiâ primitivâ tempore Apostolorum & ultra dono miraculorum præditi. 4. Neque benè Verbum Dei, quod per revelationem immediatam innotescit, dicitur *Verbum sensibile*; quasi omne illud sensuale tantum, five imaginarium esset, nullum intellectuale per immediatum Spiritus sancti illapsum in intellectum. Neque modus, quo illud percipitur, *sensus* rectè dicitur; solum autem fidem esse, quâ auditur verbum, quod appellat propheticum: Nam 1. Non minus testimonio dicentis nititur assensus, qui præbetur revelationi immediatæ, quam quæ mediatè fit per Prophetas. 2. Nusquam in Sacris Verbum ullum Dei *sensibile* appellatur; aut assensus, qui adhibetur revelationi immediatæ, *sensus*;

fides quidem; ut Gen. 15: 1, 6. *Sermo* Jehovah fuit ad Abrahamum per visionem, & credidit Jehovah: vide Rom. 4: 17, 21. 5. Falsissimum etiam, quod de verbosensibili (ut loquitur) seu revelatione immediatâ dicitur; nempe, Deum per illam hominibus non esse loquentum, nisi viritim, & diversis diversa; neque ullas leges Regni hoc modo populo ulli promulgatas fuisse. Nam. 1. Simul hoc modo alloquutus est Deus Moſen & Aäronem. Exod. 6: 12. Aäronem & Mirjam. Num. 12: 4. Non ergo, non nisi viritim. 2. Prophetis & Apostolis, quamvis viritim & diversis, hoc modo voluntatem suam revelavit Deus, non tamen diversa, sed unum idemque, ut liquet ex collatione eorum, quæ Sp.S. instinctu scripta reliquerunt. Unum etiam idemque fuit (sc. everſio Sodomæ) quam Deus diversis (Abrahamo & Lotho) revelavit. Gen. 18. & 19. Et quod Deus revelaverat Cornelio, & Petro. Act. 10. 3. Falsum etiam, nullas leges Regni populo ulli hoc modo promulgatas esse; five Deum per revelationem immediatam nunquam alloquutum fuisse ullum populum: Nam. 1. In familiis Patriarcharum, quæ Regnorum instar erant, Deus alloquutus fuit hoc pacto non modo Patriarchas ipsos, familiarum suarum Principes, sed & filios ipsis subjectos, ut in familiâ Adami Cainum. Gen. 4. 2. Etiam populum Israëliticum immediatâ revelatione, seu verbo sensibili, alloquutus fuit Deus in Horeb, ubi Israëlitis audientibus, palam hoc modo leges suas promulgavit. Exod. 20: 19. Deut. 5: 24. Heb. 12: 19. Easque tabulis lapideis propriâ quasi manu exaratas tradidit. Aliàs nonnunquam. Jud. 10: 10, 11. Et 20: 23. Imprimis Servator, verus Deus, viam salutis seu leges Regni sui hoc modo populo Judaico annuntiavit, cum in humanâ suâ naturâ hîc versaretur in terris. Atque etiamnum mysteria Regni sui, electis omnibus revelat eo modo

modo, quo non revelat omnibus, quibus per Evangelium prædicantur; nempe internâ Sp. S. illuminatione, seu afflatu quodam Divino. *Jer.* 31: 35. *Matt.* 11: 25. & 13: 11. & 16: 17. *1 Cor.* 2: 10. *Joh.* 6: 45. *Eph.* 1: 8. *Col.* 1: 26. *1 Joh.* 2: 27. Neque dubium est, quin Deus eodem modo verbum suum Beatis sit revelaturus in futuro seculo.

CAPUT II.

De Religione.

Cum jam quæ de Theologiâ (*Θεὸς λόγος*, seu Verbo Dei) aliena à Religione Christianâ docet Hobbeseus, notavimus; proximum est, ut quid de Religione, Theologiæ objecto secundario (nam de primario, quod est Deus, suo loco) sentiat investigemus. Ubi

I. Religionis aliquod semen naturale vult videri agnoscere; illud autem in quatuor rebus; sc. 1. *Metu Spirituum.* 2. *Ignorantiâ causarum secundarum.* 3. *Cultu eorum, quæ timent homines.* 4. *Et sumptione fortuitorum pro prognosticis*, docet consistere. L. c. 12. pag. 57.

Sed. 1. Cultus eorum, quæ timent homines, est ipsa religio vel superstitio, non religionis semen. Relinquitur ergo, in tribus consistere; nempe 1. *Metu spirituum.* 2. *Ignorantiâ causarum secundarum.* 3. *Sumptione fortuitorum pro prognosticis.* Sed de Spiritibus ipse tradit; quod *nihil aliud sunt, quam phantasmata, quæ nec realia sunt, nec diutius permanent, quam somnium & visio, in quâ apparent; quæ phantasmata, seu apparitiones substantiæ non sunt, sed accidentia organorum sentiendi.* L. c. 34. p. 186. Et sumptio fortuitorum pro prognosticis vana est. Si er-

go in his consistit religionis semen naturale; tum religionis semen naturale consistit in ignorantia, & stultitia hominum. Quod non est Religionis semen naturale agnoscere, sed ridere.

Sed 2. Dari Religionis semen naturale partim insitum; notitiam scilicet Dei naturalem ingenitam, juxta Rom. 1: 19. *Quod de Deo cognosci potest, manifestum est intra ipsos (homines): Deus enim eis manifestum fecit.* Vide etiam Rom. 2. vers. 15. & Actor. cap. 28. vers. 4. partim acquisitum; notitiam scilicet Dei naturalem acquisitam ex contemplatione universi: *Celi enim enarrant gloriam Dei, Psalm. 19: 1. Et invisibilia ipsius jam inde à creatione mundi exiis, quae fecit animadversa pervidentur, aeterna videlicet ejus tum potentia, tum Divinitas, ad hoc ut sint inexcusabiles; propterea quod cum Deum cognoverint, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt.* Rom. 1. vers. 20. Vide etiam Actor. cap. 14. vers. 15, 16, 17. & cap. 17. v. 26, 27, 28. contra Socinianos ab Orthodoxis jam dudum demonstratum est. Vide Hoornb. Soc. conf. tom. I. l. I. cap. 7.

II. Porro omnem religionem ait, ab initio formatam, fundatam esse in fide, quam habet uni alicui personae multitudo hominum. L. c. 12. p. 59, 60. Et paulo ante;

Fundatores Civitatum, & Legislatores Gentium primos, quibus populum in obedientia continere consilium erat, sedulo providisse, ut praecepta religionis non ab ipsorum ingenio; sed ab alicujus Dei, vel Dæmonis dictamine, populus profecta esse crederet.

Per has, similesque institutiones ad finem suum, nempe pacem Civitatis, hoc saltem obtinuisse, ut populus calamitates suas errori alicui, vel neglectui in agendis sacris, vel propriis legum transgressionibus tribuens, minus contra Hectores suos incitarentur.

Hæc

Hæc quid differunt ab impio Machiavelli commento? nempe, *paucorum vafricie excogitatam Religionem, ad continendum in officio populum, sive inventum esse Politicorum.*

Sed 1. Si semen religionis naturale inest hominibus, ut *Aff. præc.* vult videri agnoscere; qui religionem omnem ab initio formatam fundari dicit in illâ vanâ hominum fide potius, quam in semine illo qualicumque religionis naturali? 2. Omnis religio ab initio formata, fundatur partim in revelatione Divinâ supernaturali, partim in notitiâ Dei naturali innatâ, & acquisitâ: nam illam hominum de se fidem, & per eam, populi obedientiam nunquam hæc in re sibi conciliare potuissent illi Legislatores, nisi jam prius ex naturæ dictamine, vel etiam supernaturali revelatione, constanti de Deo persuasionem imbutæ fuissent hominum mentes; ex quo velut semine omnem emergere ad religionem propensionem, ad *Affert. præc.* demonstravimus.

Hujus & præcedentis assertionis *ἄποδῶν ἰεὸς*, *plerosque homines, Deum existere, scire non posse.* Civ. cap. 14. a. 19.

III. *In vitâ præsentis homines caducos, & crassos esse, ait, neque pati religionem ullam, præter eam, quam statuit Potestas temporalis.*

Neque doctrinam ullam à Cive doceri jure posse, quam Civitas temporalis doceri prohibet. L. c. 39. p. 219.

Resp. 1. Non mirum, homines caducos & crassos appellari ab eo, qui negat illos animâ rationali atque immortalis brutis præstare. De quo infra c. 16. 2. Neque existimes, vitæ præsentis cum meminit, illum putare, vitam aliam, post hanc, futuram, in quâ homines caduco hoc, atque crasso corpore soluti, status & religionis sublimioris capaces futuri sint: præter corpus enim nihil aliud esse homines, docet, veluti pecora. Ait

Ait quidem, *in cælo corpora hominum, post resurrectionem, æterna & spiritualia fore.* Ib. p. 218. Sed oportet mendacem esse memorem: nam aliàs multis docet, *locum, in quo vitâ æternâ fruituri sunt fideles, non esse cælum, sed terram.* Lev. c. 38. p. 209. &c. App. c. 3. p. 363. 3. Etiam illos, qui potestate temporali gaudent, homines esse arbitror; caducos ergo & crassos etiam in vitâ præsentē, uti alii homines; *Diis quidem nuncupantur, & filii Excelsi; at certè, ut quilibet homo morituri sunt, etiam sicut unus aliorum Principum casuri.* Pl. 62: 6, 7. Quam igitur illi patiuntur religionem? 4. Ipse etiam Hobbes, dum vixit, homo fuit; caducus ergo & crassus etiam, in vitâ præsentē; ille tamen religionem passus fuit aliam, præter eam, quam unquam statuit potestas temporalis in Angliâ: nam nunquam statuit illam religionem, quam ille in suis scriptis profitetur. 5. Religio vera V. T. statuta fuit ab ipso Deo, & primùm revelata Adamo in Paradiso, & deinceps aliis. In N. T. religio Christiana statuta fuit à D. N. Jesu Christo. Præter eam aliam statuere non est in potestate ullius hominis. *Etiamsi nos (Apostoli) aut Angelus è cælo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto.* Gal. 1: 8. 6. Christus suo tempore illam doctrinam docuit inter Judæos, quam ibi potestas temporalis doceri prohibuerat; idem suo tempore, suisque locis fecerunt Prophetæ, Apostoli. Quis, nisi Atheus, negabit hoc jure ab ipsis factum?

LOCUS SECUNDUS.

CAPUT III.

De summo bono, atque ultimo fine; sive hominis felicitate summâ.

Summam hominis felicitatem verissimè nostra Catechesis, & S. Script. convenienter (quæst. 1.) consistere docet; in tranquillitate animi, ortâ ex communionem nostri cum Deo in Christo per fidem. I Joh. 1: 3, 4. *Quod vidimus & audivimus, id renunciamus vobis, ut vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra fit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Quæ summa hominis felicitas, in futurâ vitâ consummanda, in hac præsentem inchoata à fidelibus possidetur. Ille autem statuit;

L. Finem ultimum, & summum bonum, sive felicitatem summam in præsentem vitâ nec haberi, nec reperiri posse L. c. 11. p. 49, 50. de Hom. c. 11. a. 15.

Resp. 1. In S. Scripturâ Beati pronuntiantur, quibus Deus non imputat iniquitatem. Psal. 32: 2. Quibus Jehovah Deus est. Ps. 33: 12. Qui sunt integri viâ, qui ambulant in lege Jehovah. Ps. 119: 1. Pauperes spiritu &c. Matth. 5. Qui habent partem in resurrectione primâ. Apoc. 20: 6. Qui confidunt in Deo. Psal. 2: 12. Sed hæc habentur, & reperiuntur in præsentem vitâ in omnibus electis, piis & fidelibus. 2. Finis ultimus, & summum hominis bonum, sive felicitas summa, est vita æterna; sed vitam æternam inchoativè in præsentem vitâ habent omnes, qui credunt verè in J. Christum. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Joh. 3: 36. Et qui cognoscunt Deum, & quem misit J. Chri-

J. Christum : nam *hæc est vita æterna, ut te* (Deum Patrem) *cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti ꝑ. Christum.* Joh. 17: 3. Denique 3. Qui *justificati ex fide pacem habent apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum; & gloriantur sub spe gloriæ Dei, illi fruuntur summo bono, & verè beati sunt; sed in vitâ præfente verè fideles justificati ex fide pacem habent apud Deum &c.* Rom. 5: 1.

Obj. *Si finis sit ultimus, nihil desideratur, nihil appetitur; unde sequitur, inquit, nihil ab eo tempore ipsi esse bonum, sed ne sentire quidem hominem: omnis enim sensio cum aliquo appetitu, vel fugâ conjuncta est; & non sentire, est non vivere. Neque is, cujus cupiditates ad finem pervenerunt, vivere potest magis, quam is, cujus sensus & memoria perierunt.*

Resp. 1. Hoc argumentum, si quantivis pretii esset inferret, finem ultimum sive summum bonum ne obtineri quidem posse in vitâ futurâ. 2. Ipse Deus gaudet in æternum sine ultimo & summo bono, imo est ipse sibi finis ultimus, ipsum sibi summum bonum. An igitur, quia Deus nihil desiderat, nihil appetit, ideo nihil ipsi bonum est, imo ne sentit quidem Deus, nec vivit etiam? Vah Atheismum! 3. Falsum etiam, omnem sensationem (intelligimus hîc etiam sensationem intellectualem) cum aliquo appetitu vel fugâ conjunctam esse: nam in amore complacentiæ in bono, quo quis se frui sentit, sive intelligit, neque appetitus propriè est, vel fuga. 4. In voce *finis* Homonymia est: nam vel notat *terminum*, sive *extremum* alicujus rei; uti dicimus, *mortem esse finem vitæ*; vel *causam finalem*, quo sensu dicimus, *ultimum finem esse summum bonum*. Negamus ergo, eum, cujus cupiditates ad finem, hoc est, ad scopum sive finem, quem intendit, pervenerunt, vivere non posse. 5. Summum bonum; sive felicitas hominis vel *objectiva* est, vel *forma-*

formalis; felicitas hominis *objectiva* est ipse Deus; *formalis*, summi illius boni fruitio, quæ fit intellectu contemplatione, voluntate dilectione, sive amore. Fruitio hæc summi boni augeri potest, & minui, & ratione durationis successive extendi in æternum. Ubi ergo finis ille ultimus, sive summum bonum obtinetur, illud ratione illius fruitionis, ab eo tempore maxime homini bonum est, & sentitur; & ratione incrementi majoris atque ulterioris durationis, amplius adhuc desiderari, & appeti potest. 6. Denique ipse dicit; *ipsam cupiti fruitionem, tunc quando fruimur, appetitum esse.* Qui ergo dicit, *finis ultimus si obtinetur, tum nihil desiderari, nihil appeti?* H: L. cit.

II. *Vitæ præsentis felicitatem consistere in tranquillitate, sive requie animi, apertè negat.* Leviath. cap. II. p. 49, 50.

Cum Epicuræis illam in voluptate corporeâ, atque immunitate à doloribus; sive conservatione corporis & membrorum, docet consistere. C. c. I. a 7.

Nam homines animâ immortalis carere. App. c. I. p. 334.

Caducos & crassos esse in vitâ præsentè. L. c. 39. p. 219.

Voluntatis objectum esse, quod videtur unicuique bonum sibi; quicquid autem videtur bonum, jucundum esse, pertinereque ad organa, vel ad animum. Animi voluptatem omnem, vel gloriam esse (sive bene opinari de seipso) vel ad gloriam ultimò referri. Cætera sensualia esse, vel ad sensuale conducentia, quæ omnia commodorum nomine comprehendi. C. c. I. a. 2. Nullum ergo hominis bonum agnoscit præter jucundum, sive voluptatem; quam vel gloriam esse dicit, vel sensualia esse, atque commodorum nomine comprehendi, illam ad animum, hæc ad organa pertinere. Sed illam inter animum & organa hominis; item inter sensualia & non

& non sensuاليا distinctionem ferre non possunt, quæ præter citata, alibi tradit; nempe, hominem per essentiam bruto non præstare. App. c. I. p. 238. Animam hominis nihil aliud esse, quam vitam ejus. L. c. 44. p. 295. Nomen rationale significare materiam, sive corpus. Cap. 4. p. 18. Intellectum nihil aliud esse, quam imaginationem, communemque esse hominibus cum brutis. c. 2. p. 8, 9. Non animam cogitare, meminisse, ratiocinari, sed esse ipsum animal, quod cogitat, meminit, ratiocinatur. App. p. 338.

Unde non dubitamus, illum, cum Epicuri de grege porcis, in voluptate corporeâ summam hominis felicitatem collocare. Quod in homine Christiano non refutandum, sed detestandum est.

III. Felicitatem esse progressum perpetuum ab unâ cupiditate ad alteram: nam vitam, ait, motum perpetuum esse, qui cum recta progredi non potest, convertitur in circularem. L. c. II. p. 50. H. c. II. a. 15.

Ubi. I. Ineptè dicitur, felicitatem progressum esse perpetuum ab unâ cupiditate ad alteram: nam non qui desiderii, sed qui fruendi certitudine abundat, duntaxat felix dicendus est: nam ut rectè Horat.

..... Qui cupit, metuit quoque; porro

Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.

2. Illud etiam falsum & ridiculum; felicitatem hominis progressum esse perpetuum ab unâ cupiditate ad alteram; eumque, cum rectâ progredi non potest, converti in circularem. Non ita sentiunt avari, ambitiosi, libidinosi: illi enim rectâ progrediuntur, semper cogitantes; plus ultra. Forsan magnus noster Mathematicus, de hominis felicitate scribens, de motu circulari somniavit, in dimensione & quadraturâ circuli occupatus. Sed quam dextrè, demonstravit illi Joh. Wallis, in Acad. Oxon. Geom. Prof. in *Elenco Geometr. Hobbiana*, pag. 95. &c.

IV. Ali-

IV. Alibi, *Perpetuum in rebus cupitis bonum successum, presentis vitæ felicitatem esse statuit:*

Nullam enim esse animi, dum vivimus, perpetuam tranquillitatem. L. c. 6. p. 33.

Quare miror, unde hæc in exemplari Belgico; *Wat de tectoylen top in dit leven zijn / en kan daer niet bescreven als de gerustheyde des ghemeyds bracht worden. Dum in hac vitâ sumus, animi tranquillitate nihil melius cogitari potest.*

Certè quo nihil melius in hac vitâ cogitari potest, in eo consistit vitæ præsentis felicitas.

Sed hæc verba in Latino non habentur, verùm hæc; *Nulla enim est, dum vivimus, perpetua tranquillitas. Hæc Latina cum textu cohærent, Belgica citata minimè. Unde hæc exemplarium dissonantia?*

V. In Belgico (c. 6. sub finem) etiam hæc leguntur: *Bestaet de geluckzaligheyd in eenige byeghde / soo is sy nu alsoo onbegrypelyck / als het woord (beatifica visio) dat de Geleerde gebuycken / en mede niet kan verstaen worden. Si consistit felicitas in aliquo gaudio, tum numo adeo intelligi non potest, ac vox (beatifica visio) quâ docti utuntur, quæ etiam non potest intelligi. Quæ etiam in latino, l. cit. non comparent.*

Resp. Felicitatem hominis in gaudio consistere, ubique testatur S. Scriptura. Ps. 16: 5. *Febova portio prædii mei. v. 9. Idcirco letatur cor meum, & exultat gloria mea &c. v. 11. Satietas gaudiorum est coram facie tuâ: amenitates ad dextram tuam in æternum. Joh. 16. v. 20. Tristitia vestra evadet in gaudium. v. 22. Et gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Matt. 25: 23. Ingradere in gaudium Domini tui.*

Et vocem (*beatifica visio*) ignorare non potuit, frequenter in S. Script. usurpari. Matt. 5: 8. *Beati, qui sunt mundi cordis: quoniam ipsi Deum videbunt. Job 19:*

v. 25, 26. *Equidem novi Redemptorem meum vivere &c. Ex carne meâ visurus sum Deum, quem ego visurus sum mihi, & oculi mei aspecturi sunt eum.* I Cor. 13. 12. I Joh. 3. 2. Heb. 12. 14. 2 Cor. 5. 7.

Contra tam diferta S. Script. testimonia in dubium revocare, an hominis felicitas in gaudio consistat, & verbum culpâre, tam sæpe in Sacris usurpatum, in homine Christiano non ferenda insolentia est.

LOCUS TERTIUS.

De S. Scripturâ.

CAPUT III.

De S. Scriptura auctoritate.

Theologiæ, ac Religionis Christianæ principium doctrinale est S. Scriptura, cujus divinam atque tremendam Majestatem, & auctoritatem non uno modo gravissimè lædit impius Philosophus.

I. Negat, homines Christianos scire S. Scripturam esse verbum Dei, sed tantum credere ita esse. L. c. 43. p. 282.

Quare, inquit, Scripturas S. verbum Dei esse, credimus? disputari solet: quemadmodum necessarium est, multum disputari quæstiones illas, quæ non rectè proponuntur: non enim quærunt, cur credimus, sed unde scimus? quasi idem esset credere & scire. Dum ergo pars altera scientiam suam deducere conatur ab infallibilitate Ecclesiæ, altera à testimonio Spiritus sui privati, pars neutra, quod vult probat. Infallibilitas enim Ecclesiæ, nisi scripturarum infallibilitate prius cognita, sciri non potest.

potest. Spiritum suum privatam quis dignoscit à spiritu Doctorum morum, quorum auctoritate ducitur, vel à spiritu arrogantia? Præterea in Scripturis, unde Ecclesiæ infallibilitas inferri possit, nihil invenitur, multo minus infallibilitas Ecclesiæ cujusquam particularis, & minime omnium hominis privati. Hinc infert, manifestum esse, homines Christianos non scire S. Script. esse verbum Dei, sed tantum credere ita esse. Et tum porro causam illis credendi frequentissimam esse Doctores suos. Hoc dicere Paulum universaliter de fide Christiana. (Rom. 10. 14, 15, 17.) Ex quo, inquit, Perspicuum est, causam credendi, scripturas esse verbum Dei, esse, quod eos audivimus, qui lege constituti sunt, ut nos doceant, domi parentes, in Ecclesiis Pastores.

Quærit alibi, qui sciamus Scripturas esse verbum Dei? quod id sciamus, inquit, nisi à Deo ipso supernaturaliter (nempe ut factum Prophetis) revelatum esset, impossibile esse. L. c. 33. p. 181.

Resp. 1. Homines Christianos scire non posse, S. Scripturas esse Verbum Dei, falsissimum. Nam 1. Quod Judæi sciverunt de scriptis Mosis, id homines Christiani scire possunt de scriptis Prophetarum, & Apostolorum; sed Judæi sciverunt, scripta Mosis esse verbum Dei: noscimus; inquit, Deum esse loquentum Mosis. Joh. 9. 29. 2. Qui scire possunt, doctrinam Christi esse Verbum Dei, illi scire possunt S. Script. esse verbum Dei: nam eadem est doctrina Christi, quæ S. Scripturæ; sed homines verè Christiani illud scire possunt de doctrinâ Christi, nam. (inquit Christus) qui vult facere voluntatem ejus, qui misit me, intelliget doctrinam meam, num ex Deo sit, an ego ex me ipso loquar, Joh. 7. 17. 3. Qui cognoscunt veritatem religionis Christianæ, illi sciunt. S. Script. esse verbum Dei: nam hæc est fundamentalis & præcipua veritas religionis Christianæ; sed homines Christiani cognoscunt

sciunt veritatem. Joh. 8. 32. præterea 4. Qui sciunt omnia, quæ Deus largitus est fidelibus; & habent unctiōnem à Sancto illo, & noscunt omnia; quosque Sp. S. docet omnia, & introducit in omnem veritatem; quibusque datum est, nosse mysteria Regni cælorum; & qui sciunt, Jesum esse Christum; illi non possunt non scire, S. Script. esse Verbum Dei: quippe quod est omnium illorum præcipuum, eorumque cognitionis fundamentum. Eph. 2. v. 20. Sed homines verè Christiani sciunt omnia, &c. 1 Cor. 2. 12. 1 Joh. 2. 20. Joh. 14. 26. & 16. 13. Matth. 13. 11. Joh. 6. 69. Denique 5. qui S. Literis credentes sciunt, se credere Deo, illi sciunt S. Literas esse Verbum Dei: nam credentes S. Literis, ideo sciunt se Deo credere; quia sciunt S. Literas esse Verbum Dei; sed homines Christiani, credentes S. Literis, sciunt se Deo credere. 2 Tim. 1. 12. *Novi cui crediderim, & omni persuasum est &c.*

2. S. Script. esse Verbum Dei certissimè scimus & credimus, non primariò aut ex Ecclesiæ testimonio (quod volunt Pontif.) neque (quod Hobbes docet) quod illos audiamus, qui constituti sunt, ut nos doceant, domi parentes, in Ecclesijs Pastores; sed 1. ex ipsius S. Script. Divinitatis criterijs; nempe quod passim Deum ipsam loquentem introducat; ab ijs hominibus exarata sit, qui Prophetiæ ac miraculorum donis divinitus instructi, eâ fide cuncta referunt, ut in peccatis & vitijs memorandis nec sibi, nec suis parcant; tradat res non solum veras, & rectæ rationi consentaneas, sed divinas quoque, & rationem omnem transcendentis; idque divino profus modo, & mirandâ circumstantiarum, in iisdem à varijs recensitis, *variè quovis*; ad unius Dei gloriam & nostram salutem; admirabili cum efficacità afficiens animos hominum, & ad virtutem impellens, atque adversus exquisitissima supplicia corroborans; quod vel in medijs Papatus tenebris agnoscens

Bap-

Baptista Mantuanus ; *ſæpenumero* ; inquit , *meum cogitavi* , unde tam *ſuadibilis ſit iſta ſcriptura* , ut tam *potenter influat in animos auditorum* ; unde tantum habeat *energia* , ut non ad *opinandum* , ſed ad *ſolide credendum omnes inflectat*. Non eſt hoc *imputandum rationum evidentia* , quas non adducit ; non *artis industrie* & *verbis ſuavibus* , & ad *perſuadendum accommodatis* , quibus non utitur . Sed vide , *an id in cauſa ſit* , quod *perſuafi ſumus* , eam à *prima veritate fluxiſſe* ? libr. 3. de *patientia*. cap. 32. & cap. 33. Ineſt ergo *Scripturis S. niſcio quid natura ſublimius*. Et poſtea ; *eſt in verbis veſtita nuditas* , *multiplex ſimplicitas* ; & *habilis miuſculiſque ingenij ſubtilitas* &c. Quo pertinet etiam orbis per hanc *Scripturam converſio* , & tot *diſcepanantiam antea voluntatum in fide unâ* , his *Scriptis ſanctâ conſenſus* ; *accedente miraculoſâ ejus contra Diaboli & Tyrannorum furorem conſervatione*. Quæ & ſimilia *S. Scripturæ divinitatis argumenta* non poteſt non *animadvertere* , & in illâ *percipere homo Chriſtianus* , à *Sp. S. illuminatus*. 2. Ex *infallibili Sp. S. teſtimonio* , in *ipſâ S. Script. de divinâ illius origine & authoritate teſtantis*. 2 *Tim. 3. 16.* Et per *ipſam S. Scripturam* , *ejuſque recentia Divinitatis criteria* , intus in *mente hominis verè Chriſtiani hoc ipſum atteſtatis & obſignantis*. 1 *Cor. 2. 10, 12.* *Nobis illud revelavit Deus per Spiritum ſuum*. Nos accepimus *Spiritum Dei* , ut *ſciamus* &c. 1 *Joh. 5. 6.* *Spiritus vſ eſt* , qui *teſtificatur* , *Spiritum veritatem eſſe*. Et ſi *revelatio alia ſupernaturalis* , qualis olim facta *Prophetis* , ut hoc ſciamus , *neceſſaria eſſet* (quod *Hobbes contendit*) ſiquidetia *ejuſmodi revelatio hodie contingat nemini* , tum *netro hodie ſcire poſſet* , *S. Script. eſſe Verbum Dei* , contra *allegata Ecclēſiæ ; Paſtorum , Parentum , aliorumque hominum fidelium teſtimonium in hoc negotio ſolis externæ , miniſterialis , adjuvantis cauſæ*

24 DE S. SCRIPT. AUCTORIT.

rationem habet ; uti mulieris apud Samaritanos, de Christo testantis. *Joh. 4. 28.*

3. Credere S. Script. esse Verbum Dei, & tamen non scire, est illud credere fide implicitâ ; sed ille ipse fidem implicitam non admittit. *Sensibus, inquit, experientie, & rectæ rationi (quod Verbum Dei indubitatum est) renuntiandum non est : sunt enim illa instar minæ, quæ à Servatore nostro hominibus ad negotiandum data est, nec in fide implicita, quasi in sudario, reponenda.* L. c. 32. p. 173. Quare si noster Philosophus scire non potuit, S. Script. esse Verbum Dei (uti scribit de omnibus Christianis) illum serio id credidisse fide implicitâ, quis credat ? tanti Philosophi non solent esse adeo cæduli.

4. Non sunt idem credere & scire, verum est ; non tamen credere est absque scire. *Nos credimus & novimus.* *Joh. 6. 69. Novimus cui credamus, & persuasum est nobis.* 2 Tim. 1. 12.

5. Testimonium Spiritûs, quo fideles sciunt & credunt, S. Script. esse Verbum Dei, est ipsius Spiritûs S. (qui idem totius Ecclesiæ est, atque omnium & singulorum fidelium : *habemus enim eundem Spiritum fidei.* 2 Cor. 4. 13.) ut ex locis citt. manifestum est ; illum traducere nomine *Spiritûs hominis cujusvis privati*, aut *Spiritûs Doctorum*, & (quod pejus est) *Spiritûs arrogantie*, blasphemia est in Sp. S.

6. Quin Ipse hoc eodem loco docet, fidem, quâ credimus S. Script. esse Verbum Dei, esse donum Dei, quod, cui vult, dat & negat. Non ergo negare debebat, hominem Christianum per Sp. S. scire aut credere, S. Script. esse Verbum Dei : nam ideo fides illa donum Dei est ; quia est à Sp. S. 1 Cor. 12. 9 *Habemus fidem per Spiritum.* Unde *Spiritus fidei* appellatur. 2 Cor. 4. 13-

7. Doctores illi, præter quos docet nullam aliam causam

causam esse credendi, S. Script. esse Verbum Dei (nempe quod hoc ab illis audivimus) aut sciunt hoc de S. Scripturâ, aut non sciunt; si non sciunt, quâ aliis fidem facient ejus, quod ipsi non sciunt?

8. In S. Script. nihil invenitur, unde magis colligatur infallibilitas Civitatis Christianæ, quam Ecclesiæ. Ergo si credamus S. Script. esse Verbum Dei ideo tantum, quia hoc testari audivimus illos, qui lege à Civitate constituti sunt, ut nos doceant, tum non credimus, S. Script. esse Verbum Dei fide divinâ & infallibili; sed humanâ tantum, dubiâ & incertâ. Qui merus Ethnicismus est.

Obj. Rom. 10. 17. (*Fides est ex auditu*) & v. 14, 15. (*Quomodo autem credent, de quo non audierunt? quomodo autem audient sine Prædicante, quomodo autem predicabunt, nisi sunt missi?*) Ex quo, inquit, perspicuum est, causam credendi, S. Scripturas esse Verbum Dei, esse quod eos audimus, qui lege constituti sunt, ut nos doceant.

Resp. I. Subordinata non pugnant; & auditus verbi Dei concionatorij Spiritum S. non excludit; sed eidem subordinatur, ut instrumentum morale suæ causæ principali. Jes. 59. 12. *Spiritus meus, qui in te est, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, nec seminis tui.* 2. Nec ibi loquitur Apost. de doctoribus, à Magistratu lege civili constitutis, quorum auctoritate fiat, ut homines Christiani, quam vis non sciant, tamen credant, S. Script. esse Verbum Dei.

II. S. Scripturæ canonizationem ad eum pertinere contendit, qui summam in Civitate potestatem habet.

Penes eum esse potestatem faciendi, ut Scripturæ sine leges.

Nisi accedat, summam habentis potestatem, auctoritas, S. Scripturas vim legis nequaquam habere. Lev. c. 42. p. 246. &c.

Resp. 1. Verbum Dei, Rectoris & Legislatoris supremi, hoc vel illud hominibus revelantis, præcipientis, prohibentis, per se vim legis habere, manifestum est, hominesque quibus revelatur, obligare ad fidem & obedientiam: *nam si per Angelos dictus sermo fuit firmus, omnisque transgressio & inobediencia justam mercedis retributionem retulit: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum primum enarrari cæperit per ipsum Dominum, fuit ab ijs, qui ipsum audierant, nobis confirmata; testimonium illis præbente Deo signis, & prodigijs &c.* Hebr. 2. 2, 3, 4. Atqui (& ipso Hobbesio fatente) S. Script. Verbum Dei esse, omnes Christiani agnoscunt & credunt. L. c. § 3. p. 181. Enim vero impium est, æternam atque immutabilem Dei veritatem ab hominum arbitrio suspendere, ut Deo, in S. Script. loquenti, fides non habeatur, nisi quando & quantum hominibus videtur. Hoc autem faciunt, qui S. Script. auctoritatem Divinam sive ab Ecclesiâ, vel Papâ (ut Pontificii) sive à Civitate, vel illo, qui in Civitate summam potestatem habet (quod hic Hobbes facit) suspendunt. Sicuti D. N. J. Christus, tanquam *doctoris*, negat se testimonium ab homine accipere; cum de se aliud majus habeat. Joh. 5. 34, 36. Ita nec Deus, aut Christus loquens in Verbo suo scripto. Si testimonium hominum (summam habentium in Civitatibus potestatem, aut quorumvis aliorum) accipimus, testimonium Dei majus est. 1 Joh. 5. 2. Et 2. si S. Script. per se non esset lex, nisi talis facta à Potestate civili, tum illa quatenus lex est, lex esset non Divina, sed humana, civilis nempe. 3. Neque quatenus lex est, vim haberet obligandi internum hominem: nam potestas civilis tantum externum hominem obligare potest. 4. Neque illi subesset, qui in Civitate est cum summâ potestate: nam ille (secundum Hobbesium) legibus Civitatis non tenetur. *de Cive, cap. 8. art.*

art. 14. contra Deut. 17. 18, 19. *Rex describitur sibi exemplar legis hujus, & legitur in eo &c. Ut discat timere Deum suum, observare omnia verba legis hujus, & statuta ista, faciendo ea.* Neque quisquam Christianus iis locis, ubi S. Script. non recipitur, contra illam peccare propriè posset: nam ubi non est lex, ibi non est peccatum. Rom. 5. 14.

Obj. *Qui in Civitate summam potestatem habet, solus Legislatores est.* Resp. Blasphemum hoc: *Vnus est Legislator, qui potest servare & perdere; nempe Deus. Jac. 4. 12. Jehova vindex noster, Jehova legislator noster, Jehova Rex noster, ipse servabit nos. Jes. 33. 22.*

III. Porro Potuisse, inquit, *Eccliam in Canonem & alios libros, quam qui in Canone nostro continentur, recipere à Judæis, quanquam lingua Hebræa non scriptos; si modo cæteris doctrinam non contrariam continuissent.* L. c. 33. p. 180.

Quasi Judæi in Canone suo habuissent unquam alios libros, quam qui in Canone nostro continentur, contrarium liquet apud Josephum *contra Appionem libr. 1.* Atque Euseb. *Histor. Eccl. l. 3. c. 10.* Aut in Canone suo habuissent libros lingua Hebræa non scriptos. Vide Hieron. *Pref. in Paral. & in Esdr.* Aut Ecclesia in Canonem recipere à Judæis posset libros, qui in Canone Judæorum nunquam fuerunt. Ecclesia alium fidei Canonem facere non potest, ac constituerunt Prophetæ, Christus ipse suo testimonio comprobavit, & Divina auctoritate instructus comprobavit & obfirmavit S. Joh. Apoc. 22. 18, 19. *Enimvero unâ testor civis audienti verba Prophetiæ libri hujus: si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto: & si quis abstulerit aliquid ex libris Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus à libro Vitæ.* Proinde Canon iste inamutabilis esse debet Ecclesiæ, quippe quo continentur fœdus & Testamentum Dei; cui idcirco vel addere quic-

quicquam, vel de eo demere nequaquam licet. Sed alii libri, qui in Canone nostro non continentur, lingua Hebræa non scripti, nunquam fuerunt in Canone à Prophetis constituto, ab ipso Christo approbato, & ab Apost. Johanne ira divina auctoritate obfignato. Quare alios libros, qui in Canone nostro non continentur, lingua Hebræa non scriptos, in Canonem recipere, non est in potestate Ecclesiæ. Unde quamvis inter Pontificios Stapletonus eandem Ecclesiæ, quam hîc eidem tribuit Hobbes, vendicet auctoritatem; tamen saniores inter ipsos negant, alios libros pro Canonicis admittendos esse, quam quos hoc nomine Apostoli consignarunt Ecclesiæ. Judæos autem in Canone unquam habuisse libros lingua Hebræa non scriptos, Hobbesio non supponendum, sed probandum erat.

Obj. Non à Scriptoris dialecto, an liber aliquis in Canonem recipi mereatur, judicandum esse, sed à doctrina, partimque à tempore scriptionis; fuisse autem in Judæa sanctos Viros Judæos, qui Græcam linguam perfectè calluerunt. Sed libros non à Scriptoris, sed ab Ecclesiæ auctoritate recipiendos esse.

Resp. Quasi tempore Prophetarum liber aliquis, doctrina cum Verbo Dei consentiens, scribi non potuisset, qui tamen non esset Canonicus. Et auctoritas libri alicujus Canonici penderet ab auctoritate Ecclesiæ, eaque esset inferior, contra *Eph. 2. 20, 21.* Aut quasi libri S. quia non ab auctoritate Scriptoris recipiendi sunt, ideo recipiendi essent ab auctoritate Ecclesiæ. Libri S. recipiendi sunt non primariò aut à Scriptoris, aut ab Ecclesiæ auctoritate; sed ab auctoritate ipsius Dei, seu Sp. S. cujus impulsu & inspiratione prodi sunt, variis divinitatis criteriis manifestis, qui ex Deo nati sunt; quique eorum Scriptoribus certa & peculiaria veritatis testimonia perhibuit. Ecclesia autem de Scriptis illis divinitus inspiratis, à se

re-

receptis, & approbatis testificari tantum potest. Et notum est, Deum in V. T. Verbum suum à Prophetis scripto consignari voluisse in usum tantum populi sui Judaici: ei enim *credita erant eloquia Dei*. Rom. 3. 2. *Judicabat verba sua Jacobo; statuta sua, & jura sua Israeli, non fecit ita ulli Genti, idèoque jura ista non noverunt.* Ps. 147. 19, 20. Græcam autem linguam isti Populo tunc ita vulgò notam fuisse, nemo dicet, opinor.

IV. *Quando credimus, S. Script. esse Verbum Dei, fidem nostram terminari docet, in Ecclesia, in cujus auctoritate acquiescimus.* L. c. 7. p. 34.

Etiam pontificij assensum fidei statuunt terminari sive resolvi in auctoritatem Ecclesiæ. Verum 1. per Ecclesiam illi intelligunt Ecclesiam Catholicam, quæ (illorum sensu) est collectio omnium fidelium, qui toto Orbe dispersi sunt, adhærentes Romano Pontifici; vel Ecclesiam repræsentativam, nempe aut Concilia, aut Papam Romanum. Sed Hobbes per Ecclesiam intelligit unamquamque Civitatem Christianam, sive eum, qui in unaquaque Civitate Christiana est cum summa potestate. 2. Dicunt Pontificij, Ecclesiam suam in proponendo & decernendo, quid credendum sit, infallibilem esse. Hobbes contra, in Scripturis, unde Ecclesiæ, sive Civitatis Christianæ (hoc enim Illi perinde est) infallibilitas inferri possit, nihil inveniri. *Loco Assert. 1. cit.* 3. Pontificij assensum fidei *formaliter* resolvi, sive terminari statuunt in primam veritatem revelantem, vel auctoritatem Dei revelantis; sed *directivè* tantum in auctoritatem Ecclesiæ proponentis, & decernentis, quid credendum sit. Vide Becan. *Theol: Schol. c. 8. q. 8.* Hobbes autem, assensum fidei formaliter terminari in auctoritatem Dei revelantis, apertè negat: nam negat, *hominem Christianum scire posse, S. Script. esse Verbum Dei.* Vide *Assert.*

Affert 1. Item, *totam S. Script.* negat esse *Verbum Dei*, quod ipse *Deus loquutus est*. Vide *Affert*, 1, 2, 3. cap. 1. Proinde omnem fidei Christianæ assensum vult & formaliter, & directivè in *Ecclesiam*, sive *Civitatem Christianam* terminari. Et cum neget, *Ecclesiam* infallibilem esse, sequitur, juxta ipsius hypotheses, fidem, qua credimus *S. Script.* esse *Verbum Dei*, inniti testimonio tantum humano, fallibili, dubio & incerto.

Hobbefius ergo hac in parte impietate superat Pontificios, cum tam aperte omnem fidem divinam è religione Christiana eliminare moliat, quam tamen Pontificij adhuc factam rectam conservare videri volunt.

Verum. 1. Si fides, qua credimus *S. Script.* esse *Verbum Dei*, non est divina, testimonio nitens divino, sed humana, testimonio tantum nitens humano, dubio & incerto, unde tum *πληροφορία* illa fidelium? *Job* 19. 25. *Equidem novi Redemptorem meum vivere.* *Rom* 8. 35. *Quis separabit nos à charitate Christi?* v. 38. *Nam mihi persuasum est &c.* *2 Cor.* 5. 1. *Scimus nos domicilium habituros æternum in celis,* *2 Tim.* 1, 12. *Novi cui crediderim, & mihi persuasum est &c.* *Rom.* 14. 5. *unusquisque in animo suo* *πληροφορία*. 2. Primum credibile in Religione Christiana est, *S. Scripturam* esse *Verbum Dei*, quod Christiani, à *Sp. S.* illuminati, sciunt & credunt ex ipsa *S. Script.* Vide ad *Affert.* 1. quando ergo credimus, *S. Script.* esse *Verbum Dei*, fides nostra in ipsam *S. Script.* terminatur, non in *Ecclesiam*. 3. Etiam *Civitas Christiana*, sive qui in illa est cum summa potestate, credit (opinor) *Script. S.* esse *Verbum Dei*, ubi autem terminatur illius fides? 4. In omnibus simpliciter acquiescere in auctoritate cujusvis hominis, est contra illud & obedire oportet Deo potius, quam hominibus. *Act.* 5. 29.

Omnia

Omnia explorate, quæ bonum est retinete. 1 Theff. 5. 20. *Nec cuius Spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex Deo sint.* 1 Joh. 4. 1. Et quod ipse Servator doctrinam suam ad S. Script. examinari voluit. *Joh. 5. 39.* Et praxim Beronsum. (Act. 17. 11.) laudatam.

V. *Vi Scriptura S. fidei essent regula, solos, ait, facere pctuisse Reges Christianos.* L. c. 43. p. 281.

Resp. 1. fides, cujus S. Script. est regula; est fides non humana, sed Divina, testimonio nitens Divino; sed quæ auctoritas humana facere potest, ut S. Script. sit regula fidei divinæ? Et 2. Script. fuit regula fidei antequam ulli Reges Christiani fuerunt: nam jam, ante illud tempus, de illa dixit Apost. *Quicumque secundum hanc regulam incedent &c.* Gal. 6:16. 3. S. Script. à Deo inspirata est, ut esset hominibus Canon & regula fidei: nam *omnis scriptura divinitus inspirata est, & utilis ad doctrinam, &c.* 2 Tim. 3:16, 17. *Et quæ ante scripta sunt, ad nos docendos ante scripta sunt: ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum, spem retineamus.* Rom. 15. 4. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis &c.* Joh. 20: 31. Ergo ut S. Script. fidei regula esset, fecit solus Deus. 4. Etiam illa ipsis Regibus Christianis est regula fidei; quis autem, ut illa ijs regula fidei esset, facere potuit? 5. Et tum S. Script. fidei regula esse non posset ijs locis, ubi Reges Christiani non sunt, aut ut illa regula fidei sit, non faciunt. 6. Neque hoc cohæret cum eo, quod alibi docet; nempe, *fidem hominum internam, cum voluntaria non sit, sub obligationem cadere non posse.* L. c. 40. p. 220. nam si fides, quia voluntaria non est, sub obligationem non cadit (quod tamen falsum esse, alibi demonstramus) quæ Reges ad eam subditos obligare dici possunt? sive (quod idem est) facere, ut ijs Sacra Scriptura sit regula fidei? Denique 7. *Ipsus docet paulò superius, Sacram Scripturam, jubentem, obedientiam legibus, civilibus,*
fa-

facere, ut Reges potestatem habeant faciendi, ut Sacra Scriptura sit fidei regula, sive lex: nam *legem Dei, quæ jubet obedientiam legibus civilibus, jubere per consequens, obedientiam præstandam esse omnibus præceptis Sacræ Scripturæ.* Hic autem, Reges jubentes obedientiam S. Scripturæ, jubere per consequens, obedientiam præstandam esse omnibus præceptis civilibus: nam nullam vim obligandi ad fidem & obedientiam, hic docet, S. Script. habere, nisi collatam sibi à Regibus. Ineptus circulus, Pontificiorum simillimus?

VI. *Quando & quid loquutus sit Deus, ab iis, quibus revelatio nulla data est supernaturalis, negat sciri posse, nisi per rationem illam naturalem, qua pacis & justitiæ obtinendæ causa, auctoritati summarum potestatum sese submiserunt. L. c. 33. p. 17B.*

Resp. 1. An ergo illis locis, ubi ab habente summam potestatem S. Script. non recipitur, citra supernaturalem revelationem (qualis olim facta Prophetis) sciri nequit, quid & quando loquutus est Deus? neque sciri, neque cred, S. Script. esse Verbum Dei? citra talem specialem revelationem supernaturalem ex sola S. Script. hoc scire potuerunt Beræenses. *Act. 17. 11.*
 2. Et si per rationem naturalem à summam habente potestatem sciri potest, quid loquutus sit Deus; quæ negat, homines Christianos scire posse, S. Script. esse Verbum Dei, sed credere tantum fide implicita? Vide *Affert. 1.* nam ratione naturali præditi sunt non minus Christiani privati, quam qui summam habent in Civitate potestatem; hæc quæ cohærent? 3. Quenquam hominem absque singulari Sp. S. gratia illuminante, sola ratione naturali, scire posse, quid loquutus sit Deus, Pelagianum est, & falsum: nam *animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter*

liter dijudicantur. 1 Cor. 2: 14. Denique 4. norunt Christiani, quid loquutus sit Deus, non per rationem illam naturalem, quâ pacis & justitiæ obtinendæ causâ, auctoritati summarum Potestatum sese submiserunt; sive per Spiritum, qui ex mundo est; sed qui ex Deo est; ut disertè Apost. 1 Cor. 2. 10, 12.

Uti ergo Pontificii S. Script. auctoritatem ab auctoritate Ecclesiæ (Papæ), sic Ille ab auctoritate Civitatis Christianæ (Principis) illam suspendit. Ergo hac in controversia consulendi Antagonistæ Pontificiorum.

VII. In V. T. præter librum legis totius, qui appellatur Deuteronomium, aliud verbum scriptum, usque ad Captivitatem, pro Verbo Dei Iudæos non habuisse. De Cive: c. 16. a. 12. 16.

Resp. 1. Quasi Deuteronomium esset liber legis totius, contra 2 Chron. 23: 18. ubi Auctor libri illius, citans librum Levitici, illum legem Mosis appellat. Similiter Esdra citans librum Numeri, Esdr. 6. v. 18. Et Nehemias citans libros Exodi, & Levitici, Neh. c. 10. 36. Et Christus citans librum Numeri, Matt. 12. v. 5. & citans Leviticum; Matt. 8. v. 4. Joh. 7. v. 23. Et Lucas, citans eundem librum, Luc. 2. 24. Et Apostoli citantes Genesin & Leviticum Act. 15. 1. Ex procul dubio ubi in N. T. Scriptura V. T. dividitur in legem seu Mosem, & Prophetas, & lex sive Moses Prophetis contradistinguitur (Matt. 11. 13. Luc. 16. v. 29, 31. & 24. 44. Rom. 3. 21. Act. 28. 23.) per legem sive Mosem intelligitur non solum Deuteronomium, sed totus Pentateuchus. 2. Ante Captivitatem tempore Samuëlis, Davidis, Salomonis, Jesaiæ, Hoseæ &c. Præter Deuteronomium etiam alios libros à Judæis pro Verbo Dei scripto habitos fuisse, liquet de Genesi (Psal. 33. 6. & 89. 12. & 136. 5. Prov. 8. 24. Jes. 42. v. 5. coll. Gen. 1. Item Hof. 12. 4. coll. Gen. 25. 26.

34 DE S. SCRIPT. AUCTORITATE.

& 35. 9, 10. Item Hof. 12. 13. coll. Gen. 28. 5, &c. Item Pſal. 135. 17. &c. coll. Gen. 37.) de *Levitico* (Ezech. 14. 13. coll. Levit. 26. 26.) de *Jofua libro* (Pſal. 1. 2. coll. Joſ. 1. 8. Item Pſ. 114. 3. coll. Joſ. 3. v. 13. & 1 Chron. 2. 7. coll. Joſ. 7. 25.) de *libro Judicum* (1 Sam. 12. 9, 11. coll. Jud. 4. 2. & 6. 14. & 10. 3. & 11. 15.) Plura vide *Aſſert ſeq.*

Obj. *Librum hunc traditum fuiſſe ab ipſo Moſe Sacerdotibus, aſſervandum & reponendum in latere Arcæ fœderis, & à Regibus deſcribendum* (Deut. 31: 9, 26.) *Eundemque longo poſt tempore auctoritate Regis Joſiæ pro Verbo Dei recognitum.* 2 Reg. 23. 1. *Reſp.* Per librum illum legis à Moſe traditum Sacerdotibus &c. intelligi ſolum Deuteronomium Hobbes probare debebat, non gratis ſupponere. Neque quæ de libro legis Moſaico loc. cit. dicuntur, ullâ conſequentiæ ſpecie, evincunt præter librum iſtum, aliud Verbum Dei ſcriptum, uſque ad Captivitatem, Judæos non habuiſſe.

Inſtat; Quod attinet ad Prophetas, Iſaiam & ceteros, cum prædicerent non niſi ea, quæ vel in captivitate, vel poſt captivitatem futura erant, eorum ſcripta non potuiſſe pro Prophetiſis illico haberi, propter legem, quæ habetur (Deut. 18: 21, 22.) *qua jubebantur Iſraelitæ, ne pro Prophetâ haberent, niſi eum, cujus prædictionibus eventus reſponderent.* Ubi 1. falſum, Prophetas non niſi ea prædixiſſe, quæ vel in captivitate, vel poſt eſſent futura. V. gr. Prædixit Jeſaias Regi Hizkiæ liberationem Hieroſolymæ ab obſeſſione Aſſyriorum, paulò poſt ſequutam. Jeſ. 37. 6, 7. &c. 2. Et niſi dicta Prophetarum pro Verbo Dei habenda fuiſſent ante Captivitatem Babyloniam, tum nec culpandi fuiſſent Judæi, qui ante illud tempus dictis Prophetarum fidem derogaverunt; nec juſtæ fuiſſent querelæ Prophetarum de populi illius incredulitate & contumaciâ. 3. Neque Deut. 18. cit. præcipitur, non

non habendum esse aliquem pro Prophetâ, priusquam eventus prædictioni respondeat; sed non habendum esse pro Prophetâ illum, cuius prædictioni eventus non respondet; ut locum inspicienti clarum est.

VIII. *Scripturam*, ait, *V. T. quam habemus hodie, Canonicam Judæis non fuisse, neque legem, antequam renovassent pactum sub Esdrâ* Leviath. cap. 42. pag. 246.

Resp. Procul dubio ante reditum Judæorum ex Babylone (seu pactum sub Esdra renovatum) in manibus Judæorum fuit fere omnis Scriptura V. T. quam nos habemus hodie: nam omnes Prophetæ, paucis exceptis, vel ante Captivitatem, vel in ea mortui fuere. Et de libris Mosis, Josuæ, Jobi, Davidis, Danielis liquere arbitror Ezech: 14. 14. & ex citatis *Affert. præced.* Jam liquet passim in scriptis Prophetarum, Judæos, eorumque proceres acriter à Prophetis correptos, & à Deo graviter punitos fuisse; non tantum quia peccatis suis legem Mosis violaverant; verum etiam ob eorum contumaciam adversus dicta Prophetarum. 2 Reg. 17. v. 13. &c. *Cum contestaretur Jehova contra Israëllem, & contra Judam per omnes Prophetas cujuscunque visionis, dicendo, revertimini a viis vestris pessimis, & observate præcepta mea &c. cumque nisi ad vos per servos meos Prophetas; non auscultaverant, sed obduraverant cervices suas, ut Patres eorum, qui non crediderant Jehovæ, Deo suo. &c. Itaque percitus ira Dominus valde in Israëlitas, amovit eos a facie sua.* Vide etiam 2 Chron. 36. 15. 16. Neh. 9. 30. Jer. 7. 25, 26: Quod si ergo verba, quæ Prophetæ in nomine Dei, tanquam ejus legati, loquuti fuerunt, vim legis habuerunt, & auctoritatem Canonicam ante pactum renovatum sub Esdrâ, seu reditum ex Babylone (nam alioqui, quæ adversus dicta Prophetarum committebant propriè peccata non fuissent, nec illi propterea tam acri re-

prehensione, gravique Numinis indignatione digni : nam ubi non est lex, ibi non est peccatum) cur minùs quæ ante idem tempus acti a Sp.S. scripta reliquerunt? 2. Alibi dicit, *non apparere, quando, præter legem Moisaicam, ceteri libri V. T. in Canonem fuerint recepti.* C. c. 16. a. 12. Hic autem, totam Script. V. T. Canonicam Judæis factam fuisse, & legem, cum pactum renovarent sub Esdra. Quæ coherent hæc? 3. In pacto, quod cum Deo sub Esdra Judæi renovasse leguntur (Esdr. 10.) nihil singulare est, quod non legimus etiam in pacto, quod longè ante captivitatem Judæi cum Deo fecerunt sub Asa, Rege Judæ. 2 Chron. c. 15. & postea sub Nehemia (Nehem. 9.) quod si ergo Script. V. T. Canonica facta non fuit ex pactis renovatis sub Asa & Nehemia, quâ verisimilitudine illud ex pacto, sub Esdra renovato, concludat?

Obj. *A tempore pacti sub Esdra renovati Scripturam V. T. quam habemus hodie; pro lege Judæorum semper habitam fuisse: fuisse enim Esdræ Sacerdotem summum, & proinde eum, qui summam iu Judæos habuit potestatem civilem.*

Hinc concludit, Scripturas V. T. quas habemus hodie, demum ab Esdra, per pactum sub illo renovatum, Judæis leges factas fuisse.

Resp. 1. Nec Esdra, nec quisquam alius tunc temporis simul summus Sacerdos fuit, & habens in Judæos summam potestatem civilem: nam ut quidam Principes simul, & Pontifices essent, tempore Maccabæorum primum fieri coepit; præsertim Principatu Aristobuli, qui primus Principatum summo Pontificatui conjunxit, & diadema sibi imposuit, annis post captivitatem Babylonicam 481; teste Josepho, *Antiq. Jud.* 13. 19. Atque ipse fatetur, *non expressè haberi, Esdræ jus imperii traditum fuisse.* C. c. 16. a. 17. Et Esdra passim Sacerdos, Scriba dicitur, nunquam Sacerdos

dos summus. Unde ergo novit ille, Esdram Sacerdotem summum fuisse, atque simul summam in Judæos habuisse potestatem civilem? 2. Et pactum illud Judæorum sub Esdra nihil aliud fuisse, quam singulorum de iis, quæ in libro legis scripta erant, observandis vota & promissa, ipse fatetur. Quî ergo ex illo pacto sub Esdra renovato concludat, per illud demum Scripturas V. T. quas habemus hodie, Judæis Canonicas factas fuisse; an quoties homines vota & promissa faciunt de observandis iis, quæ in S. Script. continentur, tum eo toties illis Canonica fit S. Scriptura? an ab hominum votis & promissis pendet Canonica S. Scripturæ auctoritas? 3. Denique ante tempus illius pacti sub Esdra illas S. Scripturas Canonicas non fuisse, probandum erat, non supponendum.

IX. Ante captivitatem à tempore, in quo liber legis amissus est (quod tempus illi videtur fuisse tempore Rehoboami) usque ad tempus Josiæ nullum, fingit, Judæos habuisse Verbum Dei scriptum. Lev. c. 42. p. 245.

Resp. Tempore Jesaiæ habuerunt Judæi Verbum Dei scriptum, *legem & testimonium*; Jes. 8. 20. Item antea tempore Iosaphati *docebant Levitæ in Iuda, habentes secum librum legis Iehovæ.* 2 Chron. 17. 9. Et postea quoque tempore Ioæ, Levitæ *fecisse* dicuntur, *sicut scriptum est in libro legis,* 2 Chron. 23. 18. Item de Amazia Rege Iudæ legitur, *quod fecerit sicut scriptum est in lege, in libro Moysis.* 2 Chron. 25. 4. At Iesaias, Iosaphat, Ioas, Amazias vixerunt ante tempus Josiæ, & post Rehoboami; falsissimum ergo, quod hæc Assert. dicitur.

Obj. Quod 2 Reg. 22: 23. *dicatur liber legis, postquam diu perditus fuisset, repertus tandem in templo fuisse, regnante Josia.* *Resp.* Intelligendum hoc de libro legis autentico; apographa autem antea nulla fuisse in manibus Iudæorum, nec loc. cit. nec alibi le-

gitur in S. Script. Quin contrarium liquet locis à nobis allegatis.

X. *Tempus, quo T. N. libri primùm ab Ecclesia pro ipsorum (Apostolorum) scriptis agniti & recepti sunt, tempore Apostolorum aliquantò posteriori fuisse.*

S. Scripturæ (V. & N. T.) qualcm habemus nunc, receptionem publicam Concilio Laodicensi attribuentem esse, quod habitum esse dicit Anno post Chr. natum 364. L. c. 33. p. 180.

Mendacium hoc apertè coarguit Apost. Petrus, Epistolarum S. Pauli, ut jam suo tempore ab Ecclesiis Christianis receptarum, mentionem faciens. 2 *Petr.* 3, v. 15, 16. Et Apost. Iohannes, omnium Apostolorum ultimus, verbis supra ex *Apoc.* 22. 18, 19. citatis, Divina auctoritate N. T. imo totius S. Scripturæ Canonem, qualem habemus nunc, ut jam suo tempore ab Ecclesia Christiana agnitum & receptum, obsignans, Equidem quo tempore Apostoli libros N. T. instinctu Sp. S. scriptos, Ecclesiis Christianis tradiderunt, ut Verbum Dei, & normam fidei & morum recipiendos, *Gal.* 6. 16. *Phil.* 3. 15, 16. eodem illi ab Ecclesiis pro Apostolorum scriptis agniti & recepti fuerunt, v. gr. ab Ecclesia Romana, Corinthiaca, Galatensi, Ephesina, Philippensi &c. scriptæ ad se S. Pauli Epistolæ, quam ob causam, S. Paulus scriptas ad Ecclesias Epistolas suas peculiari nota signavit. 2 *Theff.* 3. v. 17, 18. Nam, qui doctrinam ab Apostolis viva voce sibi prædicatam, tanquam Verbum Dei, receperunt, ut de Theffalonicensibus testatur Apost. 1 *Theff.* 2. 13. illi etiam procul dubio eandem doctrinam ab Apostolis scripto ad se delatam, ut Verbum Dei & receperunt, & agnoverunt. Et nisi Concilium Laodicense, aut Ecclesia quævis, tempore Apostolorum posterior, certa documenta ex testificatione Ecclesiæ primitivæ, à tempore Apostolorum, per præcedentium temporum

rum Ecclesias, perpetua successione ad se devoluta habuissent, nunquam quicquam certi de libris sacris, præterquam de doctrina iis contenta, statuere aut decernere potuisset. Sed dicit, *tum demum Script. S. qualem nunc habemus, receptionem publicam factam esse à Concilio Laodicensi.* Sed an ergo S. Scripturæ receptio privata antea facta fuit? aut an receptio publica dicenda non est, quæ antea facta fuit ab integris Ecclesiis Christianis? aut an S. Scriptura publicè recipi non potuit, nisi per Ecclesiarum Doctores, in uno Concilio congregatos? quasi ideo S. Scriptura vocetur Canonica, quod illi auctoritas illa per Canonem alicujus Concilii attributa sit: nam qui ita statuunt, ne nominare quidem hæcenus potuerunt, aut fingere Concilium, in quo primum constitutus sit talis Canon S. Scripturæ, quasi antea Scriptura non habuisset talem auctoritatem. Quod enim Canones, qui Apostolorum nomine circumferuntur, hujus rei mentionem faciunt, tam putidum est, ut ipse Hobbesius illos Canones, ut controversos non admittat, & inter ipsos Pontificios plurimi illos ut supposititios reprobent. Vide Rivet. *Crit. Sacr. lib. 1. cap. 1.* Nominat quidem Adversarius Concilium Laodicense, dicitque ab illo demum factam esse S. Scripturæ, qualem nunc habemus, receptionem publicam; verum quam hoc falsum sit præterdicta, liquet ex Catalogo librorum V. T. quorum ut jam suo tempore ab Ecclesia receptorum mentionem facit Melito, Sardenfis Episcopus, qui floruit longè ante illud Concilium, Anno 150. Vide *Euseb. Hist. Eccl. l. 4. c. 25.* & Catalogo librorum N. T. quorum ut jam suis temporibus ab Ecclesiis agnitorum & receptorum mentionem faciunt Irenæus, & Origines, quorum ille floruit Anno 180, hic Anno 226. Apud *Euseb. Hist. Eccl. l. 5. c. 8. & l. 6. c. 24.* Et quod de S. Scriptura N. T. idem Irenæus, *quod Apostoli tunc*

praconiaverunt, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradidisse, fundamentum & columnam fidei nostrae futurum. In Præf. & cap. 1. libr. 2, 3. Ergo Concilium Laodicenum non tum demum libros illos publice recepit; sed tantum, quos longè antea Ecclesia pro Canonicis habuerat, agnovit, repetivit, & posteris commendavit.

XI. Testamentum Novum autè Constant. M. nemini potuisse esse legem, quam transgredi sine injustitia non potuerit; sed eodem jure, quo receperat, rejicere etiam potuisse. L. c. 42. p. 246.

Resp. I. Qui ante Constant. M. Evangelium sibi annuntiatum recipere noluerunt; aut receptum postea rejecerunt, gravissimè peccaverunt: Nam qui non obedit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Joh. 3: 36. Qui non crediderit, damnabitur. Marc. 16: 16. Si non venissem, & loquutus essem eis, peccatum non haberent; nunc autem non habent, quod pratexant peccato suo. Joh. 15: 22. Cum igne flammante infliget ultionem iis, qui Deum nesciunt, neque auscultant Evangelium D. N. J. Christi. 2 Thess. 1: 8. Et fieri non potest, ut qui semel fuerint illuminati, gustaveruntque donum illud cœleste, & participes facti fuerint Sp. S. si prolabantur denuo, renoventur ad resipiscentiam, ut qui rursus crucifigant Filium Dei. Heb. c. 6: 4. Vide etiam Heb. 10: 26, 27. 2 Pet. 2: 20, 21. Ergo etiam ante Constant. M. Testamentum Novum fuit obligatorium ad fidem & obedientiam. 2. Inepta & inaudita hæctenus est legis distinctio in eam, quam quis transgredi sine injustitia potest, & quam transgredi non potest sine injustitia: nam ἡ ἀμαρτία ἔστιν ἡ ἀνομία 1 Joh. 3. 4. Atque 3. Atheismum vident 1. Quenquam sine injustitia transgredi posse illam Scripturam, & rejicere, quam pro dictamine Sp. S. & proinde pro regula fidei Divinæ receperat. 2. Quando

do accedit auctoritas humana, tum demum sine iniustitia neminem transgredi illam posse, quasi major esset auctoritas humana, quam Divina.

Obj. T. N. ante Constant. M. cuiquam legem esse, repugnare, ait, *natura legis: legem enim mandatum esse illius sive hominis, sive cœtus, qui summam in Civitate auctoritatem, legumque ferendarum jus, transgressorumque puniendorum solus habet. Quasi lex Divina proprie dicta, nulla esse posset, sive naturalis, sive positiva; neque Deus per se legum ferendarum, transgressorumque puniendorum jus ullum haberet. Quæ quò tendant, quis non videt? Quin ipse alibi definitionem legis Aristotelicam (quod sit oratio definita juxta communem consensum Civitatis indicans, quomodo singula oportet agere) reprobatur eo nomine, quod non sit legis simpliciter, sed civilis: nam manifestum esse, leges Divinas non esse ortas à consensu hominum, neque etiam naturales: nam si à consensu hominum originem haberent, quod etiam eorum consensu abrogari possent: esse autem immutabiles; de Cive c. 14. a. 2. Optimè! Sed hæc quæ coherent cum iis, quæ hoc loco ait de natura legis? nam & illa Hobbesiana legis definitio an non est legis civilis tantum, non legis simpliciter? Et si leges sunt Divinæ, atque naturales, eæque immutabiles, quæ ille solus legum ferendarum, transgressorumque puniendorum jus habere dici debet, qui summam inter homines in Civitate auctoritatem habet? quin juxta doctrinam Apostolicam jus illud solus habet Deus. *fac. cap. 4. vers. 12.**

XII. Fuisse tamen consilium, quale sive bonum, sive malum, is cui consilium datur, observare, vel negligere potest, absque iniustitia. - Et siquidem legibus contrarium est, sive bonum, sive malum sit, observare sine iniustitia non potest. Ibid. & c. 43. p. 281.

Resp. 1. Ante Constant. M. Evangelii inobedientia *injustitia* appellatur: 2 *Theff.* 2. 10, 11, 12. Et infideles *injusti*. 1 *Cor.* 6. 1, 6. Non ergo ante Constant. M. N. T. consilium fuit, quod absque injustitia negligi potuit. 2. Est quidem doctrina N. T. imo totius S. Script. consilium, sed non hominis alicujus, sed ipsius Dei. *Heb.* 6. 17. *Act.* 20. 27. *Luc.* 7. 30. *Apoc.* 3. 18. quod sibi annuntiatum contemnere absque summa injustitia potest: nam si per Angelos dictus sermo fuit firmus, omnisque transgressio & inobedientia justam mercedis retributionem retulit: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? *Heb.* 2. 2, 3. Qui hæc dedignatur, non dedignatur hominem, sed Deum, qui etiam dedit nobis Spiritum suum sanctum. 1 *Theff.* 4. 8. Qui non credit Deo, mendacem eum fecit. 1 *Joh.* 5. 10. Ecce Evangelium sibi annuntiatum negligere, est Deum dedignari, mendacem eum facere; quæ sanè maxima injustitia, & in Deum injuria est. Unde hoc Dei consilium rejicientes sic Deus affatur; *quoniam abstrahitis vos ab omni consilio meo; ego quoque in calamitate vestra ridebo.* *Prov.* 1. 25, 26. Vide etiam *Luc.* 10. 16. *Iob.* 3. 18. Denique. 3. Doctrinam Evangelii legibus civilibus contrariam, sine injustitia observari non posse, impiè dicitur: nam illam, quamvis legibus civilibus contrariam, observavit Christus, observarunt Apostoli, & observare obligantur omnes Christiani, juxta illud; *oportet potius Deo obedire, quam hominibus.* *Act.* 5. 20.

Πῶρον Ἰὺδῶ; omnem injustitiam esse legis tantum humanae transgressionem. Leges proprie dictas nullas esse præter civiles. Solum illum Legislatorem esse, qui in Civitate inter homines summam habet potestatem. Vide *Affert. præced.*

CAPUT V.

De Sacra Scriptura Amanuensibus.

Quamvis hoc caput tanti momenti, ac præcedens de *S. Script. auctoritate*, non esse existimemus; quia tamen noster Adversarius ad illam elevandam, sacrorum librorum Scriptores esse negat, quorum nomina præferunt, etiam hoc caput non omittendum esse censuimus.

I. De libro Pentateuchi negat, illum Scriptorem Mosæ habuisse; potius de Moise, quam à Moise scriptum esse.

Ea sola scripsisse Mosæ, quæ à Scriptore Pentateuchi scripsisse dicitur; nempe volumen legis, quæ habetur à Deut. cap. XI. ad finem cap. XXVII. Leviath. c. 33. pag. 177.

Etiam Anonymus de Præ-Adamitis negat, Pentateuchum esse Mosæ autographum. L. 4. c. 1. p. 184. Idem negat & Alius *Tract. Theol. pol. c. 8. p. 104.* Qui Mosæ scripsisse ait, solum bellum contra Amalek, de quo Exod. 17. 14. Deinde etiam librum Pacti, de quo Exod. 24. 4, 7. eum autem pauca tantum continuisse, videlicet leges sive Dei iussa, quæ narrantur à v. 22. c. 20 Exod. usque ad c. 24. ejusdem libri. Denique Librum legis, de quo Deut. 31. 9. quem ait leges omnes, quas Mosæ tulerat, ab ipso explicatas anno 40. ab exitu Egypti, novumque Dei cum populo pactum continuisse, eumque Josuam postea auxisse, narratione sc. pacti, quod cum Deo populus tertio inivit (Jos. 24. 25, 26.) Sed quoniam nullum habemus librum, qui hoc pactum Mosæ, simul & pactum Josuæ contineat, necessario concedendum esse, hunc librum

pe-

periisse. Econtra Hobbes præter volumen legis negat Mosen aluid quid scripsisse, atque volumen illud periisse; sed illud esse volumen legis, quæ habetur à Deut. XI. ad finem c. VVII. En quam parum in nugis suis conveniunt impii isti Novatores!

Sed. 1. sola illa Deuteronomij capita Mosem scripsisse, ubi dicitur ab Auctore Pentateuchi? plura Mosem scripsisse ipsum Auctorem Tract. Theol. pol. modo fateri audivimus. 2. Pentateuchum à Mose scriptum esse præter alia colligitur *Nebem.* 8. 2. cum v. 15, 16. ubi lex, quæ legitur *Levit.* 23. 34, 40. dicitur esse lex, quæ habetur in libro Mosis; similiter *Nebem.* 10. 36. lex de primogenitis, quæ habetur *Exod.* 13. 2. *Num.* 3. 13. & 8. 17. lex Dei data per manum Mosis. Et *Luc.* 2. 22. ubi lex Mosis appellatur, quæ est *Levit.* 12. 2, 4, 6. Item *Matth.* 8. 4. ubi Moses præcepisse dicitur, quod præceptum legimus *Levit.* 13. 2. & 14. 2. Et *Marc.* 12. 26. ubi à Christo Exodus liber Mosis appellatur, & *Act.* 12. 21. ubi lex de Circumcisione, quæ legitur *Gen.* 17. & *Levit.* Moses nominatur, Item *Esd.* 6. 18. ubi Præscriptum libri Mosis esse dicitur, quod legitur *Num.* 3. 6, 22. & 8. 11. Et quis credat, ubi in N. T. Scriptura V. T. dividitur in Mosen & Prophetas *Luc.* 16. 29. & 24. 27. Et Moses unoquoque Sabbatho dicitur legi in Synagogis. *Act.* 15. 21. Et Pharisæi & Scribæ dicuntur sedere in Cathedra Mosis *Matth.* 23. 2. per Mosem sola illa pauca Deuteronomij capita intelligi? Et Christus Mosen de se scripsisse dicit *Joh.* 5. 46. sed de Christo non tantum; aut præcipuè in illis Deuteronomij Capitibus, verum etiam in alijs Pentateuchi libris scriptum legimus. V. Gr. *Gen.* 3. 15. & 22. 18. & 26. 4. & 28. 14. & 49. 10. *Exod.* 23. 20, 21. Denique 3. futile illud; Pentateuchum potius de Mose, quam à Mose scriptum esse: nam de Mose ne 28^o quidem in *Genesi.* Obj.

Obj. 1. Deut. 34: 6. [*Et non cognovit homo sepulcrum Mosis usque in presentem diem*] *id est*, inquit, *usque in diem*, in quo liber ille scriptus erat. Scriptus ergo est, longè post mortem Mosis tempore. Resp. 1. usque in diem hunc, nempe quo scriptum est quod hoc capite ultimo narratur de Mosis morte, non quo totus ille liber scriptus est. 2. Quod alius præter Mosen Historiam de Mosis morte scripsit *שֵׁוּרְיָוֶזֶס* (quisquis fuerit) inde non sequitur, Mosen de Pentateucho præter volumen legis (à Deut. 11. ad 27.) nihil scripsisse.

Obj. 2. Gen. 12. 6. [*Pertransiit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem; Chananeus autem tunc erat in terra*] *quæ verba dicit esse non posse, nisi ejus, qui tunc scripsit, quando in ea terra Chananeus non erat.* Resp. In Hebræo legitur usque ad convallem *סוּרָה*, quod hîc videtur esse

nomen Viri cujusdam illustris, illius loci possessoris, de quo dicitur, quod vir ille Chananeus tunc erat in illâ regione. Hoc quî à Mose scribi non potuit? Vel si per Chananeum designatur populus illius regionis, tum Moses, hoc scribens posteritati, Chananeum respexit, tanquam in illâ terrâ non amplius habitantem: quia jam jam ejiciendum esse, certò novit.

Obj. 3. Num. 21: 14. [*Dicitur in Libro bellorum Domini, sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.*] *quæ, inquit, scribi a Mose ipso non potuerunt* Resp. Est locus ille, omnium Interpretum judicio, difficillimus. Atque hæc a Mose ipso scribi non potuisse, nec ego capio, nec ille ostendit.

II. *Librum Job*, ait, *historicum non videri; sed tractatum tantum moralem esse de quæstione antiqua; quare improbis in hac vita bene, probis autem plerumque male fit.* Ibid. pag. 178. Resp.

Resp. 1. Inter Rabbinos fuerunt, qui ipsum Jobum nunquam vixisse inter homines putaverunt; ut est in Thalm. Ord. 4. Tract. 3. Eandem sententiam, sed falso, Luthero affingit Bellarm. libr. 1. de Verbo Dei, cap. 5. sect. 12. Noster autem fatetur, Jobum Personam veram, non fictam fuisse. Quidni ergo liber Jobi verè Historicus? 2. de Jobo dicitur, Ezech. 14. 14. *Etiamsfessent hi tres viri in ea; Noah, Daniel, & Job, ipsi per justitiam suam eriperent seipsos tantum.* Et Jac. 5. 11. *Tolerantiam Iob audistis, & finem Domini vidistis.* Unde manifestè colligitur, non tantum Iobum personam veram fuisse; sed & librum Iobi veram continere Historiam; quod idem manifestum imprimis ex eisdem libri capite primo, & secundo.

Obj. *Quod disputatio tota versus sint, prosa autem in solo principio a cap. 1. ad v. 3. cap. 3. & in Epilogo reperitur; versus autem neque illis, qui in magnis doloribus constituti sunt, ut Job; nec illis, qui consolari miseros veniunt, ut amici ejus, stylus usitatus sit.* Resp. Nihil obstat, historiam aliquam partim carmine, partim prosa describi; & carmine scribi verba illorum, qui tamen prosa usi fuerunt.

III. *Temporibus Antiochi scriptum esse Psalmum 79.* Ibid. pag. 179.

Resp. A Prophetâ scriptus est: nam totum V. T. est *Prophetia*, sive *verbum Propheticum*; 2. Petr. 1. 19, 20, 21. ast Malachias, ultimus Prophetarum, vixit ante tempora Antiochi. Et videmus, illum Psalmum (1 Macch. 7. 16, 17.) citari, tanquam longè ante tempora Antiochi in Ecclesiâ notum, & decantatum.

IV. *Proverbia Salomonis collecta in unum librum fuisse a Salomone, verisimile non esse; librum ergo illum post tempora Salomonis scriptum esse.* Ibid.

En Philosophi acumen! quasi *ἀουράτα* essent; pro-

Proverbia à Salomone collecta non esse in unum librum; & tamen librum illum tempore Salomonis scriptum esse. A Salomone scriptum esse, docet libri ipsius inscriptio; saltem de Proverbijis priorum viginti quatuor capitum quæ ratio dubitandi?

V. De libro *Jonæ* scribit, non *Prophetiam ejus esse; sed perversitatis, & contumaciæ ejus narrationem historicam.* Auctorem ergo libri illius non fuisse *Prophetam ipsum.* Ibid.

Quasi quia in libris Mosis ejus lapsus narrantur; & in Psalmo 51. Davidis homicidium, & adulterium. In libro *Jeremiæ* ipsius *Prophetæ navi; cap. 12.* Atque in *Euangelio Matthæi*, quod fuerit *Publicanus, & peccator.* Et in *priore Epist. Pauli ad Timoth. cap. 1.* quod fuerit *blasphemus, persecutor &c.* propterea auctores istorum scriptorum non essent illi, quorum in illis recensentur lapsus & peccata. Quin contra hæc *Amanuensium sinceritas* in recensendis proprijs suis defectibus, infirmitatibus, & peccatis, nobis argumento esse debet, quod *gloriæ divinæ ac salutari Ecclesiæ instructioni* unicè intenti, nihil scripserunt proprio motu; sed quod scribendum illis suggestit *Spiritus S.*

VI. *Libros Jeremiæ, Amos, Abdiæ, Nahum, Habakuk, illorum Prophetias esse; sed an ab illis scripti sint, non apparere.* Ibid.

Neque apparet, ab illis scriptos non esse. Quare cum sub illorum nominibus extant, quid cogit dubitare, an ab illis scripti sint.

VII. Denique *Libros T. V. negat altius derivari posse, quam ab Esdra, qui auxilio Sp. S. perditos restituit.* Citatque testimonium ex *4. Esdr. 14: 21, 22.* (ipso fatente) apocryphum.

Sed 1. Testimonio illi apocrypho opponimus testimonium *Danielis, atque ipsius Esdræ Canonicum,*
ubi

ubi librorum *V. T.* tanquam suis temporibus adhuc exstantium, mentionem faciunt. *Ego Daniel* (inquit cap. 9, 2.) *anno primo Regni Darii considerans ex* (NB.) *libris numerum annorum, quibus fuerat Verbum Iehovæ ad Ieremiam Prophetam.* Et vers. 11. *Stillavit super nos execratio illa, quæ scripta est* (NB.) *in lege Mosis.* Iterum vers. 13. *Sicut scriptum est in lege Mosis, totum malum istud venit super nos.* Et Esdr. 6. 18. *Constituerunt Sacerdotes, sicut scriptum est in libro Mosis.* 2. Quin ipse, *librorum sacrorum auctoritati non parum addere,* scribit, *quod etsi diversis temporibus scripti sunt à diversis hominibus, eodem tamen Spiritu omnes scripserunt.* Ibid. 180. Si, inquam, diversis temporibus, a diversis hominibus scripti sunt libri sacri; & hoc non parum addit eorum auctoritati; quæ illi omnes à solo Esdra scripti esse dici possunt? & hoc dicere non multum demit eorum auctoritati? 3. Et si ante Esdram periti, sive combusti fuerunt libri sacri; quæ tum illi fieri potuerunt Canonici Judæis pacto sub Esdra renovato? uti scribit loco Assert. 8. citato. Plura Vide apud Bellarm. de Verbo Dei, l. 2. c. 21. Paræm in Genesim in Proleg. Rivet. Isagog. ad Script. S. c. 6. sub finem. Macc. loc. comm. c. 2.

Historiæ de expeditione Alexandri M. sub nomine Curtii, Curtium Auctorem fuisse; & historiæ de bello Gallico sub nomine I. Cæsaris, I. Cæsarem, nemo dubitat. Quare ob frivolas aliquas conjecturas dubitare, aut negare, librorum sacrorum Scriptores esse, quorum nomina præferunt, quod Hobbes facit, & iniquum est, & animi profani indicium. Nulla est causa ambigendi de veritate inscriptionis magis, quam de veritate totius Prophetiæ. Qui igitur negat v. gr. Prophetiam Hoseæ, esse Hoseæ; nisi probaverit, alterius esse Prophetæ (quod probari à nemine potest) is præsumitur ideo negare, ut Scripturam (quantum in se est),

est) convellat ; & ideo Hæreticus censetur. Sunt verba Macc. *Loc. Comm. cap. 2. in fine.*

CAPUT VI.

De Interpretatione S. Scripturae.

Jus interpretandi S. Scripturam supremum & *αὐτοκράτορικόν* procul dubio folius Dei est, qui *Judex totius terræ.* Gen. 18. 21. *Altissimus Judex justitiæ* dicitur. Ps. 9. 3, 5. solus omniscius. 1 *Joh.* 3. 20. infallibilis. Rom. 3. 4. Qui S. Scripturæ Author est, ac proinde Interpretes optimus : nam *quis est Doctõr, sicut ipse ?* Job 36. 22. speciali modo Interpretes ille est Spiritus S. ut per quem proximè datur verbum sapientiæ, & cognitionis. 1 *Cor.* 12. 3, 8, 9. foris in ipsâ S. Script. & secundum illam intus in corde fidelium interpretationem suam pronuntians. *Hebr.* 4. 12. 2 *Petr.* 1. 20, 21. *Ies.* 59. 21. 1 *Joh.* 2. 27.

Subordinatum vero, idque publicum in Ecclesia, & antecessorium S. Script. interpretandi jus, esse publicorum in Ecclesiâ Antecessorum, tum extraordinariorum, eorumque infallibilium, liquet 2 *Petr.* 1. 21. *Joh.* 16. 13. tum ordinariorum, fallibilium Pastorum, & Doctorum ; sive singulorum. 1 *Petr.* 5. 2. *Hebr.* 13. 17. sive in Synodo congregatorum. *Act.* 15. 6.

Privata autem, & subsequens S. Script. interpretatio, atque judicium discretionis de credendis, & faciendis singulorum fidelium est, pro mensura Sp. S. nam *spiritualis homo dijudicat omnia.* 1 *Cor.* 2. 15. *Tanquam intelligentibus loquor* (inquit Paulus) *ipsi judicate.* 1 *Cor.* 10. 15. *Omnia probate, quod bonum est retinete.* 1 *Thess.* 5. 21. *Probate Spiritus, an ex Deo sint.* 1 *Joh.* 4. 1. *Scrutamini Scripturas.* *Joh.* 5. 39.

D

juxta

juxta exemplum Berzænsium. Act. 17. 11. Econtra Hobbesius.

I. *Solos Reges Christianos vult esse S. Scripturæ Interpretes.* L. c. 33. p. 182. & c. 42. p. 243.

Quamvis Regibus Christianis, quatenus Christiani sunt, ex officio omnibus Christianis communi, privata sibi, & spiritualis conveniat S. Script. interpretatio. Deut. 17. 18, 19. Jos. 1. 8. Iisque qua Regibus ex officio speciali incumbat, ex S. Script. de veritate Divinâ cognoscere, quo illam in districtu suo admittant, foveant, defendant, & promoveant, ut docet titulus *Nutritiorum Ecclesiæ.* Jer. 49. 23. Et *Ministorum Dci.* Rom. 13. 1-4. Item *Pastorum populi*, sæpe iis in S. Literis attributus; & exempla piorum Regum, *Asæ* 1 Reg. 15. 11-15. *Josaphati* 22. 43, 44. *Joasi.* 2 Reg. 12. 2, 3, 6. *Ezechiz.* 18. 3, 4. *Josiz.* Ib. 22. id quod contra pontificios tuetur reformata Ecclesia. Attamen solis illis omnem competere S. Script. interpretandi auctoritatem, quod Hobbes contendit, quam falsum sit, liquet ex iis, quæ modo de hoc argumento è S. Literis produximus.

Etenim I. *interpretatio S. Script. publica & antecessoria*, publicis in Ecclesiâ Antecessoribus injuncta à Domino, non Regum Christianorum est, aut ab eorum auctoritate dependens, sed illorum duntaxat, quibus illa legitimæ vocationis jure obvenit, ex mero, sub Christo mediatore (unico electæ suæ Ecclesiæ Capite & Rege) ministerio ab illis exercenda, atque à sola illius auctoritate immediatè dependens; nempe publicorum Ecclesiæ Ministrorum. *Matt.* 13. 52. & 16. 19. & 28. 19. 2 *Cor.* 5. 19, 20. & 4. 7. & 3. 6. *Act.* 20. 28. Ex imperio cum potestate coactivâ omnia sua decreta promunt Reges qua tales, à subditis etiam involuntariis observanda. *Rom.* 13. Quod à Regni Christi naturâ, quod totum spirituale est, & in quo solus Chri-

Christus principatum & dominium obtinet, 1 Cor. 8. 6. & omnia religionis judicia suaforia tantum sunt, solis voluntariis imperanda, quam maximè alienum. *Principes*, inquit Chrysoſtomus, *omnia metu & neceſſitate per agunt; hic autem* (ubi nimirum miniſterii Eccleſiaſtici partes ſunt) *opus bonum per electionem & voluntatem fit.* Homil. 15. in 2 ad Corinth. Hinc olim in Synodis cum principes rebus Eccleſiæ tractandis, una cum Episcopis occupati erant, ſi nimis imperioſè agerent, & dictatorum inſtar ſeſe haberent, haud immunes à reprehentione fuiſſe legimus. Refert Suidas, aliquando præſidente inter Episcopos Constantino, cum quicquid hic dixiſſet, illi cum admiratione, applauſuque maximo exciperent, Leontius, Episcopus Tripolis in Lydia, tacitus ſederet, hunc tandem Imperatori, cur ſolus omnium ſileret, interroganti, cum ſingulari *αὐτοκρατορικῶς* reſpondiſſe; *miror, quomodo aliis curandis deſtinatus, alia tractes: militaribus, politicis rebus cum præſis, Episcopis circa ea, quæ ad ſolos Episcopos pertinent, præcepta tradas.* Addit autem Suidas, Imperatorem, pudore affectum, in talibus huiusmodi imperio abſtinuiſſe in poſterum. Suidas in voce *Leontius. 2.* S. Scripturam interpretandi jus ſupremum, *αὐτοκρατορικῶς* non Regum eſt, aut cuiuſqam hominis; ſed (ut modo demonſtravimus) ſolius Dei, ſive Sp. S. in ipſâ S. Script. & per illam in cordibus fidelium, ſenſum S. Scripturæ docentis. 3. Atque *privatam* S. Script. interpretationem, quâ ex officio omnibus Chriſtianiſ communi, fideles omnes ſibi S. Script. interpretari tenentur, juxta loca ſupra citt. ab auctoritate Imperantis, aut ullius hominis non ita dependere, ut iis nefas ſit, de mandatis Imperantium judicare, contra Hobb. ſubjunctis exercitationibus demonſtramus. Faliſſima ergo illa Hobbefiana Aſſertio.

Obj. Quicumque poteſtatem habet legitimam facienti, ut Scriptura aliqua pro lege habeatur, ejus eſt Scri-

pturas S. interpretandi Authoritas. Resp. Sed penes Reges esse potestatem faciendi ut S. Scripturæ sint leges, quod in hac objectione supponit, falsum esse, demonstravimus, Cap. 4. Assert. 2.

II. *Quin ipsos Apostolos, negat, fuisse Scripturarum V. T. Interpretes, ut omnes qui Christiani esse voluerunt, interpretationi illorum obligarentur. Leviath. cap. 42. pag. 243.*

Qui in nomine Christi legatione fungentes, S. Scripturam interpretati sunt, nihilque dixerunt extra Mosen & Prophetas; atque edocti à Spiritu Sancto loquuti sunt, & scripserunt, quæ illis suggestit Spiritus Sanctus; ac proinde non hominem dedignantur, sed Deum ipsum, qui illos, S. Scripturam interpretantes, audire recusant; illi fuerunt sacræ Scripturæ Interpretes, quorum interpretationi omnes, qui Christiani esse voluerunt, in conscientia obligabantur; Sed Apostoli

I. In nomine Christi legatione fungentes, S. Script. interpretati sunt. 2 Cor. 5. v. 20. *Itaque nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo vos precante per nos, rogamus Christi nomine, reconciliamini Deo.* 2. Nihilque dixerunt extra Mosen, & Prophetas. *Nec quicquam dicens (ait S. Paulus) extra ea, quæ Moses, & Prophetæ futura prædixerunt. Actor. 26. 32.* 3. Atque edocti à Spiritu sancto loquuti sunt, & scripserunt. Joh. 14. 26. *Spiritus sanctus vos docebit, & suggeret omnia.* 4. Ac proinde non hominem, sed Deum dedignantur, qui Apostolos, S. Sript. interpretantes, audire recusant: Luc. 10. 16. *Qui vos (meos Discipulos) audit, me audit &c.* 1 Theff. 4. 8. *Qui hæc dedignantur, non dedignantur hominem, sed Deum, qui etiam dedit nobis Spiritum suum sanctum.* Et cur minus olim, qui Christiani esse voluerunt, in conscientia obligati fuerunt V. T. interpretationi, tum viva voce ab Apostolis factæ; quam sese nunc hodie omnes verè
Chri:

Christiani in conscientia obligatos esse profitentur eorundum Apostolorum scriptis *Ἐκκλησιαστικῶν*, ut quæ nihil aliud sunt, quam eorum Scripturæ V. T. interpretatio? dices; quia tempore Apostolorum, eorum interpretatio necdum lex facta fuit à potestate civili. Resp. A potestate civili doctrina Apostolorum lex fieri non potest, quoniam obligans in conscientia: *Ruis enim (ut verè Lactantius) mihi imponat necessitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim non credendi?* lib. 5. c. 13. nam internæ hominum actiones humani imperii materia esse non possunt; sed solius Dei imperio subjacent. Quocirca si nunc à potestate civili non est, quod Christiani se agnoscunt in conscientia obligari doctrinæ Apostolorum; neque ab ejus defectu esse potuit, quo minus olim, qui Christiani esse voluerunt, in conscientia, Apostolorum interpretationi Scripturæ V. T. obligarentur.

Impia ergo & falsa est hæc Hobbesiana assertio de V. T. interpretatione Apostolica.

Obj. *Leges interpretari illorum est, qui actu regnant, id quod Apostoli nunquam fecerunt.* Resp. I. Nemo actu regnat in Ecclesia Christiana, præter solum Christum; proinde, auctoritative sacram Scripturam interpretari, solius Christi est. Sub Christo ministerialiter, etiam illos sacram Scripturam interpretari, qui actu non regnant, quid vetat? Et sic Apostoli interpretati sunt Scripturas V. T.

III Interpretationem sacræ Scripturæ adeo dependere docet, ab authoritate Civitatis, ut nefas sit subditis, de mandatis Principum judicare, utrum consentanea sint sacræ Scripturæ, nec no. C. c. 17. a. 27.

Quoties in difficiliorem locum sacræ Scripturæ, quam ut à nobis examinari possit, inciderimus, intellectum nostrum verbis ipsis jubet, sine examine philosophico, nos subjicere, & captivare.

Quod tum nos facere dicendos esse, ait, quando illis, quorum est de doctrinis statuere, non contradicimus.

Siquidem ita dicit is, cui debeo obedire, obedire me teneri eatenus, ut neque verbo, neque facto dissensum meum patefaciam; ut credam autem non posse cogere.

Subjectionem intellectus non ita intelligi, ac si teneretur aliquis alicujus alterius sententiae consentire: nam sensibus, experientiae, rectae rationi renuntiandum non esse. Lev. c. 32. p. 173, 174.

Quinam Hobbésio sint, quorum est de doctrinis statuere, ex citatis liquet; nempe qui in Civitate Christiana summam habent potestatem. Sed I. Modus ille captivandi intellectum, in explicando difficiliore aliquo loco Scripturae, in sacra Scriptura ignotus est. Duplex ratio *captivandi intellectum*, in fidei negotio, in S. Scriptura reperitur. I. Quando intellectum nostrum ipsi Christo. ejusque doctrinae subijcimus; *Ratiocinationes evertendo, omnemque sublimitatem, quae sese extollit adversus cognitionem Dei: & in captivitate redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo.* I Cor. 10. 5. 2. Quando cuivis homini nos ita obnoxios reddimus, ut in omnibus, quae imperantur, caeca obedientia nos paratos habeant: *ex his sunt illi, qui irrepunt in familias & captivas ducunt mulierculas, cumulas peccatis, atque cupiditatibus variis: semper discentes, sed quae nunquam ad cognitionem veritatis venire possint.* 2. Tim. 3. 6. Huc referre, quem Hobbes docet, intellectum captivandi modum, nihil vetat. Illis, quorum est de doctrinis statuere, non contradicere, non est captivare intellectum; sed os, & linguam. Et contradictio videtur; *sensibus, experientiae, & rectae rationi renuntiandum non esse; & tamen, verbis ipsis S. Scripturae, sine examine philosophico, intellectum suum subijcere.* Est haec assertio Philosophi contra praecipuum Apostoli. I Cor. 6. 23. *Pretio emti estis, ne estota servi hominum.* Ex

Ex hisce quæ ex Hobbessio citavimus, manifestum est; idem jus interpretandi S. Scripturam, quod Pontificii attribuunt Ecclesiæ (Papæ), illum tribuere Civitatî Christianæ, hoc est, Principi Christiano. Quare argumenta, quæ in hoc negotio militant contra Pontificios, etiam huic Nostro opponi possunt. Vide Rivetum *Isagog. ad Script. S. Cap. 20.*

EXERCITATIO I.

Ad Art. 17. cap. 17. de Cive.

An verbum legitimi Interpretis Scripturarum sit Verbum Dei?

SIve, *An Interprete aliquo opus sit extra S. Scripturam, cujus interpretatio ab aliis pro ipso Dei Verbo habenda est.* Nempe, ut nefas sit aliis ad S. Scripturam explorare, an Interpretis illius interpretatio, S. Scripturæ sit consentanea, nec ne? Affirmat Hobbes; nos negamus ex locis supra cit. Nam 1. Interpres aliquis infallibilis S. Script. extra eam hodie nullus datur; verbum autem Interpretis alicujus fallibilis, quisquis fuerit, verbum Dei esse, aut dici nequit, nisi ex hypothesi; videlicet, si Verbo Dei in S. Scriptura sit consentaneum: si enim errare interpretando potest, sequeretur, Verbum Dei esse posse mendacium, quod absit. 2. Verbum legitimi illius Interpretis, aut est Verbum Dei, quod ipse Deus immediatè loquutus est, quod Hobbes appellat *Verbum Dei sensibile*; aut quod acti à Spiritu sancto homines sancti loquuti sunt, quod appellat, *Verbum Dei Propheticum*, aut quatenus Verbum Dei norat doctrinam Christianam (Art. 15. 16. huius cap.) Ast verbum le-

gitimi Interpretis non est Verbum Dei prima significatione; loquimur enim hîc non de ipso Deo, sed homine aliquo Interprete. Neque significatione secunda: nam (juxta ipsum Hobbesium) nemo hominum pro tali Interprete habendus est, nisi se talem probet esse, per miracula & fidem. Ast ubi hodie tales reperias? tertia autem acceptione, nullius Interpretis verbum, sive doctrina Verbum Dei esse intelligi potest, quam ex hypothese, ut dixi. Nam si verbum legitimi Interpretis, hoc est, ut ille intelligit, Principis Christiani, est Verbum Dei, quod absque examine Christiani omnes ut tale tenentur recipere, sequeretur, Verbum Dei esse contradictoria. V. gr. in Eucharistia corpus D. N. J. Chr. per transubstantiationem corporaliter & localiter esse præsens, si Princeps addictus esset Idolomania Pontificia; & simul non esse eodem modo præsens in Eucharistia, ubi Princeps addictus est religioni orthodoxæ; Objicit *Verbi Dei non vocem & literam doctrinae Christ. Canonem esse, sed sententiam veram & genuinam. Hinc sequi duorum alterum; aut verbum Interpretis esse Verbum Dei; aut canonem doctrinae Christ. non esse Verbum Dei.* Resp. I. Non hinc sequitur S. Script. Non posse esse canonem doctrinae Christ., nisi interveniat Interpres aliquis extra Script., cujus judicio tanquam ipsius Dei Verbo standum sit; quamvis enim Verbi Dei non vox & litera doctrinae Christianæ canon sit; est tamen sacra Scriptura per se canon doctrinae Christianæ, ratione sententia veræ & genuinæ, quæ non secus inest S. Scripturæ, neque obscurius, quam in scriptis humanis, quæ à quolibet per se, pro mensura gratiæ, capi potest, & intelligi: nam *testimonium Jehovæ verax est, sapientiam adfert simplici. Præceptum Jehovæ purum est, illuminans oculos.* Ps. 119. v. 8, 9. Ps. 119. 105. 2 Petr. 1. 19. 1 Cor. 2. 15. 2. Nec verbi Interpretis vox & litera per se canon esse potest,

do-

doctrinæ Christianæ magis, quam vox & litera S. Scripturæ. Urget. *Non regitur animus per Scripturas nisi intellectas; Scripturis igitur, ut fiant canon, Interprete opus est.* Resp. Hoc intelligi potest. 1. Vel quod ipsa perceptio S. Script. per se sit ratio formalis, quare S. Script. canon dici debeat. 2. Vel quod sit conditio, sine qua non; prius falsum est: nam S. Script. canon dici nequit, nisi quatenus ab omni errore immunis est; sed ab eo immunis non est, quatenus intelligitur nobis; sed quatenus ab ipso Deo emanavit. Posterius quidem verum est, sed inde non sequitur, extra S. Script. aliquo Interprete opus esse, cujus interpretatio ab aliis absque examine pro Verbo ipsius Dei habenda est. Instat; *Aut Verbum Interpretis esse Verbum Dei; aut canonem doctrinæ Christianæ non esse Verbum Dei; at hoc posterius falsum esse. Prius igitur verum esse; nempe, Verbum Interpretis Scripturarum esse Verbum Dei.* Resp. Utrumque esse potest; subordinata non pugnant. Posterius (nempe canonem doctrinæ Christianæ, seu S. script. esse Verbum Dei) necessariò & absolutè; prius autem duntaxat ex hypothese, si S. Script. (canoni doctrinæ Christianæ) consentiat: nam præter S. Script. seu Sp. S. in Sacris loquentem, nunc Interpretem infallibilem nullum habemus, omni exceptione majorem: *Possunt enim homines errare, possunt etiam S. Script. ad ambitionem suam inflectere; vel in servitutem præjudiciis suis trahere, etiam repugnantem; unde sequetur, habendam esse sententiam erroneam pro Verbo Dei, si, inquit ipse, Interpretes Script. canonicus unusquisque est, qui commentarios in eam scribit.* Ast idem incommodum, quis non videt, sequi debere, si Verbum legitimi Interpretis (uti loquitur) sive Principis, S. Script. interpretantis (uti intelligit) absolutè, coeca obedientia, absque examine, pro Verbo Dei habendum sit?

EXERCITATIO II.

Ad Art 27. Cap. 17. de Cive.

An interpretatio S. Script. adeo pendeat ab auctoritate Civitatis, ut nefas sit subditis de mandatis Principum judicare?

Quid hinc statuendum, liquet ex præcedentibus, neque necesse putamus veram, atque orthodoxam sententiam argumentis adstruere, id quod contra Pontificios plus satis jam pridem factum; sed quam paucis, quæ Adversarius in contrarium profert, diluemus. I. igitur sic argutatur; *si interpretatio S. Script. ab auctoritate civili non pendeat, dependere eam oportet, vel ab arbitrio singulorum civium, vel ab auctoritate externa; sed neutrum dici potest. Ergo &c.* Quasi S. Script. interpretatio, nisi ita pendeat ab auctoritate civili, ut nefas sit subditis de mandatis Principum judicare, ideo illa dependere deberet vel ab arbitrio singulorum civium, vel ab auctoritate externâ: nam à nullâ auctoritate humanâ proprie, sed à solâ ipsius S. Scripturæ, aut ipsius Dei, in illâ loquentis, ita absolute dependet omnis S. Scripturæ interpretationis auctoritas. Etenim neque ipse Christus, secundum humanitatem, & voluntatis æconomiam consideratus, quamvis esset *ἀπόστολος*, infallibilis, & ab omni errore immunis; neque S. Apostoli, quamvis *ἡγεμόνες*, tantum sibi arrogarunt, ut S. Scripturæ interpretationem tam absolute à suâ auctoritate pendere voluerint; sed doctrinas suas ad S. Scripturas, tanquam ad Lydium lapidem, examinari. Joh. 5. 39. *Scrutamini scripturas* &c. Item

1 Cor.

I Cor. 2. 15. I Cor. 10. 15. & II. 13. I Thess. 5. I Iob. 4. 1. Unde nullâ hominum authoritate cogi possumus, aut debemus, ad recipiendam doctrinam S. Scripturæ non consentaneam. Sed objicit; nisi tam absolutè S. Scripturæ interpretatio pendeat ab auctoritate civili, consequutura inde sunt incommoda, & absurda; quorum præcipuum est, quod non modo omnis tolleretur (contra præceptum Christi) obedientia civilis; sed etiam omnis societas & pax humana (contra leges naturales) dissolveretur. Resp. ex judicio discretionis, quod locis citatis constat competere singulis fidelibus, per se aut obedientiam civilem, ad quam præcepto Christi obligamur, tolli; aut pacem humanam, quam dicunt leges naturales, dissolvi, negamus: nam præcepto Christi Magistratui obligamur quidem; sed usque ad aras; dare Deo, quæ Dei sunt; & Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Matt. 22. 21. Deo obedire magis, quam hominibus. Act. 5, 39. Et qui amat, inquit Christus, patrem, aut matrem, aut quamvis potestatem superiorem, supra me, non est me dignus. Matt. 10. 37. Leges etiam Divinæ & naturales jubent nos quidem paci operam dare, verum salvâ veritate, & justitiâ. Zach. 8. 19. Ps. 85. 11. Si contingat, pacem & societatem humanam dissolvi, tum hoc non est per se à Judicio discretionis, quod de doctrinâ religionis singulis deberi diximus; sed per accidens ignorantiz, & malitiæ humanæ. Quo sensu ait Dominus; ne existimate, me venisse immissurum pacem in terram, non veni immissurus pacem, sed gladium. Matt. 10. 34. Verum instat; cum Script. S. singuli interpretentur sibi, id est, unusquisque judicem se faciat, quid Deo placeat, quid displiceat, non ante Principibus obedire possunt, quam ipsi de mandatis eorum, utrum conformia sint Scripturæ nec ne, judicaverint. Sic est: cum enim quicquid ex fide non est peccatum sit, nec Deo placens,

Rom.

Rom. 14. 23. Hebr. 11. 6. Nullam possumus Principibus præstare obedientiam, quæ Deo placeat, de quâ persuasi non sumus ex ipsâ S. Script. quod non fit contra obedientiam, quam supra omnes Deo debemus. Urget; *sed hinc fiet, ut vel non obediant, vel obediant propter iudicium proprium, hoc est sibi obediant, non Civitati; tollitur ergo obedientia civilis.* Resp. Non sequitur: nam. 1. siquidem ille, qui *leges naturæ (quantum in se est) conatur implere, justus est.* De Cive c. 3. a. 3. quâ minus obediens subditus ille, qui, quantum in se est leges civiles conatur implere? id autem ille facit, qui quamvis detrectet obedire casu, quo deprehendit mandatum Principis legi Divinæ esse contrarium, tamen in reliquis omnibus Principi suo obedire paratus est, tum faciendo quod ille mandaverit, mandato Dei non contrarium; tum patiendo, si non potest agendo illud, quod illius conscientia, rite ex S. Scripturâ informata, dicitur esse contra præceptum Dei. 2. Obedientia nulla est voluntaria, uti esse oportet, quæ non procedit ex iudicio intellectus practici; causa autem quare iudico, Principi meo hîc & nunc parendum esse, est: quia ab illo mandatum intelligo, cui obedire teneor; teneor autem: quia quod ab ipso mandatum intelligo, non est Verbo Dei contrarium. Ergo ineptè dicuntur sibi obedire, non Civitati, qui, intercedente suo privato iudicio, obediunt: nam quis unquam obedit, aut obedire potest mandato sui Principis, nisi quia obediendum iudicat, hoc est, propter iudicium suum privatum? eo ergo si tollatur obedientia civilis; tum obedientiâ civili obedientia civilis tolleretur; quo quid absurdius? Et si cives propter iudicium Principis obediunt Verbo Dei, an tum obediunt Principi, non Deo; eoque tollitur obedientia Divina? quod non dicet. *Rursus, inquit, cum unusquisque propriam sequatur sententiam, necesse est, contro-*
versas;

versias, quæ oriuntur, innumerabiles fore, neque determinabiles: unde inter homines (qui naturâ suâ dissensionem omnem habent pro contumeliâ) nascetur primo odium, deinceps jurgium, & bellum, atque ita periret omnis societas & pax. Resp. 1. Omnem perituram societatem & pacem, nisi subditi cœcâ obedientiâ recipiant, quæcunque à Civitate credenda, & facienda proponuntur, redarguit experientia in multis Civitatibus Christianis, in quibus subditis libertas conscientiæ permittitur. 2. Odia, jurgia, bella oritura, causâ Evangelij, prædixit Servator, *Matt. 10. 34.* Sed, horum causâ per se non est judicium discretionis singulis permittendum in causâ religionis, sed hominum ignorantia & malitia. 3. Nulla controversia in præcipuo quovis capite religionis oriri potest inter homines, quæ non actu in S. Scripturâ est determinata: nam illa est divinitus inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam, quæ est in Iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus. *2 Tim. 3. 16, 17.* Falsum ergo, si unicuique judicium privatum discretionis permittatur in negotio religionis, tum controversias, quæ oriuntur, fore indeterminabiles. *Habemus*, pergit, præterea in exemplum id, quod sub lege veteri circa librum legis observari voluit Deus; nimirum scribi quidem, publice haberi, & Canonem doctrinæ Divinæ esse voluit: sed non inde à singulis, sed à solis Sacerdotibus definiendi controversias. Resp. 1. Sacerdotes non habuerunt in Civitate Judæorum supremam potestatem politicam. 2. Iudicium illud Sacerdotum publicum & antecessorium privatum discretionis non exclusit: nam si librum legis voluit Deus scribi, publicè haberi, & Canonem doctrinæ esse; ergo etiam à singulis voluit legi, atque inde, quid sibi credendum & faciendum esset, judicari. *Deut. 6. 6-9. Ies. 8. 19, 20. Iob. 5. 39.*

Deni-

Denique, inquit, *præceptum Servatoris nostri est, ut siquid oriatur offensionis inter singulos, ut audiant Ecclesiam. Itaque Ecclesiæ munus est controversias determinare. Non ergo singulorum, sed Ecclesiæ est Scripturas S. interpretari.* Resp. 1. Non agitur ibi de controversiis fidei; sed privatis offensionibus. 2. Ecclesia (quod gratis supponit) non est Civitas, sive Imperans. 3. Iudicium Ecclesiæ publicum, antecessorium, decisivum non excludit iudicium privatum, consequens, & discretivum singulorum. Quare illud præceptum Servatoris ad rem non facit.

Huc etiam pertinet, quod obiicit (Leviath. c. 40. p. 220.) *Sicuti, inquit, solus Abrahamus in familia sua, ita is solus, qui summam in Civitate Christiana habet potestatem, scire supponitur, quid sit id, quod Deus loquutus est.* Ubi 1. falsum, solum Abrahamum in familia sua scivisse, quid Deus loquutus sit; ut liquet in Hagara, ancilla Abrahami. Gen. 16. 7. & 21. 17. & in Sara, illius uxore. Gen. 18. 10. Deinde 2. alia est ratio Abrahami, alia eorum, qui in Civitatibus Christianis summam habent potestatem: nam ad Abrahamum Deus immediatè loquutus est; at Deus hodie non solet ita loqui ad Principes Christianos.

Objicit denique Exod. 19. 20, 21, 24. (*Constitues terminos populo per circuitum &c.*) unde liquere, ait, illum, qui in Civitate Christiana locum habet Mosis, solum esse Nuntium à Deo, & mandatorum eius solum Interpretem. Neque in interpretatione S. Script. cuiquam licere terminos transcendere, à summo Imperante constitutos. Solum Mosen fuisse mandatorum Dei interpretem, falsum esse liquet, Deut. 17. 8. &c. ubi illam provinciam Sacerdotibus demandatam fuisse legimus. Vide etiam Mal. 2. 7. Atque alibi ipse, *sub lege veteri, docet, circa librum legis voluisse Deum, à solis Sacerdotibus definiiri controversias.* De C. c. 17. a. 17. Jam
notum,

notum, non Mosen, sed Aäronem fuisse summum Sacerdotem. Neque quod intendit, liquet loc. cit. nam per montem Sinai intelligendam esse S. Script. & per terminos, quos ad montem Sinai populo constituere Deus Mosen iusserat; quosque populo fas non esset transcendere, intelligendas esse leges eorum, qui personam Dei in terra repræsentant, quas interpretari eo mandato Deus populo, aut alii alicui, præter Mosen prohibuisset, non fingendum, sed probandum erat. Neque valet consequentia à Mose ad omnes illos, qui in Civitate Christiana summam habent potestatem: Ille enim in omnibus immediata & supernaturali Dei revelatione gaudebat, idque speciali modo, qui nunquam contigit ulli homini. Num. 12. Non ita Principes, aut Magistratus Christiani.

C A P U T VII.

Specimina quedam interpretationis Hobbesianæ.

Quamvis doceat Hobbesius, solos Reges Christianos esse S. Script. interpretes (nempe, vel per se, vel per Doctores Ecclesiæ) ut nefas sit subditis, de mandatis illorum judicare; quin ipsos Apostolos non fuisse S. Script. V. T. interpretes, ut omnes, qui Christiani esse voluerunt, interpretationi illorum obligarentur; ut *cap. præced.* visum est; illum tamen ipsum videmus, quamvis neque Rex esset, neque Apostolus, neque Ecclesiæ Doctor; sed Philosophus, passim in Scriptis suis S. Script. interpretandi auctoritatem in se recipere. Sed quam lepidè in eo versatur! V. gr. ut de multis pauca.

I. Gen. 1. 2. (*Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*) per Spiritum Domini intelligitur ventus: nam si intelli-

telligatur Deus (nempe Sp. S. quem ipsum Deum esse credimus) motus Deo, & per consequens locus attribuitur, quæ de incorporeis intelligi non possunt. L. c. 34. p. 184.

Ubi. 1. Immemor, quod ipse Deum incorporeum esse, alibi passim negaverit. *Lev. c. 46. p. 320. App. c. 1. p. 345. & c. 3. p. 360, 361.* Et 2. quasi non ipsi Deo, quamvis incorporeo, sæpissimè in S. Literis motus & locus improprie attribueretur. V. gr. *Gen. 11. 5. Descendit Jehova ad videndum urbem illam: dixerat enim Jehova; agedum descendamus.* 3. aut quasi Spiritus Domini ibi super aquas ferri diceretur, uti oleum super aquam, vel aqua super terram; non; sed vi quadam effectoria & fabricatoria, sicut (ait August) voluntas artificis fertur supra lignum, vel quamvis rem aliam subjectam ad operandum. 4. per Spiritum illum alius Spiritus intelligi nequit, quam per quem omnia in principio facta sunt, juxta illud, *Pf. 104. 30. Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem humi.* & *Pf. 33. 6. Iob. 33. 4.* qui procul dubio est ipse Deus. 5. Per Spiritum ibi ventus intelligi non potest: quia tum aer, sine quo ventus esse non potest, necdum creatus erat.

II. *Gen. 2. 15. (Non comedes de arbore scientiæ boni & mali) hoc est, non judicabis de mandatis Superiorum. C. c. 12. a. 1. & c. 16. a. 2. Lev. c. 20.*

Quasi non liceret judicare de mandatis hominum, utrum justa sint, vel injusta: quia sic de mandatis Dei judicare nefas; atque hoc illo mandato prohiberetur.

III. *Ex Luc. 10. 16. ubi Christus discipulis (qui vos audit, me audit &c.) inferri posse ait, eum, qui Regem suum Christianum audit, audire Christum. L. c. 42. p. 268.*

Quod ex illis verbis extorqueri nequit, nisi supponas, aut ipsos Christi Discipulos, quos ad Prædicandum

dum Euang. misit, fuisse Reges Christianos aut Reges Christianos illis verbis à Christo fuisse missos ad prædicandum Euang. vel per se, vel per alios. Quo quid absurdius?

IV. 2 Chron. 35. 21, 22, 23. *Verbum Dei poni*, inquit, *pro verbis æquitatis & rationis: quia Pharao Necho, qui Verbum illud protulit, fuit Idololatra, non Vir sanctus.* L. c. 36. p. 196.

Quasi Deus nunquam verbum suum revelasset supernaturaliter & immediate Viro non sancto. V. Gr. Viri sancti non fuerunt Abimelechus, Laban, Bileam, Cajephas, quibus tamen Deus immediate loquutus est. Gen. 20. & 31. Num. 23. Job. 11. Et Auctor Chronicorum, Pharaonem verba illa ex ore Dei loquutum fuisse, disertè testatur. v. 22.

V. *Multis locis, Verbum Dei, ubi in cordibus hominum scriptum dicitur, sumi pro dictamine rectæ rationis.* Huc refert. Ps. 37, 31. Jer. 31. 33. Deut. 30. 11, 14. Ibid. Et de C. c. 4. a. 2.

Resp. 1. Locis cit. intelligitur Verbum Dei, in S. Scripturâ revelatum, quod cordibus electorum per gratiosam Sp. S. regenerantis operationem à Deo inscribi dicitur; *non atramento*, inquit Apost. *sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in carnis tabulis cordis.* 2 Cor. 3. 3. Non secus, ac de Lydiâ dicitur, quod *Deus aperuit ejus cor, ut attenderet iis, quæ à Paulo dicebantur.* Act. 16. 14. 2. Speciatim loco ex Deut. cit. intelligitur Verbum Dei, quod per Mosen Deus populo Israëlis supernaturaliter revelavit; quod Apost. Rom. 10. 6. de doctrinâ justificationis peccatoris per fidem Jesu Christi interpretatur. 3. Loco ex Jerem. cit. loquitur Deus de foedere novo, sive gratiæ, quo legem suam promittit inscribere cordibus electorum. Sed dictamen rationis naturalis est omnium hominum. Rom. 2. 15. pertinet ad foedus le-

gale, non gratiæ; & quid est, dictamen rectæ rationis cordibus inscribi?

VI. *Quid respondebimus, quærit, ad verba Servatoris Nostri (quicumque negat me &c.?) respondet; qui hoc jussus facit à Rege, non illum esse, sed Regem suum, qui negavit Christum. L. c. 42. p. 234.*

Quasi Christus illis verbis Christianis concessisset libertatem se negandi, qui hoc faciunt jussi à Rege; cum disertè Servator illis verbis alloquatur fideles quosvis, ad Præfides ac Reges ducendos, flagellandos, necandos propter nomen suum; prohibeatque omnem metum hominum, & pudorem nominis sui; quæ utique præceptum Superioris, mandato Christi contrarium, præsupponunt. Minatur ergo Christus, se negaturum illum, qui jussus à Rege, ipsum negaverit. Nam si Rex fidelis est, neminem, inquit ipse, cogit Christum negare. L. c. 43. p. 288. Sin infidelis, illum docet, Christum negando, non peccare: nam qui doctrinam Christi recipere noluerunt, eo nomine peccavisse, nusquam legi. Ib. c. 42. p. 248. Quare aut Regi imputandum non esset, si quis, jussus à Rege infideli, Christum negaret, sed Christum neganti; aut Regi imputari deberet id, quod si ipse faceret, non peccaret.

VII. *Judæorum Thessalonicensium aliqui crediderunt, aliqui non, Paulo Script. V. T. interpretanti (Act. 17. 2, 3. Quare autem hoc? quia, inquit, ad eos accessit Paulus sine omni mandato civitatis. Lev. c. 42. p. 242.*

Quasi, si Paulus ad eos accessisset cum mandato Civitatis, tum omnes credidissent. Aliam hujus rei causam assignat S. Script. Matt. 13. 11. *Vobis datum est nosse mysteria Regni celorum, illis autem non est datum. Matt. 11. 25. Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam. Act. 13. 48. Quis te decernit? quid habes, quod non receperis? 1 Cor. 4. 7. Vide etiam Matt.*

Matt. 16. 17. Rom. 8. 7, 29, 30, &c. & 9. 11 — 18.

VIII. *Crede in Iesum Christum nihil aliud esse, quam credere, Iesum esse Christum.* L. c. 43. p. 284. de C. c. 18. a. 5.

Sed omnes servandos esse, qui credunt in Iesum Christum, liquet Joh. 3. 36. *Qui credit in filium, habet vitam eternam.* Sed plurimi sunt, qui credunt Iesum esse Christum, & tamen damnabuntur, ut liquet in Diabolis, Marc. 5. 7.

IX. *Abrahamum post diluvium, unum esse Deum Creatorem universi, primum docuisse;* citatque Iosephum *Antiq. L. i. c. 7.* de C. c. 16. a. 1.

At loco citato nihil tale legitur; sed cap. 15. de sapientiâ Abrahami scribit; *eum virtute & prudentiâ majorem aliis fuisse. Et opinionem, quam de Deo cuncti habebant, immutare, & innovare prævaluisse. Primus itaque præsumpsit, inquit, pronuntiare, Deum Creatorem unum esse cunctorum.* Quæ verba Iosephi intelligenda esse non simpliciter & absolutè de omnibus hominibus post diluvium, scire potuisset ex historiâ Melchisedechi; & quod idem Auctor, ante Abrahamum post diluvium, etiam Noachum idem & credidisse, & docuisse testatur. *Ibid. c. 6, 7, 8.*

X. *Quod in illa genitum est, à Sp. S. est.* Matt. 1. 20. quærit; *nunquid ergo Sp. S. est Filij Genitor, id est, Pater?* Respondet; *Nonne Sp. Dei est Deus, & idem Deus cum Patre, & Filio?* App. c. 1. p. 333.

Ac si dicerem, an non etiam Filius Dei est Deus, & idem Deus cum Patre & Sp. S. atque inde concluderem, Filium esse sui ipsius Genitorem, id est, Patrem. Ex quasi genitum aliquid ab aliquo, qui tamen Pater non est, dici non posset. V. Gr. Sol & homo generant hominem; an ideo Sol est hominis Genitor, sive Pater?

XI. *Ies. 11. 2, 3.* (*Et requiescet super ipsum Sp. Domini,*

mini, Spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, Sp. constituit &c.) non intelligi ait totidem spectra, sive substantias incorporas; sed gratias excellentes, in illo à Deo collocandus. L. c. 34. p. 184.

I Sam. 19. 27. *Per Sp. Domini, qui venerat super Saul, non spectrum intelligi, sed subitum & improvisum Dei colendi Zelum. Ibid. p. 185.*

Quasi Sp. S. qui unus ratione variorum donorum, & operationum ita nominatur, protinus esset spectrum, hoc est nihil, nisi esset corporeus & materialis.

XII. *Ezech. 2. 2. (Ingressus est in me Spiritus, postquam loquutus est mihi, & statuit me super pedes meos) id est, Inquit, recepi robur vitale, non quod ingressus sit in illum incorporea aliqua substantia. Ibid.*

Ubi non animadvertit, Prophetam dicere, si recepisse robur vitale; sive statutum esse super pedes suos à Spiritu sc. Dei, qui ingressus erat in illum, aut incorporeâ suâ substantiâ, si per Sp. Dei ibi intelligamus Angelum; vel si Spiritum S. non quidem incorporeâ suâ substantiâ, sed ratione suæ operationis in Prophetâ. Atque *Ezech. 3, 24.* expressè dicitur idem ille Spiritus Propetæ loquutus fuisse; quod de robore vitali intelligi non potest.

XIII. Num. 11. 17. *(Auferam de Spiritu tuo, tradamque eis (nempe 70 Senioribus) ut sustentent tecum omnis populi &c.) Et Deut. 34. 9. (Josua filius nunc repletus erat Spiritu sapientiæ &c.) Spiritum pro auctoritate sumi. Ibid.*

Cum tamen Num. 11. 25. De eodem Spiritu dicitur, quod cum nequiesciet in illis 70. Senioribus, illi per illum Spiritum Prophetarent; nempe Spiritus Sancti instructi. Et Deut. 1. cit. Spiritus ille, quo plenus erat Josua appellatur *Spiritus sapientiæ*; an Josua plenus erat auctoritate sapientiæ? quid hoc?

XIV. Rom. 8. 9. *(Siquis Spiritum Christi non habet,*

habet, non est ejus) per Spiritum Christi non intelligi, ait, phantasma Christi, sed doctrinam Christi. Ibid.

Quasi, nisi per Spiritum Christi intelligatur doctrina Christiana, necessario phantasma Christi intelligendum esset. Idem ille Spiritus Christi appellatur Spiritus Dei, qui Jesum excitavit ex mortuis. vers. 11. Quod de doctrina Christiana intelligi nequit, bene de Spiritu Sancto, qui Spiritus Christi appellatur v. 9. quia ab illo procedit, & mittitur. Job. 15. 26.

XV. Luc. 4. 1. (*Iesus plenus Spiritu sancto*) verba illa pro zelo perficiendi opus, quod ipsi à Patre suo mandatum erat, intelligere facile esse. Sed de Christo dicere, quod plenus erat substantia incorporea duriusculum. Ibid. pag. 185.

Quasi cum Deus dicitur *cælum & terram implere, Jer. 23. 24. Et plenitudo Deitatis in Christo habitare, Coll. 2. 9.* hoc de substantia incorporea intelligere minus duriusculum esset, quam illud; *Iesus plenus Spiritu sancto.* Aut quasi non duriusculum esset, illa intelligere de substantia corporea & materiali; quod meminisse oportuit, qui ipse negat, *vacuum dari in rerum natura;* atque *duo corpora simul esse posse in eodem loco. Phys. c. 26. a. 2. Philos. prim. c. 8. a. 8. L. c. 3. p. 13. Et c. 46. p. 321.* Per Spiritum ibi intelliguntur dona in Christum à Deo per Spiritum sanctum collata, quæ metonymice Sp. S. appellantur: quia sunt à Sp. S., quæ utique non substantiæ sunt, sed accidentia. Hoc sensu si Christus dicatur plenus fuisse Sp. S. quid in eo duriusculum magis, quam si verba illa intelligantur pro zelo perficiendi opus, quod illi à Patre suo mandatum erat?

XVI. 2 Petr. 1. 21. (*Sp. S. inspirati loquuti sunt S. Dei homines*) Per Sp. S. intelligi, ait, *vocem Dei in somnio, vel visione supernaturali. L. c. 34. p. 189.*

Qui tamen alibi, præterquam per somnia & visiones

nes sup̄naturaless, fatetur, Deum Prophetis voluntatem suam revelasse etiam per inspirationem, sive afflatum Divinum. *De Cive* c. 15. a. 3. Quod ubi disertius legitur in S. Script. quam loc. cit. ?

XVII. Gen. 2. 7. *Per spiraculum vitæ, hoc tantum significari, Deum illi dedisse vitam.* *Leviath.* c. 34. pag. 185.

Cum Deus dicitur sufflasse in nares hominis spiraculum vitæ, amplius significari constat, quam quod de brutis dicitur; *abunde progignunt aquæ reptilia animantia.* Hebr. *reptile, animam viventem.* Gen. 1. 20. Nimirum animas brutorum ex prævia materia (aquis nempe) esse productas; non sic animam hominis; sed ex nihilo illam à Deo in homine creatam esse. *Zach.* 12. 1. *Pf.* 33. 15. *Eccl.* 12. 7. Hebr. 12. 9. *Abt.* 17. 28.

XVIII. *Animam nihil aliud significare in S. Script. præter ipsum animal, aut vitamejus.* Ibid.

Ergo quod Christus dicit; *corpus possunt occidere, non animam.* Matt. 10. 28. significaret; non possunt animal occidere, aut vitam ejus. Quid ineptius ?

XIX. *Angelos vocari, dicit in Script. Spiritus, hoc est, esse phantasmata.* Lev. c. 34. p. 186.

Ergo Apostolus dicens, *Filium Dei non assumfisse Angelos,* Hebr. 2. 16. significaret, non assumpsisse illum phantasmata. Et Christus dicens de *Angelis parvulorum, quod in cælis per omne tempus vident faciem Patris cælestis.* Matt. 18. 10. significaret, phantasmata parvulorum videre faciem Patris cælestis. Absurdè, & ineptè !

XX. *Cur, quærit, sanat Servatoreos (Dæmoniacos) non, ut insanos, sed ut Dæmoniacos ?* respondet; *argumenta, quæ à formulis dictionis petuntur, firma non esse: quoties enim, inquit, loquitur Scriptura de terra ut immobili ? quam tamen Philosophi hodie fere omnes moveri censent signis evidentissimis.* L. c. 8. p. 41.

Si

Si credendum Philosophis, contra S. Script. censentibus; & argumenta, à formulis dictionis in S. Script. petita, firma non sunt; quid tum firmum erit in tota S. Script. ? nam omnis veritas S. Script. formulis dictionis continetur.

XXI. *Deum Abrahami non significare*, ait, *simpli- ter Deum; sed Deum illi apparentem*. De Cive cap. 16. a. 4.

Quasi præter Deum, qui apparuit Abrahamo, esset alius Deus. Aut Deus illorum omnium Deus fuisset illo sensu, quo Abrahami Deus esse dicitur, quibus apparuit. Aut non esset illorum Deus sensu, quo Abrahami Deus dicitur, quibus sic nunquam apparuit. Præter Deum Abrahami non est alius Deus; *audi Israel* (inquit Moses) *Jehova Deus noster Jehova unus est*. Deut. 6. 4. Et beati pronuntiantur, quorum Jehova Deus est. Ps. 33. 12. Sed quis dicat, beatos esse omnes, quibus Deum apparuisse legimus? V. gr. apparuit Deus Caino, Gen. 4. Abimelecho. Gen. 20. 3. Labano. Gen. 31. Et Jehova omnium electorum & fidelium Deus esse dicitur, uti Abrahami Deus, quibus tamen non ita apparuit. Ier. 31. 33. 2 Cor. 6. 16.

XXII. *In oratione Dominicâ (veniat Regnum tuum) nos petere restitutionem Regni Dei, quale olim fuit in populo Israelitico à tempore Mosis usque ad tempus electionis Regis Saul*. L. c. 35. p. 192.

Resp. 1. Petere restitutionem Regni alicujus politici, quale olim fuit Regnum populi Israelitici à tempore Mosis &c. est Civitati suæ reformandæ studere; sed hoc docet, primo præcepto prohiberi. *Leviath. c. 30. p. 159*. Hoc ergo si in oratione Dominica peteremus, tum in oratione Dominica precaremur, quod in primo Decalogi præcepto prohibemur. 2. Aliquando Regnum Dei restituendum esse (sc. novissimo die) quale olim fuit in populo Israelitico à

tempore Moſis uſque ad electionem Regis Saul, atque illud iſta precatione peti, nempe adventum Regni alicujus politici hac in terra: negamus: nam *Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo.* Joh. 18. 37. Et Chriſtus interrogatus à Phariſæis, *quando venturum eſſet Regnum Dei*, reſpondit; *non veniet Regnum Dei, ita ut obſervari poſſit* (uti Regna hujus mundi) *neque dicent; ecce hic, aut ecce illic: ecce enim Regnum Dei* (non, inquit, demum veniet poſt reſurrectionem; ſed jam modo) *intus habetis.* Luc. 17. 20, 21.

XXIII. *Verba hæc (vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me; reſpice te, & baptizaminis ſerva mandata; crediti Euangelio) conſilia eſſe, non præcepta.* L. c. 25. p. 126. de C. c. 17. a. 9.

Ipſe conſilium & legem differre docet (de C. c. 14. a. 1.) 1. Quod lex ſit ejus, qui poteſtatem habet in eos, quibus præcipit; conſilium ejus, qui poteſtatem non habet. At hæ formulæ ſunt præcepta ejus, qui poteſtatem habet in eos, quibus præcipit: ſunt enim Dei. 2. Facere quod lege præcipitur officii eſſe dicit, quod conſilio, arbitrii eſſe. At poenitere, baptizari, mandata ſervare, Euangelio credere officii ſunt, non arbitrii. *Matt. 28. 19. Marc. 16. 16. Luc. 13. 3, 3. Pſal 119. 4. I Job. 3. 23.*

XXIV. *Non omnem occiſionem hominis innocentis ſexto præcepto prohiberi: voviſſe enim Jephtham (quicumque fuerit egreſſus, cum holocauſtum offeram Domino. Jud. 11. 31.) & votum ejus Deo acceptum fuiſſe.* De C. c. 17. a. 10.

Hominem holocauſtum offerre, Deo gratum non eſſe, conſtat. *Deut. 18. v. 10.* Non ergo Jephth hoc vovit.

XXV. Joh. 18. 37. (*Regnum meum non eſt hujus mundi*) *hoc eſt* inquit, *ante reſurrectionem futurum non eſt.* L. c. 41. p. 227.

Quaſi

Quasi Christus à Pilato interrogatus, num esset Rex Judæorum, dixisset, se necdum Regem esse, sed demum futurum novissimo die, post resurrectionem. Non; sed quia Pilatus intelligebat de Regno mundano, negat Christus, Regnum suum esse hujus mundi, hoc est, mundanum, qualia sunt Regna hujus mundi; sed spirituale omnino, & cœleste esse testatur. Vide *Luc. 17. 20, 21. Assert. 22. cit.*

XXVI. *Fidem solam justificare, quatenus Deus voluntatem pro ipso opere tantum eorum accipit, qui credunt in Christum. L. c. 43. p. 288.*

Cum Apost. disertè neget, ullum hominem ex operibus legis justificari, *Gal. 2. 16. Rom. 3. 20 — 28.* & nusquam de fidelium voluntate, in hac materia, pro ipso opere accipienda loquatur S! Scriptura.

XXVII. *Matt. 18. 17. (Dic Ecclesiæ) Ecclesiam significare, docet, cœtum civium, à Magistratu ad concionem publicam evocatorum secundum leges. L. c. 39. pag. 218.*

Tum hoc (*dic Ecclesiæ*) locum habere non posset, ubi cœtus Christianus degit sub Magistratu, à religione Christiana alieno; aut omnis cœtus civium etiam non Christianorum, à Magistratu ad concionem publicam evocatorum secundum leges, esset Ecclesia, de qua l. cit. Absurdè!

XXVIII. *Quando Propheta loqui dicitur per Spiritum Dei, intelligi debere, ait, ita illum loqui, ut Deus per Prophetam suum summum loqui illum jussit. Uri Num. 11. 25. (prophetarunt per Spiritum Mosis) hoc esse, sicut voluit Moses. Leviath. cap. 36. p. 200. & pag. 196.*

Per Prophetam summum intelligit Magistratum. Quocirca si Propheta dicitur loqui per Spiritum Dei, quando loquitur, prout Deus per Prophetam sum-

num, hoc est, Magistratum loqui illum iussit, tum aut Magistratus dicendus esset Spiritus Dei esse, quod blasphemum; aut falsum, hoc sensu Prophetam dici loqui per Spiritum Dei.

XXIX. *Id quod dicitur de igne, & cruciatibus æternis, intelligendum esse tantum usque ad finem sæculi.*
L. c. 44. 300.

Cum disertè dicat S. Scriptura, cruciatus impiorum duraturos in sæcula sæculorum, non ad finem sæculi. βασιανιδήσουται, εις τους αιῶνας τῶν αιῶνων. Apoc. 20. 10.

LOCUS QUARTUS.

CAPUT VIII.

De Articulis Fidei fundamentalibus.

Quamvis nihil in S. Scriptura revelatum absque aliquo dispendio ignorari queat: nam *omnis Scriptura Divinitus inspirata, & utilis ad doctrinam &c.* 2 Tim. 3. 16, 17. *Et quæcumque antea scripta sunt, ad nostram instructionem præscripta sunt,* Rom. 15. 4. contra ac Sociniani volunt, fingentes quædam dari in S. Script. *levioris & nullius momenti;* varia tamen in ea occurrunt, quæ sine salutaris fidei ac resipiscentiæ, & consequenter æternæ salutis jactura à nobis ignorari, & non credi non possunt, qui *Articuli fidei fundamentales* (uti errores iis oppositi *αἰρεσεις ἀπωλείας, errores exitiales.* 2 Pet. 2. 2.) communiter dici solent, item *Articuli fidei Catholici,* ut qui universis salvandis scitu & creditu ad salutem

ne-

necessarii sunt. Cujusmodi saltem, omnium Christianorum consensu, omnes sunt articuli Symboli Apostolici; de quibus Athanasius; *Quicumque, inquit, vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem: quam nisi integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Econtra Hobbesius.

I. *Unicum tantum, fingit, articulum fidei ad salutem æternam esse necessarium, puta, Iesum esse Christum.* L. c. 43. p. 283. de C. c. 18. a. 6. &c.

Sed quoniam credere, Iesum esse Christum, nemo potest, qui, cum sciat per Christum intelligi Regem illum, qui a Deo promissus est per Moſen & Prophetas in Regem & Servatorem mundi, non credat etiam Moſi & Prophetis; neque credere his possit, qui non credit, Deum & existere, & mundum gubernare; necesse esse, ait, in fide hac N. T. contineri etiam fidem illam de Deo, & de V. T. C. c. 18. a. 11.

Nihil ergo Christianis ad salutem scitu & creditu necessarium esse statuit, præter hæc; *Deum & existere, & mundum gubernare; & in Script. V. T. Christum a Deo per Moſen et Prophetas promissum esse in Regem et mundi Servatorem; & J. esse illum Christum.*

Ait quidem, *in illo Articulo Iesum esse Christum, alios articulos contineri, imo totum Symbolum Apostolicum; negat tamen, illos alios, qui per consequentiam inde derivantur, ad salutem & creditu necessarios esse.* De C. c. 18. annot. ad art. 6.

In quo superat impietate Socinianos, qui quamvis, contra Orthodoxos, nimis paucos esse statuunt articulos fidei fundamentales; tamen præter unicum illum plures tales esse, agnoscunt. Vide *Hoornb. Soc. conf. t. 1. L. I. C. 4.*

Sed longè plura ad æternam salutem obtinendam scitu & creditu necessaria passim designant S. Paginæ. Sic

Sic Apost. de fide scribit, quod *imputabitur ad justitiam iis, non qui credunt tantum I. esse Christum; sed in eum, qui suscitavit I. Christum ex mortuis; qui traditus est propter offensas nostras; et suscitatus ad nostram justificationem.* Rom. 4. 24, 25. Ergo qui salvari vult, etiam scire debet, & credere, *Christum mortuum esse propter peccata nostra, & a mortuis resuscitatum ad justificationem nostram.* Et Christum legimus Luc. 24. v. 25, 26, 27. eo acriter reprehendisse suos discipulos, quod non crederent omnibus, quæ loquuti sunt Prophetæ; nempe, de futura Christi passione, et introitu in gloriam suam; quare exorsus a Moise, et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de se scripta erant; quod frustra tam opere se fecisset Christus, si Discipulis suis, præter id, Iesum esse Christum, nihil præterea scitu & creditu necessarium fuisset. Et expressè habetur, objugatos a Christo fuisse discipulos quod non crederent (NB.) omnibus &c. Et speciatim, quæ Prophetæ loquuti sunt de futura Christi passione, & introitu in Gloriam suam; sed hæc ille, ut non necessaria ad salutem ab unico illo Art. disertè distinguit, quamvis in eo contineri fateatur. Atque I Cor. 15. 1. &c. ad Corinthios scribit Apost. Quod notum iis faciat Evangelium, quod ipsis Evangelizaverat, quod & acceperant, & in quo etiam stabant; per quod etiam si retinerent, quo sermone illud iis Evangelizaverat, servarentur: Tradidi, inquit, vobis in primis, quod & accepi, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, secundum Scripturas: & sepultum fuisse, & suscitatum tertio die. &c. Ergo quo servarentur, credere obligabantur etiam, Iesum mortuum esse pro peccatis nostris; sepultum fuisse, & a mortuis resurrexisse; & inde, futuram mortuorum resurrectionem novissimo die. v. 12. & seqq. Et Apost. Rom. 16. 17. Christianos monens, *observare dissidiorum & offendiculorum*

lorum autores contra doctrinam, quam didicerant; procul dubio non solum illum articulum intellexit, ut quem & illi seductores profitebantur; uti liquet v. 18. Et si unus ille Articulus ad fidem salutarem sufficeret, frustra Christianos hortaretur Apost. ut eorum charitas adhuc magis exundet in cognitione, & omni sensu; atque ut explorent, quæ discrepant; quo sint sinceri, & inoffenso cursu pergant ad diem usque Christi. Phil. 1. v. 9, 10. ut qui jam dudum Articulum illum unum fundamentalem, ut indubitatum, receperant. Et expressa illa forma sanctorum sermonum, quos à Paulo audiverat Timotheus, non solus erat hic Art. quod Iesus est Christus; illam tamen ut necessariam ad salutem tenere monet Timotheum: *Præclarum illud depositum custodire.* 2 Tim. 1. 13, 14. Et speciatim necessario scire & credere debemus. 1. *Verbum Dei esse S. Script. non tantum V. T. Mosis & Prophetarum*, in quibus Christus à Deo promissus est in Regem & Servatorem mundi; *verum etiam Scripturas N. T. Evangelistarum & Apostolorum*, quibus Iesus esse promissus ille Christus, Rex & Servator mundi, ab Evangelistis & Apostolis demonstratur: nam *superstructi sumus super (NB.) fundamentum Prophetarum & Apostolorum.* Eph. 2. 20. Et 2. de Deo non tantum, quod & existat, & mundum gubernet, ut quod absque S. Scriptura ex solâ naturâ etiam omnes homines scire possunt; sed & quæ de ipsius naturâ, attributis, & Personis, & aliis ejus operibus in Sacris Literis traduntur ut creditu necessaria: nam (ait Christus) *hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Joh. 17. 3. Et Apost. *qui negat filium, neque patrem habet.* 1 Joh. 2. 23. *Neque me nostis (inquit Christus Judæis) neque patrem meum: si me nossetis, Patrem quoque meum nossetis.* Joh. 8. 19. & Matt. 28. 19. *Euntes (inquit Christus Apostolis) μαθητεύσατε*

omnes

omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus S. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur, qui non crediderit damnabitur. Matt. 16. 16. Unde liquet, quanti momenti & in doctrinâ Christi illud caput sit de S. S. Trinitate ut quod ante omnia, doceri Servator voluit, ut creditu ad salutem necessarium, eoque agnito discipulum Christi constitui. 3. De Homine, quod à Deo rectus creatus, & in Adamo lapsus, per solam Christi pro nobis præstitam justitiam coram Deo justificari possit: nam si per legem justitia est, igitur Christus sine causa mortuus est. Gal. 2. v. 21. Evauistis à Christo, quicumque per legem justificamini, & à gratia excidistis. Gal. 5. 4. Quia enim per hominē mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. 1 Cor. 15. 21, 22. Hoc quisquis in Christianâ fide vult labefactare, totum, inquit Augustinus, quod in Christum credimus auferre molitur; contra Iulian. Pelag. libr. 1. cap. 11. Præterea 4. de Iesu Christo, quod sit æternus Dei Filius, qui in tempore ex beatâ Virgine verus homo natus est, nobis in omnibus similis, excepto peccato; passus est, & mortuus propter peccata nostra, resurrexit à mortuis, & adscendit in Cælos: nam magnum est hoc pietatis Mysterium: Deus conspicuus factus est in carne; justificatus est in Spiritu; conspectus est ab Angelis; prædicatus est Gentibus; fides illi habita est in mundo; sursum receptus est in gloriam. 1 Tim. 3. v. 16. Nam his demonstratur, Iesum esse Christum, promissum mundi Servatorem. Item quod à Deo patre unctus sit Spiritu S. in Prophetam nostrum supremum, unicum Sacerdotem, & Regem æternum, Ies. 61. 1. Denique 5. quæ Scriptura S. docet de Sacramentis, penis & præmiis post hanc vitam; quæ similiter Apost. fundamentum appellat. Hebr. 6. 1, 2. Et si Christianis nihil amplius scire & credere necessarium est; quam

Deum

Deum & esse, & mundum gubernare; & Iesum esse Christum, tum nihil Christianis scitu & creditu ad salutem necessarium esset, quod non etiam credunt vel ipsi Muhammedani: nam & illi credunt, *Deum & esse, & mundum gubernare, et Iesum esse Christum illum, in lege et Prophetis promissum*; teste Hottingero *Thef. Philol. p. 163. & Histor. Orient. libr. 1. cap. 3.* Et probat Grotius ex Alcorano, Azoara 29. *de Verit. Relig. Christ. lib. 6. §. 4.* Et nulla hæresis esse posset, ab infidelitate, & apostosia distincta; sed quæ tunc hæreses illæ exitiales, de quibus *Apost. 2 Petr. 2. 2.?*

Obj. 1. Quod propter hunc solum art. sine cæteris, qui ex eo per consequentiam deducuntur, permulti tum à Christo, tum ab Apostolis ejus in Regnum Dei admissi fuerint; ut *Latro in cruce; Eunuchus à Philippo baptizatus; & duo (tria) millia hominum ad Ecclesiam à S. Petro simul aggregata.* Resp. *Latro, Eunuchus, tria illa millia hominum fuerunt Judæi, qui propterea scire potuerunt, & credere multos fidei articulos, præter hunc unum, Iesum esse Christum; & Deum existere, & Mundum gubernare, & S. Scripturam V. T. esse Verbum Dei: 2. Novit Latro & credidit animarum immortalitatem, aliam vitam post hanc futuram; J. crucifixum esse Regem Israël; in ipso cælo esse remissionem peccatorum, & vitam æternam; ergo non solum illum art. Iesum esse Christum. 3. Ignorantia (teste Arist. L. 1. post. c. 16.) alia est Κατ' ἀπόφασιν, simplicis negationis; alia Κατὰ διάθεσιν, pravæ dispositionis, qua quis pravam habet de re aliqua opinionem. Multum hæc differunt, non habere distinctam aliorum, præter hunc unum, articulorum fidei cognitionem; & pravam habere de iis opinionem. Saltē Latro, Eunuchus, & tria illa hominum millia de reliquis fidei articulis non habuerunt pravam opinionem, quicquid fuerit de distincta eorum cognitione.*

Obj.

Obj. 2. Scopum Evangelistarum fuisse, per descriptionem vite Servatoris nostri illum unum Articulum stabilire. Resp. Unicum illum fuisse Evangelistarum scopum, negamus. Neque quid scitu & creditu necessarium sit, ex scopo solorum Evangelistarum, sed totius Verbi Dei Veteris, & Novi Testamenti colligendum est.

Obj. 3. Idem probari ex prædicatione Apostolorum: fuisse enim Regni præcones; nec Christum eos misisse ad prædicandum aliud, quam Regnum Dei. Resp. 1. Doctrina de Regno Dei & Christi non consistit in illo unico Articulo; sc. Iesum esse Christum. 2. Quodnam subjectum fuerit concionum Apostolicarum liquet ex ipsorum actis & scriptis; at docuisse, illos, unicum illum Articulum esse necessarium, falsum esse liquet. Act. 20, 27. & 24. 25, 26. & 26. 22, Gal. 2. 21. & 3. 10. & 5. 4.

Obj. 4. Idem probari ex iis locis, quibus eorum, quæ a Christo ad salutem requiruntur, declaratur facilitas Nam, inquit, si ad salutem necessariò requiratur assensus animi internus veritati omnium & singularum propositionum, quæ circa fidem Christianam hodie vel controvertuntur, vel a diversis Ecclesiis diversè definitæ sunt, nihil esset religione Christiana difficilius. Quomodo ergo vcrum esset; Iugum meum suave est, et onus meum leve? Matt. 11. 30. Et parvulos in eum credere. Matt. 18. 6. Et placuisse Deo, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes? 1 Cor. 1. 21. vel quomodo satis ad salutem instructus fuit Latro pendens in cruce, vel ipse S. Paulus unde tam cito ex hoste doctor Christianus fieri potuit? Resp. 1. Quasi Religio Christiana difficilis esset, si præter unicum illum Articulum (Iesum esse Christum) etiam alii scitu & creditu essent necessarii. 2. Aut quasi solus ille Articulus esset necessarius, quia non necessarius est assensus animi internus

ternus veritati omnium & singularum propositionum, quæ hodie controvertuntur. 3. Religio Christiana facilis est non absolute, sed comparate ad religionem V. T. quo spectat illud Christi; *Matt. 11. 30.* 4. Fides est donum Dei, quam Deus revelat parvulis, non sapientibus. *Matt. 11:25.* atque inde parvuli in Christum credunt. 5. Prædicatio Evangelii Paulo stultitia appellatur, non quod tam facilis sit, atque unicus tantum ille Art. necessarius; sed quod à sapientibus hujus seculi talis habeatur. De Latrone diximus. 6. Paulus in sacris Literis valde fuit eruditus ante conversionem, multa ergo prænovit mysteria religionis Christianæ. Atque unde tam cito ex hoste Doctor Christianus factus fuerit, docet ipse Apost. *Gal. 1: 12. &c.*

Obj. 5. *Idem liquere ex eo, quod articulus ille fidei fundamentum sit, neque alii fundamento ipse innitatur; & citat Matt. 24:23. 1 Job. 4: 1,2. Matt. 16:18. 1 Cor. 3. v. 11, 12. Resp. 1. Negatis reliquis, ne fundamentum quidem est, ergo per se seorsim ab aliis non est unicum fundamentum fidei Christianæ. 2. Veritas hujus Articuli innititur testimonio S. Script. tum V. tum N. T. quare, S. Script. V. & N. T. esse Verbum Dei, etiam est Art. fidei fundamentalis. 3. Dato, Artic. hunc alii fundamento non inniti, non tamen inde sequeretur, solum illum necessarium esse, sed Art. aliquem fundamentalem hoc priorem non dari. 4. Loca citata probant tantum, hunc Art. esse fidei fundamentum, quod nemo Christianus negat.*

Obj. 6. *Articulum illum solum tenendum esse fidei internæ, evidentissime ex pluribus S. Script. locis, quocumque interprete, probari posse.*

Primus locus, quem in scenam producit, est, *Joh. 5. v. 39. (Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ perhibent testimonium de me.) Intelligit, inquit, hic Christus so-*

E

lius

82 DE ARTICULIS FUNDAMENTALIB.

lius T. V. Script., at testimonium de Christo in V. Test. nullum aliud extat, præterquam quod venturus erat Rex æternus, tali loco, talibus parentibus nasciturus, talia docturus & facturus, quibus rebus ut signis dignoscendus erat; quæ omnia hoc unum testantur, Jesum, qui ita natus, ea docuerit, & fecerit, esse Christum. Alia igitur fides ad vitam æternam præter illum Art. non requirebatur. Resp. 1. Christus Judæos remisit ad Script. V. T. non tantum, ut inde constaret iis, J. esse Christ. verum etiam, illum esse verum & æternum Deum, Patri suo æqualem, ut liquet: v. 18. 2. Mira consequentia; Script. V. T. testatur Jesum esse Christum. Ergo nulla alia fides ad vitam æternam requiritur. 3. Falsum etiam, nullum aliud in V. T. extare testimonium de Christo, quam quod venturus sit Rex æternus &c.

Alter locus est, inquit, Joh. II: 25. (omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum) credere autem in Jesum idem est, quod credere Jesum esse Christum, qui ergo id credit, non morietur in æternum; & per consequens Art. ille solus est ad salutem necessarius. Resp. 1. Jesum esse Christum, etiam credunt Diaboli, & multi reprobis, ast omnes qui credunt in J. Christ. vivent in æternum; non ergo idem est credere J. esse Christ. & credere in Jesum. 2. Neque sequitur; qui credit in Jesum non morietur in æternum, ergo hoc solum necessarium est ad salutem, v. gr. pronuntiat beatos Christus, qui sunt pauperes spiritu. Matt. 5. quis inde concludat, nihil præterea necessarium esse ad salutem?

Tertius locus est Joh. 30: 31. Hæc scripta sunt, ut credatis, quia J. est Christus, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Quare, inquit, qui sic credit, habebit vitam æternam, neque ergo opus habet alia fide.

Hic

Hic quadrat eadem responsio, quæ ad locum præcedentem.

Quartus locus est. I Job. 4. 2. *Omnis spiritus, qui confitetur, J. Christum venisse in carne, ex Deo est.* Resp. Multi credunt, *Iesum esse Christum*, qui non confitentur *Iesum Christum in carne venisse*; ut Marcionitæ & Manichæi; qui veritatem corporis Christi negarunt; eumque passionis omnis expertem dixerunt; ergo si Art. fundamentalis est, *Christum in carne venisse*; tum alius fundamentalis est præter hunc, *I. esse Christum.*

Quintus locus est. I Job. 5. 1. *Omnis Spiritus, qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est; & v. 5. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei.* Unde sic arguit; si non sit opus aliud credere, quam *Iesum esse Christum*, ut quis sit ex Deo natus, & vincat mundum, ergo unicus ille Art. sufficit ad salutem. Resp. Dicto loco non dicitur, non esse opus aliud credere, quam præcisè tantum, *Iesum esse Christum*: nam hoc ita præcisè credunt etiam Dioboli, credunt etiam multi ex Deo non nati. Et plus est credere, *Iesum esse Filium Dei*, quam credere tantum, *illum esse Christum*: nam hoc posterius credunt etiam Muhammedani, qui illud prius negant, teste Grotio *de Verit. Relig. Christ. lib. 6. 9. 9.*

Sextus locus est. Act. 8: 36, 37. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus; si credis ex toto corde, licet. Respondens ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum; Si, inquit, Art. ille sufficit ad baptismum, ergo sufficit ad salutem.* Resp. Plus ad salutem, quam ad baptismum requiritur: nam professio externa sufficit ad baptismum, non tamen ad salutem. 2. Credere *Filium Dei esse Iesum Christum*, plus est, quam credere tantum *J. esse Christum*, uti dictum. 3. Ad salutarem baptismum plus requiri, quam profiteri tantum, *J. esse Christum*, liquet Matt. 28: 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et*

Spiritus sancti, docentes eos observare omnia, quae praecepi vobis.

Denique, inquit, *ubicunque legimus, Servatorem nostrum cujuspiam fidem laudasse; vel dixisse; fides tua te salvum fecit; vel sanasse quempiam propter fidem, ibi propositio credita alia non erat, quam haec (Iesus est Christus) vel directe vel per consequens. Resp. 1. Laudavit Servator fidem Centurionis, at propositionem ab illo creditam, aliam fuisse, quam hanc, I. esse Christum, patet Matt. 8: 8. nempe tam potentem Dominum esse Jesum, ut solo verbo servum suum posset sanare, quod plus est, quam simpliciter tantum credere Iesum esse Christum, vide etiam Matt. 15: 28. Luc. 7. v. 37 -- 50. 2. Fides, quâ aliqui miraculoso modo impetrârunt sanitatem corporalem, fuit *fides miraculorum*, at fidei illius propositionem creditam aliam non fuisse, quam hanc; *Iesum esse Christum*, per se falsum esse constat.*

II. *In plerisque controversiis circa doctrinam Christianam, certamen, ait, esse tantum vel de jure imperii; qualis est questio de Ecclesiae proprietatibus. Eodem spectare questionem de infallibilitate; de potestate remittendi peccata; de cœlibatu Ecclesiasticorum; canonizatione Sanctorum. Controversias de Purgatorio, et Indulgentiis de questu esse. Questionem de libero arbitrio, justificatione, de modo recipiendi Christum in Sacramentis, esse philosophicas. Proinde questionem, utrum justificet fides, an obedientia? frustra disputari. Civ. c. 18. a. 14. Lev. c. 43. p. 287.*

Resp. Etiam de jure regnandi est questio de Dei providentiâ; an ideo non de fide, & magni momenti ad salutem? quin ipse, *negare Dei providentiam*, statuit, *crimen esse lesæ Maj. Divinae*. De Cive c. 16: a. 18. Et latrocinia etiam, & furta de questu sunt, ideone nihil obsunt salutî æternæ? contra I Cor. 6:10.

Quæ

Quæstiones de *libero arbitrio*, *justificatione*, de modo *recipiendi Christum in Sacramentis*, philosophicas esse, apertè falsum est: Nam quæstiones illæ philosophicæ non sunt, quæ solâ ratione ex naturâ, absque revelatione supernaturali in S. Script., definiri non possunt; at tales sunt memoratæ controversiæ. Etiam quæstio, *de existentia & providentia Dei* Philosophica dici posset; an ideo non est de fide, & magni momenti ad salutem? Et si quæstio; *utra justificet, fides an obedientia*, frustra disputatur; tum à S. Paulo in Epist. ad Rom. ad Gal. ad Eph. &c. & à Domino nostro Jesu Christo contra Phariseos; & ab ipso nostro Philosopho frustra illa (in tract. suo de Cive c. 18. a. 12.) fuit disputata. Quæstio illa quanti momenti sit, indicat Apost. Gal. 2: 21. *Si per legem est justitia; igitur Christus sine causa mortuus est.* Etc. 3: 16. *Quotquot ex operibus legis sunt, illi sub execratione sunt.* Et c. 5: 4. *Evaniistis à Christo, quicumque per legem justificamini, & à gratia excidistis.* Nec cohæret hæc assertio de justificatione cum eo, quod immediatè subjungit; *quo autem sensu*, inquit, *justificare dicatur una & altera* (sc. fides & obedientia) *explicare* (NB.) *non inutile erit.* Si hoc verum, quî ergo frustra disputatur quæstio de justificatione?

III. Interim *professionem plurium dogmatum* (si *jubetur*) fatetur, *necessariam esse posse* & esse enim partem *obedientiæ legibus debitæ*; sed jam non *quæri de obedientia necessaria ad salutem*, sed de *fide interna*. C. c. 18. a. 6. Annot.

Obedientiam illam præstari quidem posse, ait, *et si quis internè non credat, quæcunque ab Ecclesia proponuntur.* Ibid. a. 14.

Resp. 1. *Professio externa sine fide internâ est hypocrisis & mendacium.* Rom. 10: 10. Ergo si *professio plurium dogmatum necessaria esse potest*, ergo etiam

fides interna. 2. Quasi etiam fides interna non esset nobis præcepta, & pars obedientiæ, quam à nobis Deus requirit. *Joh. 3: 36.* 3. Nemo etiam lege civili obligari potest ad professionem externam contra fidem internam, hoc est ad hypocrisim & mendacium. 4. Neque ullus Princeps Christianus, aut quisquam hominum jubere potest profiteri articulum aliquem, ut necessarium ad salutem æternam, cujus fides interna non ita necessaria est; multo minus profiteri articulum aliquem contra Verbum Dei.

LOCUS QUINTUS.

De Fide, Confessione, & Martyrio.

CAPUT IX.

De Fide.

Postquam religionis Christianæ principium doctrinale (*S. Scripturam*) adversus Philosophi invasionem in tuto collocavimus; sequitur jam, ut similiter Religionis Christianæ principium vitale, fidem nempe, ab ejusdem telis lethalibus vindicemus.

Docet Orthodoxa Ecclesia ex *S. Script.* fidem (salvificam sc.) in tribus consistere. 1. *Notitiâ credendorum*, *Joh. 17: 3.* *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* 2. *Affensu*, qui nititur testimonio non humano, sed Divino; *Joh. 3: 33.* *Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit, Deum veracem esse:* Nam fides illa fides non est, quæ non in Divina auctoritate acquiescit:

nam

nam *fides ex auditu*; *auditus autem per Verbum Dei*. Rom. 10: 17. *Ne fides vestra consistat in sapientia hominum*. I Cor. 2: 5. possunt quidem ad fidem aliqui duci per alios, ut per Mulierem Samaritani; sed tum demum verè sunt credentes, cum non propter alienam loquelam credunt, sed quia ipsi audiverunt & sciunt; quod Iesus est Servator mundi. Joh. 4: 28. Hinc enim ἀποπόρτα fidelium. Vide C. 4. Assert. 4. 2. *Affensu speciali*, seu *fiduciâ*. Gal. 2: 20. *Vivo per fidem Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Qui *Affensus specialis*, seu *fiducia* indicatur his formulis in Symbolo; *Credo in Deum Patrem; & in Iesum Christum, Filium ejus unigenitum; & in Spiritum sanctum; & in S. Scriptura; credere in Filium Dei; in Iesum Christum*. Pf. 78. *Non crediderunt in Deum, neque confisi erant in salute ejus*. *Fidei infidelitas* opponitur; idque vel *negative*, qualis eorum est, quibus Evangelium nunquam annuntiatum fuit; vel *positive* sive *contrarie*, talis eorum est, qui Evangelium sibi annuntiatum recipere nolunt. *Quamvis infidelitas negativa* per se peccatum non sit; esse tamen illud *infidelitatem positivam*, liquet Joh. 16: 9. *De peccato quidem redarguet Spiritus mundum: quia non credunt in me*. In quem locum egregiè Augustinus; *Si autem manifestum est præter hanc infidelitatem, alia multa esse hominum peccata, cur de hoc solo mundum Sp. S. arguet? An quia peccata omnia per infidelitatem tenentur, per fidem dimittuntur? propterea hoc unum præ cæteris imputat Deus, per quod fit, ut cætera non solvantur, dum non credit in humilem Deum homo superbus*. De Verbis Dom. Serm. 61. Quibus omnibus ad versus Hobbesius

I. *Negat, hominem Christian. scire posse; S. Scripturam esse Verbum Dei; sed credere tantum, ita esse, fide implicitâ*. Leviath. c. 43. p. 282.

Rursum, *quid loquutus sit Deus, hominem Christianum,*

num, ait, scire non posse, nisi per rationem summi Imperantis. L. c. 33. p. 176.

Contra Serenissimus Angliæ Rex, cujus subditus fuit Hobbes dum vixit, unumquemque censuit, super scientiâ propriâ fidei fundamentum collocare debere. Teste Grotio de Imp. summ. potest. circa sacra cap. 6. n. 6. Næ dictum vere Regium! nam, ut inquit Propheta, justus fide sua vivet. Hab. 2:4. Et unusquisque nostrum de seipso rationem reddet Deo. Rom. 14: 12. Sed qui scire non possunt, S. Scripturam esse Verbum Dei, neque quid loquutus sit Deus, nisi per rationem summi Imperantis, illi non super scientia propria, sed hominis alterius, nempe summi Imperantis collocant fidei suæ fundamentum.

Hac ergo sua Assert. Hobbes apertè contradicit ei, cui alias docet, in rebus talibus contradicendum non esse. Vide Cap. 6. Assert. 3.

De his Assertionibus plura vide Cap. 4. Assert. I. & 6.

II. Fidem Christianam, docet, non nisi testimonio Divino, sed humano tantum; sc. Principis Christiani, Leviath. cap. 7. p. 34.

Vide Cap. 4. Assert. 4.

Imo, credere Deo jam neminem diu posse.

Is, inquit, cui credimus, aliquis est, quem loquentem audivimus. Abrahamus, Isaacus, Iacobus, Moses, & Propheta Deo crediderunt, qui ipsos alloquutus est supernaturaliter. Christum fuisse, ait, cui crediderunt Apostoli, & Discipuli, & qui eum loquentem audiverunt. Sed de illis, quibus neque Deus, neque Christus unquam loquutus est, dici non posse, quod Deo crediderunt; sed tantum quod Apostolis, & post eos Pastoribus, & Doctoribus Ecclesiæ fidem habuerunt, qui historiam V. & N. Testamenti illis commendaverant. Lev. c. 43. p. 281.

Resp.

Resp. I. Quasi in S. Scriptura Deum & Christum ipsum non loquentem audiremus. Quin contra ipse Christus, illos, dicit, *vocem suam audire*, qui audiunt *vocem S. Scripturæ*. *Joh. 10: 16.* Et ab Apostolo *Spiritus S. in S. Script. dicitur nobis testari*. *Heb. 10: 15.* Aut hodie nullum haberemus Verbum Dei, fide Divina recipiendum; certè quod respectu nostri firmitus est ipsa Dei viva voce, revera ipsius Dei verbum est, fide Divina recipiendum; sed tale est testimonium S. Scripturæ. *2. Petr. 1: 17, 18, 19.* Et hanc vocem, (nempe, *hic est Filius meus &c.*) nos, inquit Apost. *audivimus celo delatam &c.* Et habemus *βεβαιότερον* (firmiorem) sermonem Propheticum. Et *Joh. 5: 46, 47.* *Si crederetis Moysi, crederetis mihi: nam ille de me scripsit. Quod si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Passim in sacris dicuntur Deo credere, qui credunt verbo à Prophetis, & Apostolis annuntiato. *1 Thess. 2: 13.* Vide *Affert. 3. cap. 1.* Ast jam credunt etiam fideles verbo, à Prophetis, & Apostolis annuntiatio; ergo &c. 2. Supra audivimus (*Cap. 1. Affert. 2.*) illum docere, triplex esse Verbum Dei; nempe, *rationalis, sensibile, & Propheticum*; illud per tacita rectæ rationis dictamina; istud per revelationem immediatam; hoc per vocem alicujus hominis, quem Deus per vera miracula edita, ut fide dignum, cæteris commendavit, hoc est, per Prophetam declarari. Illud audiri, & recipi *ratiocinatione recta*, istud *sensu*, hoc *fide* solum. Nisi ergo fide Divina recipiendum est illud verbum, quod Prophetæ, & Apostoli loquuti sunt; tum nunquam ullum verbum Dei fide Divina fuit recipiendum: nam verbum primi, & secundi generis recipi statuit, non *fide*; sed vel *ratiocinatione*, vel *sensu*. Et 3. Miramur: hæc scribi ab illo, qui aliàs ex *Luc. 10: 16.* inferri posse statuit, *illum audire ipsum Christum, qui audit Regem Christianum.* Vide *Cap. 7. Affert. 3.*

Πρῶτον λέω; S. Script. non esse Verbum Dei, quod ipse loquutus est Deus, sed quod de Deo, & Regno ejus dictum est. Vide Assert. 1. & 2. & 3. Cap. 1.

III. (Credere in) in Symbolo fidei Christianæ non proprie, ait, significare fidem, quæ habetur personæ; sed doctrinæ agnitionem. L. c. 7. p. 33.

Uti ergo Assert. 1. ex fide Christiana exclusit notitiam credendorum; & Assert. præced. Assensum præbendum testimonio Divino; ita jam hæc Assert. uti & seqq. 4. & 5. è fide Christianorum excludit fiduciam, sive assensum fiducialem. Et sic omnem perimit fidem divinam.

Resp. Cum dico; credo Ecclesiam Catholicam, Tò credere notat doctrinæ de Ecclesiâ agnitionem, ut manifestum est; nisi ergo credere in Deum in Symbolo significat fidem, seu fiduciam, quæ habetur Personæ; sed tantum doctrinæ de Deo agnitionem; cur minus in Symbolo dicimus; credo in Ecclesiam, quam, credo in Deum? Ergo in Symbolo ubi de Divinitate fides ordinatur, dicitur in Deum Patrem, filium, & Sp. S. In cæteris, ubi de divinitate non est sermo, sed de creaturis & mysteriis, (in) præpositio non additur, ut dicatur, in Ecclesiam. Nempe ut Creator à creaturis secernatur, & Divina separentur ab humanis, ut loquitur Ruffinus in Symb. Quod idem observans Augustinus; sciendum est, inquit, quod Ecclesiam credere; non tamen in Ecclesiam credere debeamus; contra autem debemus Deum credere (nempe doctrinam de Deo agnoscere) & in Deum credere. Quin ipse alibi, quando dicimus, inquit, (credo in Christum) significamus quidem cui, non autem quid credimus. de Cive c. 18. a 5. Analicui credere, non est fides, quæ habetur personæ?

Πρῶτον λέω; Credere Deo jam neminem dici posse; solos Prophetas Deo credidisse, qui ipsos alloquu-

Quintus est supernaturaliter ; & solos Apostolos & Discipulos Christo, vel in Christum credidisse, qui eum loquentem audiverunt. Vide Assert. 2. Item ; qui credunt id, quod narratur Dei nomine à Propheta, fidem Prophetæ habere, illumque honorare, illi credere & fidere dicendos esse. Vide Assert. 3. cap. 1.

Obj. Omnes homines ita in Deum credunt, ut quicquid dixerit, vel dicturus sit pro vero agnoscant ; doctrinam autem Symboli non omnes credunt ; sed soli Christiani ; ergo in Symbolo (credere in) non significat fidem, quæ habetur personæ, sed doctrinæ agnitionem.

Resp. 1. S. Scriptura est Verbum, quod Deus loquutus est Vide Cap. 1. Assert. 1. Sed non omnes homines illud pro vero agnoscunt ; falsum ergo, omnes homines ita in Deum credere, ut quicquid dixerit, pro vero agnoscant. Idem liquet in primis parentibus. Gen. 3. Mose, & Aarone. Num. 20. vers. 12. Zachariâ. Luc. 1. vers. 20. & Christi Discipulis, quorum incredulitatem ille sæpe reprehendit. ut Luc. 24. vers. 25. Et 2. in Symbolo dicimus etiam ; credo in **Christum, & Spiritum Sanctum, sicut dicimus, **credo in Deum** ; ast sic in Deum non credunt omnes homines, sed soli Christiani, falsum ergo ; nisi (credere in) in symbolo nolet doctrinæ agnitionem, tum Christianos non aliter credituros fore in Deum, quam in Deum credunt omnes homines. 3. Nec in Symbolo (credere in) significat nobis tantum fiduciam, quam habemus de Dei veritate, verum etiam de ipsius potentia & bonitate ; quare in Symbolo (in Deum credere) non significat tantum, pro vero agnoscere, quicquid Deus dixerit, vel dicturus sit ; verum etiam toto corde in Deo acquiescere, tanquam in auctore omnipotentæ vitæ, & salutis æternæ. Deut. 30: 20. Psal. 78: 22. **Quamvis non negemus, sæpissimè in S. Script. credere in Deum, & credere Deo, pro eodem usurpari.****

IV. Non

IV. *Non Christiani solum, inquit, sed etiam omnes homines, ita in Deum credunt, ut quicquid dixerit, vel dicturus sit, pro vero agnoscant; qua fide, ait, majorem esse non posse.* L. c. 6. p. 34.

Ubi hoc notamus, quod dicat. 1. *Omnes homines in Deum credere fide, qua major esse non potest; & 2. fide, qua pro vero agnoscimus, quicquid Deus dixerit, vel dicturus sit, majorem esse non posse.*

Resp. 1. S. Script. testatur, nos fide salvari. *Gratia servati estis per fidem.* Eph. 2: 8. Quod procul dubio non negandum de fide in Deum, qua major esse non potest; mirum ergo, non omnes homines salvari, si omnes credunt in Deum illa fide, qua major esse non potest. 2. Non omnes homines ita in Deum credunt, uti in Deum credidit Abrahamus. *Rom. 4. 18 — 22.* & Centurio, de quo, *Matt. 8: 10.* *Neque in Israël quidem tantam fidem inveni:* ergo non omnes credunt in Deum fide, quâ major esse non potest. 3. Etiam Diaboli ita in Deum credunt, ut pro vero agnoscant, quicquid dixerit, vel dicturus sit, & horrescunt. *Tu credis, Deum unum esse: bene facis: Dæmonia quoque istud credunt, & horrescunt.* Jac. 2: 19. Sed qui in Deum credunt fide, qua major esse non potest, illi non horrescunt, sed gloriantur in spe vitæ æternæ *Rom. 5: 1, 2.* & *10: 11.* Et miror, illum scribere, omnes homines in Deum credere fide, qua major esse non potest; cum alibi doceat, innumeros homines scire non posse, *Deum existere.* De Cive c. 14. a. 19. in Annot. nam in Deum ita credere non possunt, qui scire non possunt, eum existere.

V. *(Credere in Iesum Christum) nihil aliud esse docet, quam credere; Iesum esse Christum.* Lev. cap. 43. p. 284. de Cive c. 18. a. 5.

Resp. 1. Omnes, qui credunt in Christum, habent vitam æternam, *Joh. 3: 19. ita enim Deus dilexit mundum,*

dum, ut Filium suum unigenitum illum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam; & v. 18. Qui credit in eum non condemnatur. v. 36. Qui credit in Filium habet vitam æternam. Sed non omnes, qui credunt, Jesum esse Christum: nam etiam hoc credunt Muhammedani; credunt Diaboli. Matt. 8: 29. 2. Quin Ipse, credo in Christum, ait, quando dicimus, significamus quidem cui, non autem quid credimus. De Cive l. cit. sed qui dicit; credo, Jesum esse Christum, significat, quid, non cui credit.

Objicit verba ipsius Christi ad Martham. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet &c. credis hoc? Ait illi; utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Joh. II: 25, 26, 27. Est ergo, inquit, credere in Christum, nihil aliud, quam credere ipse Jesu dicenti se esse Christum. Resp. 1. Ex verbis Christi contrarium liquet: nam qui credit in Christum vivet in æternum; sed non omnis, qui credit, Jesum esse Christum, ut diximus. 2. Alibi docet, neminem Christo, seu in Christum credere posse, nisi qui ipsum loquentem audiverunt, uti Apostoli. Vide Assert. 2. At multi credunt in Christum, qui nunquam Christum loquentem audiverunt, se esse Christum; ergo non est idem, credere in Christum, & credere ipse Jesu dicenti, se esse Christum. 3. Hic supponit; credere in Christum per verba, quæ respondit Martha; quia tu es Christus, explicari. Non; sed iis verbis Martha rationem reddit, cur in Jesum crediderit, & qui in Jesum crediderit, sit victurus in æternum: nempe, quia credebat, Jesum esse Christum. Vel verbis illis fiduciam suam, quam in Messiam habebat, determinat & applicat ad personam Jesu Christi. Confer. Assert. præc. 3.

VI. Doctrinam Christi recipere nolle, per se, dicit, non esse peccatum; Qui

Qui illam recipere noluerunt, eo nomine peccasse numquam legi. L. c. 42. p. 248.

Loquitur ergo de infidelitate positiva, qua homines Evangelium sibi annuntiatum recipere noluerunt; & negat, unquam legi, illos eo nomine peccavisse.

Resp. 1. Qui leguntur eo nomine à Spiritu S. de peccato redarguendi esse, quod doctrinam Christi recipere noluerunt; illi leguntur revera eo nomine peccavisse; sed qui non credunt in J. Christum, seu doctrinam ejus recipere noluerunt, illi leguntur eo nomine de peccato redarguendi esse à Sp. S. *Ioh. 16. 9. supra cit.* 2. Etiam illos eo nomine peccavisse, legitur *Ioh. 15. 22. Si non venissem, & loquutus essem illis, peccatum non haberent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo.* Ubi diserte dicuntur graviter peccasse infideles Judæi eo nomine, quod doctrinam Christi, quam illis loquutus erat, recipere noluerunt. 3. Et homo insigniter malus dicitur esse *pejor infideli.* 1 Tim. 5. 8 Qui hoc, si homo infidelis, qua talis, non esset malus & peccator? 4. Doctrinam Christi recipere nelle, & credere in nomen J. Christi, est contra præceptum Dei: nam *hoc est ejus præceptum, ut credamus nomini filii ejus I. Christi.* 1 Joh. 3. 23. Sed quod contra præceptum Dei est, illud per se peccatum est. 1 Joh. 3. 4. 5. Prohibet Deus infidelitatem. *Ioh. 20. 27.* reprehendit. *Luc. 24. 25.* Damnatur, & punire vult gravissime hic & in futuro seculo. *Ioh. 3. 36. & 12. 46, 47. Matt. 10. 14, 15. & 11. 21. Luc. 12. 46. Act. 13. 45. — 51.* Nam insigni contumelia Deum afficit homo infidelis, qua talis; quia vel in dubium trahens, vel negans, quæ loquutus est Deus, illum mendacem facere dicitur. 1 *Ioh. 5. 10.* & quod non credat in humilem Deum homo superbus, O *miseria! O perversitas! homini ab homine creditur: & non creditur Deo?* exclamat Salavianus libr. 2. ad Eccl. Cath. Et
ante

ante eum Cyprianus; *Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires: nunc Deus rectum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas?* Serm. de mortalitate. Quæ argnunt infidelitatem, fidei contrariam, insigne peccatum esse adversus Deum.

Πρώτον ἰσχυρῶς; *Verbum hoc (credite Evangelio) consilium esse, non preceptum. Vide cap. 7. Ass. 23.*

Excipit; *infideles excludendos quidem esse ex Regno Dei, sed non propter infidelitatem ipsam, sed propter alia peccata eorum præterita; quo refert, quod S. Johannes (Joh. 3. 18. & v. 36.) non dicat; ira Dei veniet super ipsos; sed quod ira Dei manet super ipsos; nec quod damnabuntur; sed jam condemnati sunt.*

Resp. 1. Ostendimus, infidelitatem positivam in S. Scriptura diserte peccatum appellari; quare non dubitandum est, etiam ob hanc suam infidelitatem ipsam homines infideles ex Regno Dei excludendos esse, loca citata significare velle. Et 2. Loca à nobis citata, de punienda infidelitate, inspicienti manifestum est, non tantum propter peccata alia præterita Deum infideles punire velle; verum etiam propter illam eorum infidelitatem ipsam. V. Gr. Joh. 3. 18. (ab ipso cit.) *qui non credit, jam condemnatus esse dicitur: quia (NB.) non credidit in nomine unigeniti filii Dei. Et v. 19. Hac est autem condemnatio, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras, quam lucem. Et Matt. 10. & II. c. & Luc. 12. v. 47. dicuntur infideles gravius puniendi ob repudiatum Evangelium, ipsis annuntiatum. Qui hoc? nisi etiam ob repudiatum à se Evangelium, & non tantum ob peccata priora puniendi essent? Huc facit etiam illud Christi. Joh. 12. 48. *Qui rejicit me, nec recipit verba mea, habet, qui condemnet ipsum: sermo* (NB.)*

(NB.) *quem loquutus sum, ille condemnabit illum ultimo illo die.* Et 3. Joh. 3. 18. dicitur quidem *condemnatus*, five condemnationis reus esse, qui non credit; sed non dicitur, propter peccata præterita; sed *quia non credidit*; & Job. 12. 48. dicitur in futuro, illum *condemnandum esse novissimo die.* Quod dicitur Joh. 3. v. ult. *ira Dei manet super infideles*, non *veniet super ipsos*, inde quidem sequitur, infideles etiam sub ira Dei esse, ob peccata præterita; ast non, iram Dei non mereri etiam eorum infidelitatem ipsam, sed potius eorum infidelitatem hanc pœnam mereri, quod ira Dei supra ipsos maneat. Et loquitur sic S. Joh. quia si crederent, ab ira Dei absolverentur, nec per infidelitatem suam hanc pœnam incurrerent, quod ira Dei, supra ipsos maneret.

Inst; non intelligi posse, *fidei fructum esse peccatorum remissionem, nisi simul intelligatur; damnum ab infidelitate esse peccatorum retentionem.* Resp. Peccatorum retentio gravissima pœna est, ergo si hæc est ab infidelitate, tum infidelium damnatio erit non tantum ob peccata præterita, sed maxime etiam ob infidelitatem eorum.

Obj. *Fidem, quæ est doctrinæ Christianæ pars, sub legis nomine non comprehenditur; aut sub obligationem cadere non posse: leges enim ferri de actionibus, quæ voluntatem sequuntur nostram, non de opinionibus, neque de fide, quæ extra potestatem nostram existentes, voluntatem nostram non sequuntur.* De Cive c. 4. a. 24. proinde infidelitatem peccatum non esse. Resp. 1. Quod est à Deo præceptum, illud sub legis nomine comprehenditur, & sub obligationem cadit; sed fides, quæ est doctrinæ Christianæ pars, à Deo est præcepta. I Joh. 3. 23. *Hoc est ejus præceptum, ut credamus nomini filii eius I. Christi.* 2. Fides appellatur *obedientia*, infidelitas *inobedientia.* Joh. 3. 36. Quod

Quod signum est, fidem lege præcipi, infidelitatem prohiberi. 3. Lex divina spiritualis est. Rom. 7. 14. non ergo respicit tantum hominum actiones externas, sed etiam opiniones, & fidem internam. 4. Ipse statuit, *inratiocinatione falsa omnem consistere legum naturalium violationem.* de Cive. c. 2. a. 1. ann. Quis hoc, si leges non feruntur de opinionibus? 5. Falsum, opiniones, & fidem voluntatem nostram non sequi, seu voluntarias non esse: nam sic opinantes, sic credentes, sic opinari, sic credere volumus. 6. Et falsa hypothesis, leges divinas non esse, nisi de iis, quæ in potestate nostra existunt; atque quæ extra potestatem nostram existentia, per Sp. S. in cordibus nostris operatur Deus, voluntaria non esse. Phil. 2. 13.

Πρῶτον ἰεὺς & , *Euangelium per se, absque lege civili, consilium esse, non præceptum.* Vide Cap. 4. ass. 11, 12. similiter, *consilium, non præceptum esse; credite Euangelio.* Vid. Cap. 7. Assert. 23.

C A P U T X.

De fidei Confessione.

Sequitur Fidei confessio. Ad hanc omnes tenentur & singuli fideles: nam (inquit Christus) *quisquis agnoscat me coram hominibus, agnoscam & ego coram Patre meo, qui est in caelis. Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego &c.* Matt. 10. 32. *Quemcunque puduerit mei, ac meorum sermonum inter gentem istam adulteram & peccatricem, filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit cum gloria Patris sui.* Marc. 8. 38. *Et quicumque (inquit S. Joh.) confessus fuerit, quod Iesus est Filius Dei, Deus in ipso manet, & ipse in Deo.* 1 Joh. 4. 15.

G

Illa

Illa autem esse debet non simulata; sed aperta & vera, ut quod corde credimus, in S. Script. revelatum, ore confiteamur, *Quemadmodum scriptum est, inquit Apost. credidi, ideo loquutus sum. 2 Cor. 4. 13. Nam corde creditur ad justitiam, fit autem ore professio ad salutem. Rom. 10: 10. Utcunque etiam contrarium imperantibus & urgentibus quibusvis hominibus, ἀποβῆς, spretis eorum minis quibuscunque. Ne metuite ab iis, qui occidunt corpus. Matt. 10. 28. Metum illorum ne metuite, neque turbemini. Parati ad apologiam. 1 Petr. 3. 14. Hic autem*

1. *In fidei confessione, docet, privato iudicio non esse locum; sed unumquemque debere confiteri id, quicquid iusserit summus Imperans. Lev. c. 37. p. 207.*

In omni civitate, qui revelationem supernaturalem non habet in contrarium, legibus ejus, qui summam habet in Civitate potestatem, in omnibus actionibus externis circa religionem obedire obligari. Ibid. c. 40. p. 220.

Resp. 1. Hoc non fecerunt 7000. Virorum, qui non obstante mandato ejus, qui summam in populo Israël habebat potestatem; genua sua ante Baal curvare noluerunt. 1 Reg. 19: 18. Nec fecerunt Beræenses, sed S. Scripturas consuluerunt, eoque nomine laudantur *Act. 17: 21. Damnat idem Servator suo exemplo. Matt. 26: 64. Apostolus Paulus; qui nullius habuit rationem, neque etiam vitam suam sibi caram duxit, ad perficiendum cursum suum cum gaudio, & ministerium, quod acceperat à Domino Jesu, ad contestificandum Evangelium gratia Dei. Act. 20: 24. Et reliqui Apostoli, & Martyres innumeri, martirati propter verbum Dei, & testimonium quod dederunt. Apoc. 6: 9. Vide etiam Hebr. 10: 32, 33. 2. Contra Paulus docet, nos debere ore confiteri, non quod confiteri iusserit Summus*
Im-

Imperans, sed quod corde credimus in verbo Dei revelatum. Rom. 10: 10. nam *fides ex auditu est; auditus autem per Verbum Dei.* Rom. 10: 17. 3. Neque Hobbes revelationem supernaturalem unquam habuit; & tamen putavit, privato suo iudicio in Anglia locum esse; & se contra confiteri jure potuisse, quam legibus suæ Civitatis noverat statutum esse. V. gr. definivit (ipso fatente) Ecclesia Anglicana; *Deum esse sine corpore, & partibus.* App. c. I. p. 345. Et tamen in Anglia ipse palam docere non veretur, *Deum esse corpus.* Quid ad hoc respondet? *Non negabitur,* inquit. In Art. tamen 20 dicitur, quod nihil ab Ecclesiâ credendum injungi debet, quod non e Scripturis S. deduci possit. Sed utinam deductum fuisset. Nondum enim scio, quo sensu aliquid Maximum, vel Magnum dici possit, quod non sit corpus. En sic ludunt profani in rebus tantis!

Objicit, quod Deus dixit de Abrahamo; (*benedicenda sunt in illo omnes Nationes terra: scio enim quod precepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant iudicium & justitiam.* Gen. 18: 18, 19.) Hinc, inquit, manifestum esse, illos, quibus Deus immediatè loquutus non est, accipere pro legibus Dei eas debere, quas dictaverit is, qui summam in eos habet potestatem; sicut & familia & semen Abrahami eas accepit ab Abrahamo, Patre & Domino suo.

Resp. I. Nihil hîc de Abrahamo dicitur, quod non est officium cujusvis Patris-familias. 2. Nos Verbum Dei habemus, divinitus scripto consignatum per Prophetas & Apostolos, ad quod quorumvis hominum mandata à nobis exigenda sunt; non ita familia & semen Abrahami. 3. Abrahamus fuit Propheta, ad quem Deus immediatè loquutus fuit; tales non sunt hodie, qui in Civitatibus summam habent potestatem.

II. Imo dicere nos jubet quod non credamus, si Princeps credere

credere in Christum prohiberet : quia vox hominis est tantum res externa. Leviath. c. 42. p. 234.

Quin si quis fidelis à principe suo legitimo jubeatur Christum negare (horresco referens) licitum esse obedire. App. c. 3. p. 364.

Nam qui hoc facit jussus à Rege, factum illius non esse, neque illi imputandum, sed Regis; neque illum esse, sed Regem suum, qui negavit Christum. Leviath. c. 42. pag. 234.

Interim privato homini intra pectus suum liberum esse, vel credere, vel non credere, quod confitetur jussus à Rege. Ibid. c. 37. p. 207.

Quasi liberum esset mentiri, contra mentem ire, & quidem in re tantâ. Est ipsissima Diabolica hypocrisis, aliud ore profiteri, aliud pectore clausum habere. Psal. 12: 2, 3. Serva Jehova, nam desit beneficus: nam diminuti sunt veraces ex filiis hominum. Vana loquuntur alter cum altero, labiis blandis: duplici corde loquuntur. Excindet Jehova omnia labia blanda. Vide etiam Matt. 10: 17 — 32. Quin meticulosus, infidelibus, & mendacibus talibus portio erit in lacu ardente igne & sulphure. Apoc. 21: 8. Non illa fides unquam pura, veraque esse potest, quæ in sermones & actiones sibi consentientes non semper erumpat. In fidei imprimis & religionis professione, nunquam aut lingua, aut actiones externæ ab animo discrepare debent, sed illi semper convenire. Huc facit, quod Eliz Prophetæ respondit Deus; reliqui mihi 7000. virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal. 1 Reg. 19: 18. Non ait, qui rectè in animo sentiunt, quique mente suâ orthodoxè credunt: verum attingit symbolum externi cultus, de genu curvando; qui non curvaverunt &c. nempe, quamvis jussi à Rege.

Est hæc Philosophi doctrina ipsissima Hæresis Elcesai, de quo Epiphanius, Elcesai, inquit, hypocrisis docet,

doet, dicens : peccatum non esse, etiamsi simulacra ipsos adorare contingat, persecutionis tempore instante, si solum in conscientia ipsa non adorent ; & si quid etiam confiteantur ore, non autem in corde. Libr. 1. contra Hæres. c. 19. Item Priscillianistarum, & Pseudo-Nicodemitarum, & Libertinorum hodie. Adversus quem errorem accuratè disputavit Origines ; & Calvinus in egregiis, qui extant adversus illos, Tractatibus. Vide Danæum in *August. libr. de Hæres. c. 32, & 70.* Petrum Martyr. *loc. Com. Class. 2. Cap. 4. Num. 19. & c. Et Class. 3. c. 2. Num. 8. & c.* Hoornb. *Theol. Pract. l. 9. cap. 17.*

Quid multis ? ipse Noster alibi, tali casu Principi neque resistendum, neque obediendum esse, dicit, sed eundum esse ad Christum per Martyrium. Quod si cui durum videatur, certissimum esse, eum non credere ex toto corde, Jesum esse Christum. De Cive c. 18. a. 13. Optime ! sed hoc qui cohæret cum citatis, & citandis de Martyrio cap. seq. ?

Πρῶτον σώσωμεν ; Conservationem corporis & membrorum esse normam omnis juris, & justè facti. C. c. 1. a. 7. De quo infra.

C A P U T XI.

De Martyrio.

Martyrem Christi, negat esse propriè, nisi illum, qui resurrectionis Christi testis est ; id autem neminem, ait, testari potuisse, nisi qui versatus cum eo erat in terrâ, aut post resurrectionem ejus illum viderat. Neque quenquam ob eam rem obligari mortem pati, qui ad illum Articulum prædicandum missus non est. Leviath. c. 42. p. 235.

Qui, inquam, tum verè Martyres fuerunt, qui pro causa Dei se occidi passi fuerunt? quales Abel, Zacharias filius Jojadæ, Urias Propheta, Prophetæ occisi à Jesabele, ab Achabo, ab Israëlitis. *I Reg. 19: 14. à Judæis. Matt. 23: 37. Act. 7: 52.* Johannes Baptista, Stephanus *πρωτο-μάρτυρ* dictus. *Act. 22: 20.* *Antipas Martyr ille fidelis, qui trucidatus est, ubi Satanas habitabat.* *Apocal. 2. vers. 13.* An illi omnes in terra cum Christo fuere versati? Aut post resurrectionem viderunt? Atque an propter unicum illum Articulum (*Christum à mortuis surrexisse*) se passi fuerunt occidi? Neque illi fideles, quos alloquitur Servator, (*Apoc. 2: 10, 11, 13.*) ad prædicandum illum Articuli missi fuerunt, quos tamen pro causa Dei ad mortem usque fideles esse hortatur. Adde *Apoc. 6: 9.* Neque hæc consentiunt cum eo, quod modo ex Tract. de Civitate citavimus; nempe, *cundum Christianis ad Christum per Martyrium, ubi obediendum non est, quod qui recusant facere, certissimum esse, illos non credere ex toto corde, scilicet esse Christum, Filium Dei viventis. C. 18. a. 13.* Nam illi non credunt, J. esse Christum, qui non credunt, illum surrexisse à mortuis. Quocirca si eundem Christianis ad Christum per Martyrium, si Princeps jubeat negare, *scilicet esse Christum*; ergo etiam si jubeat negare, illum à mortuis surrexisse, quamvis qui jubetur, ad illum Articulum prædicandum missus non sit.

LOCUS

LOCUS SEXTUS.

De Deo Ter Optimo, Maximo.

CAPUT XII.

De Dei Existentia, Essentia, & Attributis.

Sequitur jam Locus de Deo T. O. M. Theologiæ objecto primario (nam de Religione, Theologiæ Christianæ objecto secundario egimus. Cap. 2. Quo capite uti nullum est majoris momenti; ita in nullo periculosius erratur, & perniciosius. Hoc ergo Capite Divinæ Maj. Existentiæ, Essentiæ, & Attributa (Divino adspirante Numine) à Philosophi erroribus exitialibus vindicabimus: Cap. seq. Adorandum Ss. Trinitatis Mysterium.

1. Hic Deum existere, docet, à plerisque hominibus sciri non posse, uti (quod invenit Archimedes) quam proportionem Sphæra habeat ad Cylindrum, quilibet ex vulgo invenire non potuit. De Cive cap. 14. a. 17. in Arnot.

Quod, inquit, Deum esse, ratione naturali sciri posse dixerim, id ita accipiendum est, non tanquam omnes id scire posse putaverim; nisi quoniam ratione naturali, quam proportionem habeat Sphæra ad Cylindrum, invenit Archimedes, ex eo sequi putant, quemlibet ex vulgo idem invenire potuisse. Dico igitur; etsi ab aliquibus, Deum esse, lumine rationis sciri possit; tamen homines in voluptatibus, vel divitiis, vel honoribus perquirendis continuo occupatos; item homines, qui rectè ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant, denique

nique insipientes, in quo numero Athei sunt, scire id non posse.

Quam cautè! veretur nempe, ne quod dixerat Deum esse, ratione naturali sciri posse, ita accipiatur, tanquam omnes id scire posse putaverit. Non vult homo impius, quenquam de se arbitrari, quod putaverit; omnes homines scire posse, esse Deum. Dicit ergo; etsi hoc ab aliquibus lumine rationis sciri possit; tamen à plerisque sciri id non posse; uti (quod invenit Archimedes) quam proportionem Sphæra habeat ad Cylindrum, quilibet ex vulgo invenire non potuit.

Quibus apertè cum Socinianis explodit omnem de Deo *notitiam naturalem ingenitam*: nam ejus esse non potest notitia naturalis innata, quod à plerisque hominibus sciri non potest; quodque à paucis tantum, iisque sapientibus, lumine rationis sciri potest per ratiocinationem. Et 2. Quamvis statuat, non absolutè impossibile esse, ex rebus creatis per ratiocinationem scire, Deum existere; hoc tamen plerisque hominibus tam difficile esse contendit, ac est cuilibet ex vulgo invenire, quam proportionem Sphæra habeat ad Cylindrum. Quod certè quilibet ex vulgo nunquam inveniet. Et 3. cum doceat etiam; *hominem Christianum scire non posse, S. Scripturam esse Verbum Dei.* (Vide *Affert. I. Cap. 4.*) tum neque ex natura, neque ex Scripturâ plerique homines scire possunt, Deum existere. Quo impietate Socinianos, imo ipsos Gentiles longè antecellit.

Verum 1. In quorum mentibus manifestum est, Deusque revelavit τὸ γνωστὸν θεῶν (id quod de Deo nosci potest) illi haud difficulter scire possunt, Deum existere: nam quod ab homine difficulter cognoscitur, dici nequit, in illo manifestum esse, eique à Deo revelatum; sed quod de Deo cognosci potest, in omnium hominum mentibus manifestum est naturali-

ter

rer, usque à Deo revelatum : *nam* (ut disertè Apost. Rom. 1. 19.) τὸ γνωστον τοῦ θεοῦ (*id quod de Deo cognosci potest*) φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς (*manifestum est intra ipsos, sive in ipsis*) nempe gentilibus: *Deus enim eis manifestum fecit.* 2. Quorum cordibus insculpta est lex naturalis; naturaliter dictans, quid pius sit, justum, & æquum; quid Deo, quid hominibus debeamus; inestque conscientia, minimè otiosa, secundum dictamen legis illius naturalis pro re nata hominum naturaliter vel accusans, vel excusans; illi ignorare non possunt, existere reverà supremum illum Legislatorem, & Judicem, Deum nempe: ut quem revera existere, lex illa naturalis, & conscientia secundum illam legem vel accusans, vel excusans tam manifestè præsupponit, demonstrat & probat, sed omnibus hominibus inest lex illa naturalis, *ab immortalī natura in mente immortalī impressa*; uti loquitur Philo Judæus, & conscientia naturaliter, ita secundum illam legem accusans & excusans: *nam cum gentes, quæ legem non habent, natura quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes sibi ipsis sunt lex; ut qui ostendunt opus legis, scriptum in cordibus suis: una testimonium reddente ipsorum conscientia: & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam excusantibus.* Rom. 2. 14, 15. Neque hoc in dubium vocare potest, qui ipse, omnibus hominibus à Deo, agnoscit, *perfectas esse leges naturales, per verbum Dei æternum, ipsis innatum; nimirum rationem naturalem.* De Cive c. 14. a. 4. Quin 3. hunc omnibus hominibus innatum Divinitatis sensum ipsi agnoscunt Philosophi gentiles, ut hic agnoscas Hobbesianismum ipso Gentilismo deteriorē. *Nulla; inquit Cicero, unquam gens fuit adeo fera & barbara, quæ non fateatur aliquem Deum; adeo quidem, ut homines falsum Deum habere malint, quam*

quam nullum omnino. Tam altè (NB.) sensus Divinitatis insedit cordibus nostris. Lib. 1. de Nat. Deor. Et Seneca, Nemo, inquit, adeo ferus, adeo extra leges moresque projectus est, quem non Dei cognitio imbuçrit. Aristoteles etiam, πάντες ἄνθρωποι, inquit, περὶ θεῶν ἔχουσιν εὐλάβειν. Lib. 1. de Cælo. Quis, inquam, plerique homines scire non possunt, Deum existere, si illa de Deo notitia omnibus hominibus innata est, uti docet Apostolus locis cit. & agnoscunt ipsi Gentiles Philosophi? 4. Etiam ex contemplatione Universi, tam manifestum esse, docet Apost. Deum existere, ut qui illum non agnoscunt & colunt, sint plane ἀναπολόγητοι: Rom. 1. 20, 21. Ipsius enim invisibilia jam inde à creatione mundi ex iis, quæ fecit, animadversa pervidentur: æterna videlicet ejus tum potentia, tum Divinitas, ad hoc ut sint ipsi inexcusabiles: propterea quod cum Deum cognoverunt, tamen ut Deum non glorificaverunt. Nam Cælum enarrat gloriam Dei, & opus manuum ejus indicat expansum; dies post diem cruciat sermonem, & nox post noctem ostendit scientiam. Nullus est sermo, nullaque sunt verba, in quibus non audiatur vox ejus. Ps. 19. 1--4. Non passus est Deus se esse expertem testimonii, bona tribuendo, dans nobis calitus pluvias, ac tempora fructibus edendis apta &c. Act. 14. 17. Quin omnes homines (teste eodem Apost.) Deum quærentes, illum quodammodo palpare, & invenire possunt: quanquam profecto non longe abest ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Act. 17. 27, 28. Quin Cicero; Quid, inquit, potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplantis sumus, quam aliquod esse Numen præstantissima mentis, quo hæc regantur. Lib. 2. de Nat. Deor. Iterum; Esse præstantem aliquam æternamque

naturam, & eam suspiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum celestium cogit confiteri. Libr. de Divinat. Enimvero si inexcusabiles sunt omnes illi homines, qui Deum non cognoscunt & colunt; & omnes creaturæ visibiles tam apertè unanimi voce Dei Creatoris potentiam & Maj. proclamant; atque testè Apost. Deus se non est passus expertem esse testimonij; quin si ab omnibus illum quærentibus palpari potest, & inveniri; qui plerique homines, Deum existere, scire non possunt? Quis credat, Deum sapientissimum, Omnipotentem Universi Creatorem, in omnibus suis operibus adeo manifestam facere voluisse gloriam suæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, &c. ut in illis omnibus glorificaretur à creaturis rationalibus. *Jes. 43. 21. Prov. 16. 4.* Et tamen adeo in occulto latere voluisse, ut à sapientibus ægrè, & à plerisque hominibus omnino inveniri non posset? Quin imo ipse Hobbesius hic *αὐτοαπόδειξις* (tanta est hujus veritatis vis!) alibi *imprimis manifestum esse scribit, attribuendam esse Deo existentiam.* De Cive c. 15. a. 14. Si manifestum hoc; qui plerique hoc scire non possunt? Iterum, *Agnitionem unici, æterni, infiniti, omnipotentis Dei ab investigatione causarum, virtutum, operationumque corporum naturalium facile derivari posse.* Lev. c. 12. p. 55. Si agnitio Dei ex illis rebus tam facile derivari potest, qui hic illam tam difficilem dicit plerisque esse hominibus, ac illis est invenire (quod invenit Archimedes) quam proportionem habeat Sphæra ad Cylindrum? Denique *habere, inquit, hoc humanum genus ab imbecillitatis propriæ conscientia & admiratione eventuum naturalium, ut (NB.) plerique credant, esse omnium rerum visibilium, opificem invisibilem Deum, quem etiam metuunt sentientes, non esse sibi satis tutelæ.*

in se ipsis. de Cive c. 16. a. 1. Si ex illis causis hoc plerique credunt, qui hic scribit, plerosque homines id scire non posse? nisi dicat, plerosque homines ex dictis causis illud credere tantum, sed non scire.

Sed dicit, *Lumine naturali id scire non posse homines, in voluptatibus, vel divitiis, vel honoribus perquirendis continuo occupatos; item homines, qui rectè ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant; denique insipientes, in quo numero Athei sunt.*

Quasi illa de Deo notitia penderet à sola ratiocinatione; Aut tam ægrè ratiocinatione à quoquam comparari queat, ut qui in voluptatibus, divitiis, & honoribus perquirendis continuo occupati sunt, ad illam pervenire nunquam possent; Aut nemo illorum aliquando sedato esset animo, contra ac de iis supponit, *de Cive c. 3. a. 26.* Aut insipientes non essent, qui rectè ratiocinari vel non solent, vel non valent, vel non curant; Aut qui rectè ratiocinari valent, per ratiocinationem scire non possent, quod ipse fatetur lumine naturali sciri posse; quia illi rectè ratiocinari vel non solent, vel non curant, Aut revera Athei dicendi non essent omnes illi, qui in voluptatibus, vel divitiis, vel honoribus perquirendis continuo occupati, quique rectè ratiocinari vel non soliti, vel non valentes, vel non curantes, nec sciunt, neque scire possunt, Deum existere: nam insipientes, quos Atheos nuncupat, hinc à prædictis illis discriminat; Aut denique imbecillitatis propriæ conscientia, admiratioque eventuum naturalium, ex quibus causis (loco supra cit.) plerosque docet, credere, *esse omnium rerum visibilium Opificem invisibilem Deum*, non omnibus inesset hominibus, etiam illis, qui in voluptatibus &c. perquirendis continuo occupati sunt; aut quisquam hominum tam insipiens esset, & ab omni ratione & sensu alienus, quem nec moveat imbecillitatis pro-

proprie conscientia, nec admiratio eventuum naturalium. Quare hanc Assertionem Hobbesianam, ut in summo gradu impiam, detestamur, & abominamur.

Affert. hujus Πρώτον Ἰσὺδ. Nullum inesse posse homini conceptum rei, quæ non sit percipienda sensibus. Vide Affert. 3. Solum Principem legis-latorem agnoscere; & in omnibus credendis & agendis à solo Imperantium nutu, cæca obedientia, subditos omnes pendere debere; ut qui scire non possint; & Deum existere; & S. Script. esse Verbum Dei.

II. Deum corpus esse, disertis verbis non semel inculcat. App. ad Lev. c. 3. p. 360.

Quærit; Anest Deus sine corpore, & sine partibus? Nondum scio, inquit, quo sensu aliquid maximum vel magnum dici possit, quod non sit corpus. Ibid. cap. I. pag. 345.

Quod Deus Opt. Max. magnitudinem non haberet, dicit, in S. Script. non inveniri; ut neque substantiam immaterialem. Leviath. c. 46. p. 320.

Et cum statuat, Lev. cap. 9. p. 42. Generalissimum subjectorum scientiæ esse corpus, cujus accidentia duo sunt; magnitudo & motus. Et ibid. c. 34. p. 183. Corpus universaliter significare illud, quod locum aliquem certum implet, sive occupat, variis subjectum accidentibus; juxta quam vocabuli corporis acceptionem, corpus & substantiam idem significare. Proinde vocem compositam (substantia incorporea) esse insignificantem; ac si quis dicat, corpus incorporeum. Nec corpus proprie dici, quod non sit universi aliqua pars. Alibi contra neget, Deo inesse figuram, habere partes, esse totum aliquod, esse in loco aliquo, moveri & quiescere; esse Mundum, vel Animam, aut partem mundi. De Cive c. 15. a. 14. Videtur modo negare, Deum esse corpus; nempè,

nempe, *de Cive loc. cit.* modo Deum corpus esse opinari; quod locum aliquem certum implet, variis subjectum accidentibus; nisi tale corpus esset Deus, substantiam non esse: esse Deum totius universi aliquam partem; Aut si non est totius universi aliqua pars, corpus propriè dici non posse; *locis ex Leviath. cit.* Proinde aut Deum nihil esse (nam ubique inculcat hoc; *Quicquid corpus non est, non est ens*) qui crassissimus Atheismus est; aut si revera existit Deus, esse illum revera *Essentiam incorporcam.* Quod admittere negat.

Verum Essentiam Dei spiritualem esse, omnis molis corporeæ expertem, disertè testatur S. Script. Deum Spiritum esse, docens *Joh. 4. 24.* & Spiritum à corpore non obscurè distinguens. *Palpate, & videte: quoniam Spiritus carnem & ossa non habet.* *Luc. 24. 39.* *Egyptij homines sunt, non autem Deus, & equi eorum caro sunt, non autem Spiritus.* *Jes. 31. 3.* Item *Eccl. 12. vers. 9.* *Rom. 1. 4.* *2 Cor. 7. 1.* *1 Pct. 3. 18.* Est Deus secundum totum sui intellectualis; unde *Deus notitiarum* dicitur. *1 Sam. 2. 3.* ipsa *Charitas.* *1 Joh. 4. 8.* & ipsa *Sanctitas.* *Amos 4. 2.* coll. *Hebr. 6. 13.* sed talis esse non potest ulla substantia materialis & corporea: nam intelligendi operatio necessario abstrahit à corpore, & dimensionibus quantitatis. Est Deus ens absolute primum & independens *A & Ω, principium & finis.* *Appoc. 1. 8.* Sed in omni substantia corporea partes sunt necessario, quæ toto suo natura priores sunt, eatumque unio causam unientem priorem necessario præsupponit, proinde si Deus corporeus esset, esse non posset ens absolute primum & independens. Est Deus omnis compositionis expertus; purus nempe, & perfectissimus actus & omnino immutabilis, ut cujus nomen est *Ero quî Ero.* *Exod. 3. 4.* totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens; quin Idem ipsa Vita, ipsa

ipsa sapientia, ipsa æternitas : nam (inquit Christus) *Pater habet vitam in seipso.* Joh. 5. 15. *Hic est verus ille Deus, & Vita æterna.* 1 Joh. 5. 20. Vide etiam *Prov. 8. 1. & 1 Sam. 15. 29.* Quæ absolutam & individuam essentiæ divinæ simplicitatem arguunt, quam minime admittit substantia materialis & corporea. Est præterea Deus omnino ἀόρατος (invisibilis) 1 Tim. 1. 17. *habitans lucem inaccessam, quem vidit nullus homo, nec videre potest.* 1 Tim. 6. 16. Eique nihil assimilari potest. *Cui assimilabitis Deum, et quid similitudinis ornabitis ei?* Jes. 40. 18. Nempe, quia Essentia divina est omnino spiritualis & incorporea. Est denique Deus infinitus, immensus, & incomprehensibilis. *Magnus est Jehova, & laudandus valde, et magnitudinis ejus non est pervestigatio.* Ps. 145. 3. *Num investigatione Deum invenies? num usque ad perfectionem Schaddai invenies? Altior est altissimis calis, quid agas? profundior sepulchro imo: quid cognoscas? longior terrâ mensura ejus, et latior mari.* Job 11. 7, 8. *An non cælum et terram impleo? dictum Jehovæ.* Jer. 23. vers. 24. *Ecce cæli ipsi, et cæli cælorum non capiunt te.* 1 Reg. 8. 27. Unde quoniam corpora se invicem penetrare non possunt (ipso Hobb. adstipulante, *Philos. prim. c. 8. a. 8.*) si Deus esset corporeus, & quidem (ut ille statuere videtur) corpus infinite extensum, necessario vel corpora tolleretur, vel tolleretur à corporibus; uti præclare argumentatur Narianz. *Orat. 2. de Theol.* Et partes integrantes, ex quibus divinum illud corpus esset compositum, forent necessariò numero & magnitudine actu finitæ, aut infinitæ; si infinitæ, tum daretur corpus aliquod infinitum (nempe Deus) infinito (nempe singulis suis partibus, numero & magnitudine infinitis) infinities majus; aut daretur totum aliquod (nempe Deus) quod non esset majus suis partibus integran-

tibus

ribus. Si partes illius corporis infiniti statuuntur numero & magnitudine finitæ, tum corpus aliquod existeret infinitum, quod ex partibus constaret numero & magnitudine finitis. Si partes illæ dicantur magnitudine finitæ, sed numero infinitæ, tum *Deo tribuimus minus, quam possumus; nec digne honoramus: finito enim omni majus semper assignari, et attribui facillimè potest.* De C. c. 15. a. 14. Corpus autem imaginari, magnitudinem habens infinitam, quod neque partes habeat, neque sit totum aliquod, cujus est, nisi strenuè delirantis? ac si quis imaginaretur montem sine valle: etenim *Ipsè corpus in genere, definit, quod non dependens à nostra cogitatione cum spatii parte aliqua coincidit, vel coextenditur.* Phil. prim. c. 8. a. 1. Sed partes habeat oportet, quod cum spatii partibus coextenditur. Ibid. *etiam Corpus corpore majus esse dicit, quando pars illius huic toti equalis est.* Ast saltem Deum corpus esse censet, omnibus creatis corporibus, & hoc mundo visibili majus; hoc autem quî, salva Ipsius definitione *Corporis majoris*, dici posset de Deo, si corpus esset, nullas partes habens; Neque cohærent, *Deo non alia nomina tribuenda esse, quam vel negativa, vel superlativa, vel indefinita.* Loc. cit. de C. & tamen, *Deum corpus esse*, dicere: nam *corpus* non est nomen negativum, aut superlativum, aut indefinitum. Sed dicentes, *Deum esse incorporeum, & immaterialem*, Deo nomina negativa attribuiamus.

Obj. 1. *Nondum se scire, quo sensu aliquid maximum, vel magnum dici possit, si non sit corpus.* Resp. in S. Script. Deus dicitur magnus benignitate Ps. 148. vers. 5. Magnus consilio. Esd. 28. 29. Jer. 32. 19. Magnus virtute, justitia & judicio. Job. 37. 23. Dei tamen benignitas, consilium, virtus; justitia & judicium, non sunt corpora. Magnus & maximus dicitur

citur Deus non quantitate *molis corporeæ* ; sed *essentiæ* & *perfectiōnis* & *virtutis*.

Obj. 2. *Quicquid corpus non est , non est ens. Qui Deum incorporeum dicunt, tenuitatem ei attribuunt, quæ gradus quidam est ad nihilitatem.* Resp. Si hoc verum (*quicquid corpus non est , non est ens*) tum quod plus in se continet corporeitatis, sive quod crassius est corpus, etiam plus entitatis haberet ; tenuius autem corpus minus ; cum ergo dicat, *Spiritus esse corpora tenuissima*, Lev. c. 12. p. 56. proinde Deum omnium Spirituum corpus esse tenuissimum (nam *de Deo loquentem oportet uti nominibus, quæ vel negativa sunt, vel superlativa.* De C. c. 13. a. 15) miror, non illum ipsum animadvertisse, quod dicens, *Deum esse corpus, & quicquid corpus non est non esse ens*, revera Deo tenuitatem attribuat, qui maximus gradus est ad nihilitatem.

Obj. 3. *Tertull. ante ipsum idem docuisse ; qui disputans contra Apellem, dictum hoc universale pronuntiavit ; quicquid corpus non est, non est ens.* Resp. Tertullianus dicens, Deum esse corpus, nunquam (uti Hobbes) corpus universaliter sumptum definivit ; quod locum certum aliquem implet ; *cujus accidentiæ duo sunt ; magnitudo & motus ; & quod est totius universi aliqua pars ; quasi hujusmodi corpus esset Deus.* Sed per corpus intellexit improprie nihil aliud, quam veram & realem substantiam ; quod inde constat, quod (libr. de Carne Christ. c. 11) dixerit, *omnem substantiam esse corpus sui generis* : nam si putasset, omnem substantiam esse corpus propriè dictum, non dixisset *corpus sui generis*. Vide Angust. libr. de Hæres. c. 86. Polan. Synt. l. 2. c. 35. Danæum in l. c. Aug.

Obj. 4. *Plenitudinem Deitatis habitare in Christo* *σωματωνος*. Coll. 2: 9. Resp. Hoc est, non typicè, ut olim in Tabernaculo, sed verè & realiter. Vers. 17.

H

Hebr.

Hebr. 10: 1. nam si hoc intelligendum esset (ut ille vult) sequeretur, Deum alibi non fuisse, quam in humana Chr. natura: nam ipse fateretur, *unum idemque corpus quoad plenitudinem suam esse non posse in pluribus locis simul.* Prim. phil. c. 8. a. 8.

Obj. 5. (*Omnes sumus & movemur in Deo*) sunt verba Apost. *quantitatem autem habemus omnes; an quantum inesse potest non quanto?* Resp. Quasi nos effemus & moveremur in Deo, ut res locata in loco. Minimè; sed in Deo sumus & movemur, tanquam in causâ procreante & conservante. Act. 17: 28.

III. Deum docet à nobis concipi non posse: quia quicquid concipimus finitum est. Lev. c. 31. p. 170. de Cive. c. 15. a. 14.

Nullum esse conceptum infiniti. Leviathan cap. 3. pag. 12.

Nulla, inquit, est idea, naque conceptus, qui oriri potest à voce hac (infinitum). Non dicitur de Deo honorifice, quod idea ejus animo nostro insit: idea enim conceptus noster est; conceptus autem nisi finiti non est. De Cive. c. 15. a. 14.

Econtra Nonnemo, quamvis alias Hobbessii placitis addictus, *absurdam & monstruosam appellat illam sententiam, quæ tuetur, nos Deum infinitum per conceptum positivum non intelligere: quia tunc etiam scire non possumus, quid non sit. Si, inquit, non intelligam, quid sit Deus; scire non possum, an non sit lapis, aut ferrum; sed quia unanimi consensu gentium negatur, Deum ferrum, aut lapidem esse, inde evincitur, non tantum nos positivum de Deo infinito conceptum habere; sed ideam Dei nobis innatam, & tanquam quædam Artificis operi suo impressam.* Ex Cartes. princ. Philos. pag. 1. cap. 1. s. 27.

Uterque malè; ex Cartesio Vir doctus, quod statuat nos Deum infinitum positivo conceptu intelligere: quia
ni si

nisi sic intelligam, quid sit Deus, quod etiam scire non possem, an non sit lapis, aut ferrum. Absurdè & monstrosè! quasi sciens, Deum esse ens summè & infinitè perfectum, univèrsi mundi creatorem, scire non possem, Deum non esse lapidem, aut ferrum; nisi intelligam Deum infinitum esse positivo conceptu. Aut scire nullo modo possem, quid sit Deus, nisi positivè concipiam Deum esse infinitum. Hobbes autem; quod peget, Deum infinitum ullo modo concipi posse, quod Athèismus est.

Resp. Quamvis Deus, utpote infinitus, ab intellectu creato adæquate comprehendere non possit; nam quod majus est à minore comprehendere non potest, multo minus, quod infinitè majus est. Neque possit, uti in se est infinitus, à nobis cognosci immediatè & intuitivè, quoad essentiam suam, in propriâ sui ideâ, sive specie; uti Cartesianis visum: nam nunc ex parte rationum cognoscimus: videmus nunc tantum per speculum in ænigmate. I Cor. 13:11, 12. Domine, inquit David, posuisti tenebras latibulum tuum, in atrijs tuis defecisti Domine. Negamus tamen, (quod implet hæc Assert. Hobbes contendit) Deum, à nobis nullo modo concipi posse. Nullum esse conceptum infiniti.

Nam. I. Quamvis Deus rêvera in se positivè infinitus sit, & ut talis positivè conceptu à nobis non queat intelligi, ut diximus; à nobis tamen modo finito concipi & intelligi potest per conceptus varios inadæquatos; partim relativos, ut quando Deum concipimus, esse causam primam; univèrsi Creatorem, & Gubernatorem; partim absolutos & positivos; ut quando Deum concipimus, esse ens absolutè & summè perfectum, bonum, justum, sapientem, Omnipotentem, intellectum & voluntate præditum. Partim negativos; ut esse Deum unam, æternum, infinitum, immensum, immutabilem, omnis compositionis expertum. Quæ omnia

triplici via ex creaturis facile cognoscuntur, præeunte S. Script. Nempe. 1. Via *causalitatis*; ut relativa Dei attributa concipiamus per viam *causalitatis*, ex consideratione creaturarum progredientes ad concipiendum Creatorem. 2. Viâ *eminentiæ*; ut prædicata absoluta & positiva per viam *eminentiæ* intelligamus: quia nempe Deus est prima causa efficiens omnium creaturarum, inde concludentes, quicquid perfectionis est in creaturis, illud eminentiori modo in Deo Creatore necessario contineri. Psal. 94. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* 3. Viâ *negationis*; ut prædicata negativa concipiamus per viam *negationis*, omnes imperfectiones, quæ in creaturis conspiciuntur, à Deo Creatore removentes. Jes. 55: 8, 9. *Nam meæ cogitationes non sunt vestræ, neque via vestræ viæ meæ, dictum Domini. Quæ Dei attributa, quamvis à nobis negativè efferantur, summam tamen sub illa negatione Divinæ Essentiæ perfectionem designant. Id quod egregie expressit Damascenus; Atqui, inquit, oportet eum, qui vult alicujus substantiam assignare, quid est dicere, non quid non est. De Deo tamen, quid est secundum substantiam, dicere impossibile; convenientiusque de Deo longe est, per omnium ablationem (καὶ τῶν ἀφαιρέσεως) facere sermonem. Nam nihileorum, quæ sunt, est; non ut non ens, sed ut omnia entia supereminens, & super ipsum esse ens. Et ex revelatione Deum concipimus, ut unum Essentiâ, & Trinum Personis. 1 Joh. 5: 7. Qui conceptus inadæquati omnes, si Dei sunt, quod nisi ab Atheo negari non potest, qui Deum negat Hobbesius, à nobis concipi; infinitum ullo modo concipi à nobis posse. Et 2. Quomodo Deum cognoscere, ullo modo nominare, aut de illo loqui possemus, si nullum ejus in nobis conceptum haberemus? 3. Qui illum diligere ex toto corde,*

corde, si non conciperemus: nam ut ignoti nulla cupido, ita nec amor. 4. Quî cum fiduciâ illum invocare? nam *quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo autem credent ei, de quo non audierunt?* aut conceptum ullum habere potuerunt? (Rom. 10: 14.) foli quippe *fiduciam habebunt in te, agnoscentes nomen tuum.* Psal. 9: 11. Deum invocare, quem non cognoscimus, aut concipimus, est cum Atheniensibus, ignotum Deum invocare. Act. 17: 23. Et cum Samaritanis adorare, quod nescimus. Job. 4: 22. Et 5. Quî tum dicat Apost. τὸ γινώσκον τῷ θεῷ, *quod de Deo cognosci potest, in nobis manifestum esse; & ipsius invisibilia ex creaturis animadversa pervideri, eternam videlicet, ejus tum potentiam, tum Divinitatem.* Rom. 1: 19, 20. si nullum ejus in nobis conceptum unquam habere possemus? Denique 6. Si à nobis Deus concipi non potest, quî Ille definit, Deum esse corpus? Nec quod dicit, *conceptum infiniti nullum esse, congruit cum eo, quod de infinito ipse statuit; eo, nempe, non significari aliquid in re, sed tantum impotentiam in animo nostro, tanquam si diceremus, nescire nos, an & ubi terminetur.* De Cive c. 15. a. 14. Procul dubio hujus impotentiae animi nostri conceptus esse potest.

Obj. Quoniam quicquid concipimus, perceptum est ante in sensu, ideo nullam inesse posse homini imaginationem rei, quæ non sit percipienda sensibus; sed Deus sensibus percipi non potest; ergo nec concipi.

Præterea, inquit, nemo concipere aliquid potest, nisi ut in loco, & finitâ aliquâ magnitudine præditum, & divisibile in partes. In quibus supponit; in homine præter sensum, phantasiâ seu imaginationem, & cogitationum seriem, quam etiam brutis tribuit, non esse aliam altioris ordinis rei alicujus concipiendæ vim; mentem sc. immortalem, & immaterialem, intellectu & voluntate, ab imaginatione & appetitu sensitivo distin-

distinctis, præditam. *Leviath. c. 3. p. 12.* Præterea, *ingenium naturale*, quod cum homine nascitur, aliud non esse, quam sensum, in quo docet, unum hominem alii non multo magis præstare, quam bestię *L. c. 8. p. 24.* Denique, hominis *intellectum* nihil aliud esse, quam imaginationem, hominibus cum bestiis communem. *Lcv. c. 8. p. 8, 9.* Quæ cum falsa & impia sint, ut infra *Cap. 16.* demonstrabimus; etiam falsum est, & impium, quod inde deducit; nempe, *nullum nobis inesse posse conceptum rei, quæ non sit percipienda sensibus*; ac proinde, *nullum nobis inesse posse conceptum Dei, aut infiniti*: nam multa concipimus, & intelligimus, quæ non fuerunt antea in sensibus formaliter; uti *animæ essentiam & naturam; universalia*, quæ talia; *sapientiam, justitiam*; atque etiam *Deum*, eumque esse *infinitum, omnipotentem mundi creatorem, bonum, justum, sapientem &c.* nunquam tamen ut sic perse antea sensibus formaliter percipiendum.

IV. *Nomen Dei non usurpatis, contendit, ut illum concipiamus, sed honoremus.* *Leviath. c. 3. p. 13.*

Resp. 1. *Nomen Dei est v. gr. Jehova, Jah, Ebeje*, quæ essentię Divinæ Primitatem & Æternitatem designant. *El, Elahim*, quæ Illius robur & fortitudinem, *Schaddai*, Illius Omnipotentiam, & Omnisufficientiam sibi, & nobis. *Adonai*, Illius dominium in omnia. Et transiens Jehova ante faciem Mosis, inclamavit *Nomen suum; Jehova, Jehova, Deus misericors, & graciosus, longanimis, & multus benignitate & fide: custodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem, & transgressionem, et peccatum: et qui ullo pacto non habet pro innocente fontem, visitans iniquitatem Patrum in filiis, et in filiis filiorum, in pronepotibus, et abnepotibus.* *Exod. 34: 6, 7.* Quibus, & similibus Dei Nominibus, dignè à nobis usurpatis procul dubio honoratur Deus; ast hoc fit, cum debitâ animi devotione Deum talem

rilem animo nostro concipimus, & agnoscimus, qualem se esse, illis Nominibus significavit, eumque ita animis nostris conceptum adoramus, & invocamus; in Illo toto corde confidimus; Illum supra omnia diligimus, & reveremur; Illi uniri desideramus; Illiusque virtutes, ita animis nostris conceptas, verbis predicamus, easque pro nostro modulo imitari, totaque nostrâ vitâ exprimere annitimur. Jerem. 9: 24. *In hoc gloriatur, qui gloriatur, se intelligere, & (NB.) cognoscere me, me esse Jehovaham exercentem benignitatem, & justitiam in terra: quia istis delector: dictum Jehovahæ.* Jer. 31: 34. *Cognoscite Jehovaham. Cuncti ipsi cognoscant me à parvo ad magnum, dictum Jehovahæ.* Ps. 9: 11. *Qui agnoscunt Nomen tuum, in te confident.* Ps. 91: 11. *Quia in me amore propendet, liberabo illum; quia agnoscio Nomen meam.* Quem in finem etiam Christus ait, quod manifestum fecerit nomen Patris sui hominibus, quos dederat ipsi selectos è mundo. Joh. 17: 6, 21. nempe ut Deum digne conciperent animis suis, eumque in Filio suo J. Chr. glorificarent, sanctificantes eum in cordibus suis. I Petr. 3: 15. Quod fit non solo Illius nomine pronuntiato; sed ipso Deo, uti se revelavit, dignè in cordibus nostris concepto & agnito. Unde etiam jubemur, *Divinæ consortes esse naturæ.* 2 Pet. 1. 4. *Deum imitari.* Eph. 5. *sancti esse, ut ille sanctus est.* Levit. 19. *Esse perfecti, ut perfectus est Pater ille celestis.* Sed hoc modo Deo assimilari qui possumus, si nullo modo illum concipimus?

*Heu! prima scelerum causa mortalibus agris,
Naturam nescire Dei.*

Nulla ergo nomine usurpato Deum dignè honoramus, nisi Illum hoc (ut dixi) modo, qualem se variis

nominiibus manifestum fecit, animis nostris concipiamus. 2. Quin ipse Hobbes, *honorem, docet, esse opinionem alienæ potentia, conjunctæ cum bonitate.* De C. c. 15. a. 4. Si ergo nomine suo usurpato, Deus honoratur, quî non concipitur? nisi hanc de Dei potentiâ & bonitate in animo habere possis opinionem, & tamen non concipere. 3. Præterea *unicum, ait, rationem dictare naturæ significativum Dei nomen (existens sive simpliciter, quod est) unumque relationis ad nos, nempe (Deus) quo continetur & Rex, & Dominus.* De C. c. 15. a. 14. Si (*existens, sive simpliciter quod est*) est nomen significativum Naturæ Dei; & (*Deus*) est nomen significans, quod sit *Rex & Dominus* (quod tamen falsum esse contra Neo-Arianos demonstravit Maccov. *loc. Comm. cap. 12. §. 3. & 4.* & Hoornb. *Socin. conf. tom. 2. c. 1. pag. 95.*) quî nomen Dei non usurpamus, ut illum concipiamus? nisi dicat, nomen aliquod esse significativum rei alicujus, quam non concipimus. 4. Etiam de usu sermonis docet; *quod sit conversio discursus mentalis in verbalem; atque in eo consistere, ut alter alteri, quid de re concipiat, & cogitet, possit significare.* Leviath. c. 4. p. 14. Quî ergo non facit præter legitimum usum sermonis, illum de Deo usurpans, neque quid eo de Deo concipiat significans? 5. Atque an Ille, *Deum corpus esse, dixit, ut illum honoraret, non ut conciperet?* non puto.

V. Huc pertinet & hoc; *In Attributis Divinis respiciendum non esse ad definitiones vocabulorum; sed ad, quam significant, honoris intentionem.* Leviath. cap. 31. pag. 171.

Quasi honoris intentio significari posset, & Deus dignè honorari vocabulis, & attributis; quæ quid significant, non intelligimus. Talis bruta est, Deo hominibusque indigna honoris Divini intentio: *cultum rationalem Deus requirit.* Rom. 12. 1.

VI. Item

VI. Item hoc; *Si queratur; an obediendum Civitati sit, si imperetur Deo nomen attribuere, quod non intelligimus, quid significet, aut quomodo cum hoc ipso nomine (Deo) cohereat? id quoque faciendum esse. De Civ. c. 15. a. 18.*

Quis sanæ mentis Imperans jubeat Deo nomen attribui, quod nec ipse intelligit, nec subditi ejus? Quæ-
rere ergo, an eo casu obediendum? tantundem est, ac
si quis quærat, num obediendum sit Principi deliranti,
quique ipse nescit, quid jubeat, & quidem in iis, quæ
honorem & cultum Dei concernunt? Quod si dicas,
Imperantem hoc ipsum intelligere posse, quamvis non
intelligant subditi, atque eo casu obediendum. Resp.
Non teneri, nisi quid nomen, quod Deo jubetur attri-
bui, significet prius, compertum sit: quia non potest
intelligi pro modo colendi, quod nemo intelligit:
omnis enim cultus Dei primò in mente est, inde in
dictis & factis: debet enim esse rationalis. *Rom. 12: 1.*
Nullum ergo dictum pro cultu Dei intelligi potest,
nisi quatenus animi interpret est. Neque putandum
est, nomina per se nuda tribuere honorem Deo, nisi
ratione perfectionis, aut virtutis alicujus, quæ sub iis
Deo tribuitur. Nomen ergo Deo tributum, quod non
intelligimus, quid significet, frustra est, & inconsidera-
tum, & abusus nominis Divini, & peccatum contra
quintam, quam dicit, legem naturalem de cultu Dei.
Art. 5. cap. cit. item contra præceptum rationis, quod
appellat, primum generalissimum, *ut sint signa animi
honorantis*: at nomen, quod Deo tribuimus, nec intelli-
gimus, quid significet, esse nequit signum animi hono-
rantis; ut quo non agnoscitur potentia, vel bonitas
Divina: & contra præceptum, quod nuncupat, *sex-
tum; ut nomen Deo tributum sit honoris significativum.*
His accedit, quod ille, qui Deo attribuit nomen, quod
non intelligit, sese periculo exponat tribuendi Deo,

quod divinâ Majestate indignum est, id quod implicat contemptum Dei. Vide Rom. 14. 5, 23. I Cor. 14. per totum. *De Deo etiam vera dicere periculosum est, habet vetus sententia; multo magis de ipso dicere, quod non intelligimus.*

Obj. *Quæ facimus honoris causa, nec intelligimus aliter se habere, si pro signis honoris accipiuntur, signa honoris sunt, ideoque si ea facere recusamus, recusamus Dei honorem propagare.* In hoc arg. supponit, quicquam accipi posse pro signo honoris erga Deum, & honoris causâ legitimè fieri posse, quod non intelligimus; quod hîc est τὸ κριβδισμῶν. Ipse statuit honorem consistere in opinione alienæ potentæ conjunctæ cum bonitate, eumque tres affectus consequi: amorem, qui ad bonitatem; spem & timorem, qui ad potentiam referuntur. Art. 9. Cap. cit. At nomen, quod Deo tribuimus, & non intelligimus, quid significet, aut quomodo cum hoc ipso nomine (Deo) cohareat, non potest esse signum opinionis &c. neque ergo signum honoris esse potest.

VII. *Etiam attributa ista pro signis honorandi Deum habenda esse, statuit, quæ ita haberi volunt homines: quia verba omnia (& proinde attributa) significationem habent à consensu, & constitutione hominum.* Leviath. c. 31. p. 172.

Resp. 1. Quasi non sæpe homines pro signis honorandi Deum haberi vellent attributa talia, quæ (ipso etiam Hobbesio fatente) revera Deo honorifica non sunt; sed apertè in Maj. divinam centumeliosa. V. Gr. *Deum non esse mundi creatorem, voluerunt olim Simoniani, Manichæi, & Priscillianistæ apud Danæum in August. Libr. de Hæresibus c. 70. Deum esse finitum, eundemque corruptibilem, voluerunt iidem Manichæi apud August. contra Faustum Libr. 25. & Libr. de actis*

æstis cum Felice Manich. c. 14. Deum esse corporeum, humanæ formæ similem, olim voluerunt Audiani, dicti Anthropomorphitæ, apud Aug. de Hæres. c. 59. & Danzum ibid. Deum à nobis plene perfectæque, qualis quævisque in se est, comprehendi posse, voluerunt Aetiani & Eunomiani. Ibid. c. 54. Deum oculis corporei cerni & videri posse, voluerunt Massaliani. Ibid. c. 57. Deos plures uno esse, voluerunt Gentiles. Deum quoad essentiam non ubique esse in omnibus rebus, & extra mundum, volunt Sociniani, Vorstius, Remonstrantes Apol. fol. 43. Deum providentiæ suæ hæc inferioræ curare, Deo honorificum esse, negant Epicuræi. Deum esse animam mundi, voluerunt olim multi Philosophi. Quis Deum esse hunc mundum ipsum visibilem, vult Spinoza passim in Tract. Theol. polit. Quod si ergo pro signis honorandi Deum habenda essent attributa omnia, quæ ita haberi volunt homines; tum pro signis honorandi Deum habenda essent attributa talia, quæ apertè (etiã Hobbessio fatente) Deo indigna sunt, & contumeliosa in Divinam Majestatem. Non ab hominum arbitrio dependet, quibus attributis Deus honorandus sit; sed ab ipsâ immutabili Dei naturâ, ejusque revelatione vel supernaturali in Verbo suo scripto; vel naturali per dictamen rectæ rationis, Frustra (inquit Deus) colunt me, docentes doctrinas, quæ sunt præcepta hominum. Matt. 15. 9.

Obj. Verba omnia, & proinde attributa, significationem habent à consensu, & constitutione hominum; ergo illa attributa pro signis honorandi Deum habenda sunt; quæ ita haberi volunt homines. Resp. Idem quod Latino sermone significatur V. Gr per voces justu, bonus, sapiens &c. aliis linguis per alias voces significatur, atque hoc est à consensu & constitutione hominum; non autem, an illud, quod per illas voces significatur, Deo attribuendum sit, nec ne.

VIII. *Qui Deum videre, scire, intelligere dicunt, nisi per illa verba intelligant divinam, & incomprehensibilem potentiam, Deum non honorare.* Ib. p. 170.

Quasi digne Deum honbrarent impii, dicentes, *non videt Iab; nec animadvertit Deus Iacob.* Pl. 94. 7. *Quid nosceret Deus; nubes latibulum sunt ei, ut nos non aspiciat.* Job 22. 13, 14. *Quis videt nos, & quis novit nos.* Et non dignè Deum honoraret S. Script. hæc passim de Deo prædicans. *An formator oculi non intueatur? qui docet homines scientiam, an inscius esset?* Pl. 94. 9, 10. *Iisque verbis perfectiones in Deo intelligens à divinâ & incomprehensibili ejus potentiâ in signo rationis distinctas? Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, audit quæ & videt.* Sed vult forsan, Deum quidem videre, scire, intelligere; sed per suam incomprehensibilem potentiam. Sed quamvis propter absolutam & individuatam Divinæ essentia simplicitatem à parte Dei essentialiter unum idemque sint ipsius *sapientia, voluntas, potentia, misericordia, justitia &c.* tamen in sensu formali distingui debent: non enim Dei misericordia est formaliter sua justitia; nec justitia sua sapientia; nec sapientia sua potentia: non enim Deus miseretur propriè per suam justitiam; aut punit per suam misericordiam; nec efficit potenter per suam sapientiam; aut omnia novit per suam potentiam; sed (ut præclare Bernhardus) *amat Deus ut charitas; novit ut veritas; sedet ut æquitas; dominatur ut Majestas; regit ut principium; tuetur ut salus; operatur ut virtus; revelatur ut lux; assistit ut pietas.* Ita quoque miseretur ut misericordia, punit ut justitia, efficit potenter per suam potentiam, omnia videt, scit, intelligit per suam sapientiam: hæc enim uti in creaturis *actu* distinguuntur *ex natura rei*, ita in Deo *ex natura rei virtualiter & eminenter.* Quod accuratè explicatum videas apud Becan. *Theol. Schol. part.*

part. I. Traët. 1. c. I. n. 9, 10, &c. Voet. Dispp. select. part. I. p. 233. Quocirca nec verè, nec dignè de Deo loquitur, eumque honorat, qui dicit; Deum (V. Gr.) punire per suam misericordiam, aut misereri per suam iustitiam; aut efficere potenter per suam sapientiam; ita nec digne de Deo loquitur Hobbes, eumque honorat, dicens; Deum non videre, scire, intelligere, nisi per incomprehensibilem suam potentiam.

Procul dubio se ipsum, & in se omnia videt, scit, intelligit omniscius Deus, an incomprehensibili suâ potentiâ? cur non potius infinitâ suâ sapientiâ?

Πρωτον ἴδωμεν; honorem consistere tantum in opinione potentiæ alicujus, de C. c. 15. a. 9. Lev. c. 10. p. 47. de quo vide *Vind: meas pro Relig. p. 59.*

IX. Deum infinitum dicendum esse, negat, quod talis sit in se; sed Deum infinitum dicere, significare, ait, impotentiam in animo nostro, tanquam si diceremus; nescire nos, an et ubi terminetur. Lev. c. 3. p. 12. de C. c. 15. a. 14.

Tum dicentes, Deum esse infinitum, non attribueremus Deo perfectionem aliquam; sed potius animo nostro imperfectionem. Quare infinitum esse, non esset attributum Dei; sed animi nostri. Vide *Vind. cit. p. 95.*

X. De Æternitate malè dici censet, quod non sit temporis sine fine aut principio successio; sed nunc stans, id est, inquit, idem nunc nobis sit, quod erat nunc Adamo; id est, inter nunc & tunc nulla sit differentia. L. c. 46. p. 321.

Ille ergo, eternitatem, statuit, esse temporis successionem secundum prius & posterius.

Idem docent Sociniani. Quamobrem, inquit Socin. ipsius quoque Dei respectu, aliquid præteritum, aliquid vero præsens, aliquid etiam futurum est. Nec vero in
mundi

mundi creatione tempus primum existit. Prael. c. 8. pag. 25. Non potest, inquit Crellius, nobis eorum probari subtilitas, qui aeternitatem Dei, omnia, quae antiquam existerunt, temporum spatia complectentem in unius puncti, seu momenti angustias cogant. Individuam esse stantem; nihilque in ea prius, nihil esse posterius. Lib. de Deo. c. 18. p. 127. Eandem sententiam tuetur Vorstius in Notis ad disp. de Deo. p. 226. 229. & alibi.

Resp. In aeternitate non esse temporis successionem secundum prius & posterius, aperte colligitur, Pl. 90. v. 4. cum 2 Petr. 3. 8. Unus dies apud Dominum, ut mille anni, & mille anni, ut unus dies. En talis est supereminentia durationis divinae, ut temporum differentias, & successionem prorsus excludat: nam in cuius duratione non est differentia diei vel mille annorum, in ea non est temporis successio secundum prius & posterius. Neque annorum, aliorumque temporum successio absque insigni mutatione aut esse potest, aut intelligi; sed Deus est, qui non mutatur in aev. Apud Deum non est ulla commutatio, aut conversionis ἡμετέρας, species, vel umbra. Jac. 1. 17. Et aeterna Dei duratio, sive existentiae ejus permanentia, est ipsa Dei essentia. I Sam. 15. 2. Qui est aeternitas Israelis &c. Uti ergo individua & simplicissima Dei essentia partes, earumque successionem non admittit, ita neque aeternitas.

Sed dicit; si in aeternitate non est temporis successio; tum idem nunc nobis esset, quod erat nunc Adamo, & inter nunc & tunc nulla esset differentia. Resp. Deus in se semper idem manens, atque immutabilis, coëxistit hominibus in diversis temporibus existentibus, itaque respectu Dei idem nunc est nobis, quod erat nunc Adamo; atque hoc respectu inter tunc & nunc differentia nulla est; sed non respectu nostri & Adami in diver-

diversis temporibus æternitati Dei inadæquatè coëxistentiam. Quemadmodum in Circulo omnes lineæ à peripheria ductæ ad centrum ibi, & respectu centri coëunt, & coëxistunt inter se; non ideo tamen coëunt aut coëxistunt inter se ipsæ lineæ.

CAPUT XIII.

De S. S. Trinitate.

Fides Catholica hæc est (ut sanctè graviterque monet Athanasius) ut unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur. In unâ nempe, eâdemque individuâ essentia Divinâ Tres agnoscimus Personas, sive ὁποσάδεας ὁμοουσίους; Patrem, Filium, & Sp. S. In cujus fidei professione etiam ex Christi præcepto baptizamur, ut non habendi pro Christi Discipulis, nisi ex illius veritatis fide, ac professione. Matt. 28. 19. *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Sp. S.* Quæ tres unius ejusdemque individux essentix divinæ Hypostasès disertè etiam nominantur, & distinguuntur, Ps. 33. 6. *Verbo febovæ cali facti sunt, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum.* 1 Joh. 5. 7. *Tres sunt quæ testificantur in calo, Pater, Sermo, & Sp. S.* Item Gen. 48. 15, 16. Jcf. 61. 1. & 63. 9, 10. Hagg. 2. vers. 4, 5. Matt. 3. 16, 17. Joh. 15. 26. 2 Cor. 13. vers. 13. aliisque plurimis locis. Apertè etiam nominantur, & distinguuntur in Symbolo: *credimus enim in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem; & in Filium ejus unigenitum, & Christum Redemptorem; & in Sp. S. Sanctificatorem.*

Ille autem cum Socinianis, aliisque Anti-Trinitariis hanc doctrinam indignè explodit.

L Ne-

I. Negat, in naturâ rerum aliquid esse cuius nomen esset (Esse, vel Essentia;) & vocem Essentia in Scripturis inveniri. L. c. 46. p. 320.

Resp. τὸ Esse vel Essentia est nomen Dei Opt. Max. quod sæpissimè in Sacris Deo tributum invenimus. V. Gr. Job 12. 16. *Apud illum est robur & essentia.* Prov. 8. 14. *Meum est consilium, et Essentia.* Es. 28. 19. *Mirificus est consilio, et magnificus Essentiâ.* Huc pertinet nomen *Jehova, Jah, Ebeje, Ero qui Ero.* Exod. 3. 14. & Apoc. 1. 8. *ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος.* Et quod Deus de se affirmat; *Ego sum, et non est alius.* Es. 44. 1. Quin (quod mirandum) disertis verbis alibi scribit ipse noster Hobbesius; *Deum unicum naturæ suæ nomen habere, EST.* L. c. 31. p. 170. De C. c. 15. a. 14. Et Atheismi insinuat Johan. Damascenum, quod dixerit, *Deum ἀνόσιον esse: qui in numero entium non est, sed supra ea omnia elatus.* App. c. 3. p. 361. Sic ubique scateret antilogiis.

Πρῶτον *ἰεὺς*. Ne cogatur Essentias admittere incorporas, & immateriales; & vocem *ὁμούσιον.* L. c. 46. p. 320. & App. c. 3. p. 360.

II. Neque in Symbolo, ait, neque in S. Script. distinguuntur, aut nominantur tres Hypostases. App. c. 1. p. 333.

Tres Hypostases & in Symbolo, & S. Script. disertè distingui, & nominari, modo monstravimus: nam quamvis sub his vocabulis (Tres Hypostases) non legamus ibi tres Personas Divinas *αὐτολιξεί* distingui aut nominari; illa tamen etiam filio, & Sp. S. in Sacris tribuuntur prædicata, qualia distinctis personis, five Hypostasibus tribui solent; quod revera tantumdem est, ac si in S. Script. & Symbolo tres Hypostases disertis illis verbis legerentur; ut hic vel ipsum Socium in hâc doctrinâ de S. S. Trinitate Hobbesio longè æquiores

æquiores experiamur : ita enim Ille in *Disp. cum Francisco Davidis* super adoratione Christi ; *Simile*, inquit, quod affers de vocabulis (Essentiæ et Personarum) à nobis repudiatis, quia in sanctis Literis non inveniuntur, non admittendum. Nemini enim vere cordato unquam persuadebitis id, quod per ea vocabula Adversarii significare voluerunt, idcirco repudiandum esse, quia ipsa vocabula scripta non inveniuntur. Satis est enim apud omnes veritatis amantes, rem ipsam, de qua questio est, rationibus vel testimoniis confirmari, quamvis vocabula diserte scripta non inveniuntur. Et vocabulum (ὁμοῦσως) diserte Deo Patri tributum legimus ; *Hebr. 1: 3.* ubi Christus, Filius Dei, *χαρὰ πατρὸς ὁμοῦσως ὄντος*, nempe Patris esse dicitur. Et cum Ipse *Tres Hypostasēs* inveniri fateatur in Symbolo Athanasii, quod ipse partem agnoscit esse Liturgiæ Anglicanæ ; miror sane, illum, qui dum vixit, subditus fuit ejus, qui tunc (secundum ipsum) summam habuit in Ecclesiâ Anglicanâ potestatem ; cujusque solius fuit in Angliâ de doctrinis statuere ; & cujus verbis (ipse scribit) unumquemque intellectum suum sine examine Philosophico subicere obligari (L. c. 32. p. 173.) neque quando ad fidei confessionem ventum erit, privato judicio locum ullum esse ; sed ad eundem eum esse, qui summam sub Deo in Ecclesiâ habet potestatem (L. c. 37. p. 207.) non horum ipsum meminisse, cum doctrinam de S. S. Trinitate, in Ecclesiâ Anglicanâ publice receptam, in suis scriptis publice oppugnans, vocabulum fugillavit, quod ipse in Symbolo Athanasii, quæ pars est Liturgiæ Anglicanæ, non ignoravit inveniri.

Exc. In Græco quidem Hypostasim esse ; in Latino autem et Anglicano, Personam. Quasi Ecclesiæ Anglicanæ in Symbolo suo Athanasii Latino & Anglicano

aliud efflet *Persona*, quam in eodem Græco *Hypostasis*: nam quod (ut ait August.) à nostris Græcis dictum est *una essentia*, tres *substantia* (id est *hypostases*) id à Latinis dicitur *una essentia*, vel *substantia*, tres *Personæ*. Tom. 3. de Trin. l. 7. c. 4.

III. Deum quidem *Hypostasin* esse, ait; sed non tres, sed unam tantum *Hypostasin*, hoc est, ens esse unicum, trium nominum suppositum, sive ἑπιστάσιμον, *hypostasin*, fundamentum. Sicuti unus idemque homo dicitur *Pater*, *Filius*, *Nepos* diverso respectu, *Pater* respectu ejus, quem genuit; *Filius* respectu ejus, à quo est genitus; *Nepos* &c. App. c. 1. p. 339.

Sed diserte *Pater*, *Filius*, & *Spiritus sanctus* Tres esse dicuntur, qui testificantur. 1 Joh. 5. v. 7. Tres autem testificantes non sunt tria nomina, diverso tantum respectu uni eidemque *Hypostasi* imposita. Diserte etiam Sp. S. alius esse dicitur à Patre & Filio; & ut à Patre & Filio distinctus à Patre procedere, & à Filio mitti. Joh. 14. 16. & 15:26. nempe quia *Pater*, *Filius*, & Sp. S. revera tres sunt distinctæ *Hypostases*; non una tantum *Hypostasis*, hoc est, ens unicum, trium tantum nominum suppositum, sicut unus idemque homo diverso respectu dicitur *Pater*, *Filius*, *Nepos*.

Est hæc *Hobbesiana* Assertio hæresis *Sabellii*, quam & olim tenuisse commemorantur *Praxeas*, *Hermogenes*, *Noëtiani*, *Patripassiani*, alique de quibus vide *Danzum in August. libr. de Hæresib. cap. 41.* pridem plus satis ab *Orthodoxis* profligata.

IV. Vbi legitur, inquit, in *Script. aut in Symbolo Nicæno*, tres esse *Hypostases*? addit; aut tres *substantias*, id est, tres *Deos*; aut aliud, quod tantundem valet? L. c. 46. p. 317.

Quasi tres *substantia*, & tres *Dei* tantundem valent *Orthodoxis*, ac tres *Hypostases*. *Substantia* dicitur

citur (ut notum) ens per se, aut in se existens, oppositè ad *accidens*, cujus esse est inesse in alio. *Hypostasis* autem *in concreto*, est substantia incommunicabiliter, completè, & ultimè per se existens; aut *in abstracto* designat specialem illum modum existendi naturæ substantialis. Quia vero in unâ eâdemque Essentiâ Divinâ singulari atque individuâ tres sunt tales modi subsistendi, dicimus, Essentiam sive substantiam Divinam unam tantum esse, sive tantum unicum esse Deum, sed tres revera esse Hypostasès. Non ergo idem est dicere; tres esse Hypostasès; ac dicere, tres esse substantias, id est, tres Deos.

V. *Personam esse*, contendit, qui suo vel alieno nomine res agit. Si suo, *Personam naturalem esse*; si alieno *fictitiam*. Eo sensu vocabulo (*Personæ*) uti Ciceronem; ubi dicit; *Vnus sustineo tres Personas; Mei, Judicis, & Adversarii*. Et tum postea;

Etiâ Dei veri Personam geri & gestam esse: mundum eorum in propriâ Personâ illum creasse; in redimendo genere humano Personam Dei gessisse? Christum, id est, non auctorem illum fuisse, sed Actorem, seu Personam Dei repræsentativam. Similiter Sp. S. in electis sanctificandis. Non secus ac Moses Personam Dei sustinuit, cum populum Israël non suo, sed Dei nomine gubernaret. De Hom. c. 15. a. 1. L. c. 16. p. 79, 81. App. c. 1. p. 342. 346.

Quasi nemo *Persona* dicendus esset, nisi quatenus suo aut alieno nomine operatur. Et usu receptum non esset, personam dici suppositum, ratione præditum, etiam in S. Script. 2. Cor. I: II. *Jud. v. 16*. Quin ipse fatetur, τὸ πρόσωπον synechdochicè aliquando poni pro ipso homine, ut in voce προσωποληψία loc. cit. Et quasi Christus, & Sp. S. non essent in se propriè personæ Divinæ, seu naturales, sed repræsentativæ tantum; non secus ac Moses, cum populum

Israëlis Dei nomine gubernaret. Aut ab æterno in unica individua Essentia Divina unà cum Patre non fuissent in se Personæ Divinæ *ὁμοῦσι*; contrarium liquet de Filio, Joh. 17. 5. *Nunc glorifica me tu Pater apud te ipsum ea gloria, quam habui apud te, priusquam esset mundus.* De Sp. S. Gen. 1. 2. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*, nempe in prima mundi creatione. Vide cap. 7. *Affert.* 1. Et Hebr. cap. 9. v. 14. Spiritus S. ideo *Spiritus æternus* appellatur: Quamvis enim D. N. J. Christus, qua Mediator, æconomice consideratus, dicatur, nomine Dei Patris, opus nostræ redemptionis peregrisse; tamen *Theologicè* consideratus, quia æternus Dei Filius, atque etiam Sp. S. Patri *ὁμοῦσι* non minus suo nomine omnia operantur; nempe *creando, redimendo, sanctificando*, quam Deus Pater, juxta illud; *opera ad extra sunt indivisa.* Joh. 1. 3. Coll. 1. 16. Hebr. 1. 3, 10. Gen. 1. 2. Pl. 33. v. 6. Job. 33. 4. Et Christum, negare, nostræ redemptionis Auctorem fuisse (uti hic Hobbes) & contra honorem est nostri Servatoris, & S. Scripturam; Hebr. 5: 9. *Et consummatus, factus est Auctor salutis æternæ.* Et 2: 10. *Ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας αὐτῶν.*

Hausit hæc ex lacunis Serveti. Vide Pezel. in *Obj. & Resp. Melanth. part. 1. de Trinit. Arg. 2.*

VI. Generationem æternam Filii à Patre non distinguunt, contendit, à generatione illa, quæ facta est in utero Virginis. L. c. 46. pag. 317.

Deum esse Filium ex eo, quod Virgo illum ex Spiritu sancto, id est, Deo conceperat. Imo Deum illum fuisse ab æterno, etsi nondum carnem induisset. Nam de eo, quod ab æterno decrevit, cui omnia sunt presentia, loquitur Deum sæpenumero tanquam de præsentia. Ibid.

Quasi Christus Deus ab æterno fuisset tantum quia ab æterno Deus decrevit, illum suo tempore ex Virgine

ne

ne à Sp.S. nasciturum. Sic omnes homines dici possent fuisse ab æterno : nam nullus est , quem non Deus ab æterno , suo quemque tempore , decrevit nasciturum. Et generatio Filii in utero Virginis facta est in tempore ; illam dicere non distingui à generatione Filii à Patre , quæ facta est ab æterno , manifesta contradictio est. Vide Ps. 2. 6. Mich. 5. 1. Prov. 8. 24. Job. 1. vers. 1, 14. 20, 27. & cap. 8 : 58. & 17 : 5. Rom. 9 : 5.

VII. Negat etiam Spiritum sanatum alium (aliam personam) esse à Deo Patre. App. c. 1. p. 333.

Contra diserta verba Servatoris, Joh. 14. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Advocatum dabit vobis, Spiritum illum veritatis, qui à Patre emanat. Joh. 15. 26. Confer. Assert. 3.

VIII. Concludit tandem. Verum, inquit, mihi non videtur in tantillis verborum argutiis versari salus hominum. Qui credit in J. Christum, quemque suorum peccatorum ponit, quin is (etsi Theologus non sit) salvandus tamen sit, nullus dubito. Ibidem pag. 345.

Loquitur de fide S.S. Trinitatis. Quasi hic de argutiis verborum ageretur, ubi de præcipuo fundamento agitur religionis Christianæ. Matt. 28 : 19. Job. 17. 3. Gemina his apud Remonstrantes invenias in Apol. c. 3. f. 53. & alibi. Vide Gish. Voet. de necessit. & utilit. dogmatis de Trinit. Dispp. part. 1. pag. 466. Et supra Cap. 8. ad Ass. 1. p. 78.

L O C U S VII.

C A P U T XIV.

De Creatione Mundi in genere.

Mundum non fuisse ab æterno, sed in principio à Deo creatum esse, scimus & certissimè credimus; tum quod Moses scribat, Gen. I. *In principio creavit Deus calum et terram.* Tum quod ipsa ratio doceat, necessario initium existentie illud habere debuisse, quod ex nihilo à Deo productum est. Et ipse fatetur; *quæ creata sunt non esse ab æterno: quia creata.* App. c. I. p. 329.

Et quamvis nos definire, nec quisquam hominum potest, ubi mundus terminetur; tamen illum infinitum non esse scimus. quia *actu infinitum esse* attributum est incommunicabile soli Deo proprium.

Atque in Mundo *Solem, non terram moveri*, piè credimus: quia S. Script. variis locis de terrâ loquitur ut immobili, & Solem moveri disertè testatur. Ps. 19. vers. 5, 6. &c. *Soli posuit tentorium in eo, et ille est tanquam Sponsus, qui prodit de thalamo suo, letatur tanquam robustus, decursurus viam. Ab extremitate cæli exitus ejus ad extremitates illius.* Et Psal. 104: 5. *Fundavit terram super bases ejus, ne dimoveretur in seculum et perpetuum.* Vide etiam Eccl. 1. vers. 4, 5, 6. Matt. 5: 45. Quid hîc Hobbes?

I. *Quæstiones de magnitudine, et origine Mundi; An sit finitus, vel infinitus; An fuerit æternus vel non? non a Philosophis, sed ab iis, qui ordinando Dei cultus legitimi præsumunt, determinandas esse.*

Addit, *absurdi nihil sequuturum, sive finitus sive infinitus*

infinitus mundus statuatur. Phys. part. 4. cap. 26.
a. 1.

Sed, inquam 1. Si Deus est corpus, ut statuit *App. c. 3. p. 360.* atque est infinitus, uti scribit, *de Crve c. 15. a. 14.* hoc est, est corpus infinitum; si mundus statuatur magnitudine infinitus, tum hoc absurdi sequeretur ex illius hypothese; existere simul duo corpora actu magnitudine infinita: nam & partes mundi omnes ita sibi invicem contiguas esse, ipse statuit, ut ne minimum quidem admittant interstitium vacui. *Phys. l. cit. a. 2.* Et corporum penetrationem impossibilem esse. *Philos. prim. c. 8. a. 8.* Quin impossibile esse intelligens, existere simul duo corpora actu infinita, ait; *si mundus fuerit magnitudine infinitus, controversiam nullam esse posse; an sit unus, vel plures.* Nisi velit (quod contendit Spinoza) hunc ipsum mundum esse Deum; sed hoc non permittit, quod alibi scribit; nempe, *qui mundum Deum esse dicunt, illos Deum esse omnino negare: nam per nomen illud (Deus) intelligi mundi causam.* De C. c. 15. a. 14. Et 2. Ipse definit mundum ex nihilo à Deo factum esse, *App. c. 1. p. 333.* Quod si simul statueretur, mundum ab æterno fuisse; hoc absurdi sequeretur, aliquid ex nihilo factum, ab æterno fuisse; quod absurdum esse, ipse fatetur. *Ibid. pag. 329.* Quin definit, *eos, qui mundum non creatum, sed æternum esse asserunt, quoniam æterni causa esse non potest, causam mundi esse, id est, Deum esse, negare.* De C. c. 15. a. 14. Qui ergo neget, illas de mundo quæstiones à Philosophis, sed iis, qui ordinando Dei cultui præsumunt, definiendas esse? ut quarum posteriorem ita definit ipse Philosophus, ut ratione naturali evidenter demonstraret, eos revera Deum esse negare, qui mundum æternum esse asserunt. 3. Et si (quod ait) infiniti scientia finito Quæsitore est inaccessibleis, qui quæstiones de magnitudine & origine mundi magis accessibiles sunt

is, qui cultui Divino ordinando præfunt, quam aliis: nam & illi Quæsitores finiti sunt. Confer. *Ward. Exerc. in Hobb. p. 112.*

II. *Argumenta*, ait, *quæ à formula dictionis* (in S. Script.) *sumuntur, firma non esse: toties enim S. Script. loqui de terrâ ut immobili, quam tamen Philosophi hodie fere omnes moveri censent signis evidentissimis. L. c. 8. p. 41.*

Præterquam quod hinc sequeretur, argumenta nulla firma ex S. Script. peti posse: quia argumenta nulla ex S. Script. peti possunt, nisi à formulâ dictionis; cum ipse Cartesius fateatur, omnia phænomena non minus commodè explicari posse in hypothesi, quæ statuit terram immobilem (Tychonis) quam quæ statuit, terram moveri. *Princ. Phil. l. 3. §. 17.* Scire aveo, quæ illa signa sint, adeo evidentia, quibus Noster ait, hodie Philosophos fere omnes induci, ut contra S. Scr. censeant, Terram moveri.

LOCUS V.III.

CAPUT XV.

De Angelis.

Angelos, de quibus passim in Sacris, vera esse ἄφυσικά, substantias incorporeas, atque à Deo creatas, demonstrat passim Divina Prophetarum atque Apostolorum auctoritas. V. gr. Gen. 2: 1. *Perfecti sunt cæli, & terra & omnis exercitus eorum.* Ergo etiam Angeli: nam illi sunt supremi cæli exercitus. *Neh. 9: 6. Luc. 2: 13. Psal. 148: 2. 1 Reg. 22: 19. Et Psal. 104. 4. Qui facit Angelos suos spiritus. Coll. 1. 16. Per eum creata sunt omnia, quæ*

in cælo sunt, & quæ in terra: visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Domina, sive Principatus, sive potestates. Esse autem illos essentias spirituales & incorporeas docet Propheta Ps. 104. 4. citat. & Apost. Hebr. 1. 14. Nonne omnes sunt spiritus? Et constat inde, quod legamus (Luc. 8. 30.) integram legionem dæmoniorum fuisse in uno homine. Quod qui esse potuisset, si dæmones essent corporei? Noster vero cum Sadducis, Act. 23. 8. & Libertinis.

I. De Angelorum creatione in Script. disertis verbis quicquam legi, negat. Lev. c. 34. p. 186. App. c. 3. p. 362.

Contra loca allegata.

II. Nihil esse Angelos, ait, præter phantasmata, quæ nec realia sunt, nec diutius permanent quam somnium & visio, in quâ apparent; quæ phantasmata sive apparitiones substantiæ non sunt, sed accidentia organorum sentiendi. Quando tamen à Deo ad voluntatem suam significandam supernaturaliter producuntur, non improprie nuntios à Deo, id est, Angelos appellari. Lev. c. 34. p. 186.

Dæmones Phantasmata tantum esse Philosophorum. L. c. 45. p. 305. &c.

Idola cerebri, sive phantasmata, quæ videntur, & non sunt; & (quod Apostolus universaliter de Idolis dicit) Nihil. L. c. 34. p. 183.

Aniles fabulas. L. c. 44. p. 290.

Verum Angelos vera esse ὑπὸ ἰσάμωα, non phantasmata, idola cerebri &c. scire possumus inde.
1. Quod locis supra cit. à Deo creati esse legantur.
2. Quod eorum passim commemorantur apparitiones variz, operationesque & in corporibus assumptis, & aliz tales, quæ nisi vera ὑπὸ ἰσάμωα essent, illis tribui nequaquam possent. V. Gr. bonorum Angelorum

rum. Gen. 18. 19. Dan. 7. 10. Matt. 18. 10. et 22. 30. et 25. 31.
 et 26. 35. Luc. 1. 19, 26. et 2. 13. et 15. 10. et 16. 22. et 20.
 7. 36. Act. 7. 53. Gal. 3. 19. 1 Tim. 5. 21. Hebr. 1. 14. et 2.
 7. 16. et 12. 22. 2 Petr. 2. 11. Jud. 7. 14. *Malorum V. Gr.*
 Gen. 3. 1. 1 Reg. 22. 21, 22. 2 Chron. 18. 20, 21. Job 1. 6.
 Matt. 4. 1. et 12. 45. et 25. 41. 2 Petr. 2. 4. 1 Joh. 3. 8, 10. Jud.
 7. 9. 3. Quod iis passim tribuatur sapientia. 2 Sam. 14. 20.
 Quædam ignorare dicantur, Dan. 12. 6. Matt. 24. 36.
 Sanctitate præditi esse. Job 4. 17. & 15. 15. Ps. 8. 6.
 Deum laudare, eique obedire. Ps. 103: 20, 21. Es. 6:
 v. 3. Matt. 6: 10. Adstare in conspectu Dei. Es. 6: 3.
 Deut. 33. 2. Eumque adorare. Neh. 9. 6. Hebr. 1. 6.
 Eorum quidam lapsi esse. Jud. 7. 6. 2 Petr. 2: 4. Job. 8:
 v. 44. Deum nosse, & contremiscere. Jac. 2. No-
 vissse Jesum esse filium Dei. Matt. 8: 29. Quæ omnia
 de Phantasmatis dici, aut idolis cerebri, quæ nec entia
 realia sunt, nec diutius permanent, quam somnium
 & visio, in qua apparent quis, credat? 4. Nuntius
 propriè non dicitur, nisi de substantia ratione præditas
 sic V. Gr. epistola ad aliquem missa, ad aliquid signi-
 ficandum aut nuntiandum, nunquam nuntius appella-
 ri solet propriè loquendo; vanum ergo, quod de phan-
 tasmatis ait, à Deo productis ad voluntatem suam
 significandam, non impropriè illa Nuntios appellari.
 5. Denique Angeli fuisse leguntur, priusquam homi-
 nes existerent, Job 38: 7. illi ergo qui hominum phan-
 tasmata tantum sunt, sive accidentia organorum sen-
 tiendi, non entia realia, aut veræ substantiæ?

III. In plerisque locis V. T. ubi Angelorum fit men-
 tio, per Angelum significari, ait, tantum ideam ali-
 quam in phantasia à Deo excitatam. Leviath. cap. 34.
 pag. 187.

Huc refert. 1. Gen. 16. Hic, inquit, apparitio
 una & eadem & Angelus vocatur & Deus: nam vers. 7.
 Angelus Domini vocatur; sed vers. 10. dicit idem An-
 gelus

gelus ad Agar ; (semen tuum multiplicabo valde.)
Quæ verba dici nisi a Deo non possunt. Constat ergo, An-
gelum nihil aliud hoc loco significare, præter apparitio-
nem Divinam, per vocem a cælo præsentiam Dei testan-
tem extraordinariam. Resp. Quod fuit ipse Deus,
illud non fuit ipsa Dei apparitio, sive phantasma, aut
idea aliqua, in phantasia Agarisi à Deo excitata; sed
(ipso Hobbesio ex v. 7. cum v. 9. rectè concludente)
Angelus ille, qui apparebat Agari, fuit ipse Deus:
nempe Filius Dei, J. Christus, qui Angelus foederis,
seu Testamenti appellatur. Mal. 3: 1. ipso etiam Hob-
bessio fatente, pag. 188. Non ergo hoc loco Angelus
Dei significare potest ipsam Dei apparitionem, seu
phantasma, aut ideam in phantasia Agarisi à Deo ex-
traordinariè excitatam.

2. Gen. 19. *Angeli, inquit, qui apparuerunt Lot,*
& vocantur Viri v. 10. & quibus, cum essent duo, loqui-
tur Lot ut ad unum, et appellat Dominum, imagines erant
in phantasia ejus formatæ a Deo. Resp. 1. Quos
Lot vidit, illi non potuerunt esse phantasmata, seu
imagines in illius phantasia a Deo formatæ: nam vi-
deri (ipse scribit p. 186.) a natura phantasmatum alie-
num esse; sed v. 1. legitur Lot vidisse illos Angelos.
 2. Et quod ait, *Lotum ad duos illos fuisse loquutum*
ut ad unum, falsum esse liquet v. 2. ubi illos alloquens
in plurali dicit; Domini mei. 3. Neque de imagini-
bus in phantasia Loti a Deo formatis intelligi possunt,
quæ de illis Angelis referuntur per totum illud caput;
nisi totam illam historiam fingas fuisse, imaginariam
tantum, non veram.

3. Gen. 22. v. 11. *Angelus, inquit, qui apparuit*
Abrahamo, sacrificaturo filium Isaac, vox erat; att-
amen satis propriè Angelus vocatus est: ut quâ nuntiatum
est illi, ne filium interficeret. Resp. Angelus ibi cla-
masse dicitur de cælo ad Abrahamum non, ergo Ange-
 lus

lus ille fuit vox illa ipsa; aut Vox illa Angelus ipse, sed Angeli vox, ab Angelo prolata, & ab ipso distincta; & v. 16. Angelus ille, qui Abrahamo apparebat, appellatur Jehova, & revera fuit: nam dicebat Abrahamo; *ego semen tuum multiplicabo valde.* v. 17: *Quae verba dici nisi à Deo non posse,* ipsum mox dicentem audivimus. Angelus ergo ille non fuit Vox Dei, sed ipse Dominus, nempe Jesus Christus, Angelus ille foederis.

4. Gen. 28. 12. *Angeli, inquit, quos vidit Jacob ascendentes & descendentes de caelo per scalam, in somnio apparuerunt. Fuerunt ergo somnium & Phantasma: quia tamen supernaturalia erant, & signa praesentiae Divinae, etiam Angeli.* Resp. Qui in somnio apparuerunt Jacobo, non fuerunt ipsum somnium aut Phantasma, nisi absurde dicas, Jacobo somnium in somnio apparuisse; sed Angeli, quos vidit Jacob ascendentes &c. in somnio apparuerunt, non ergo fuerunt Angeli illi ipsum illud somnium aut phantasma Jacobi.

5. Gen. 31. 11. *Jacob inquit sic dicit; (Angelus Domini apparuit mihi in somnio) illum autem quem hoc loco Jacob appellat Angelum, ipse se appellat Deum, dicens (v. 13.) Ego sum Deus Bethel.* Resp. Ut supra; qui fuit ipse Deus, ille non fuit somnium, aut phantasma, aut idea aliqua in phantasia Jacobi à Deo excitata; sed Angelus, qui apparuit Jacobo, fuit ipse Deus; ergo &c. Vel sic, quod in somnio Jacobo apparuit, non fuit somnium ipsum; nam somnium in somnio non apparet; sed Angelus Domini apparuit Jacobo in somnio.

6. Exod. 14. 19. *Angelus, inquit, qui exercitum Israeliticum per mare rubrum primo antevit, & mox sequutus est, dicitur Dominus ipse, apparuitque non in forma humana; sed in forma columnae. Apparitio tamen haec Angelus erat,*

erat quem Deus Mosi promisit conducendo exercitui; eademque descendisse dicitur, & steterisse ante ostium Tabernaculi, & cum Mose colloquutum fuisse. Itaque motus & sermo, qui Angelis attribui solent, etiam Nubi, quando presentie Divinæ signum est Nubes, attribuuntur. Angelusque erat Nubes, non minus, quam si visus esset in specie formosi pueri, vel alatus, ut pingi solent Angeli. Nomen enim forma, sed usus facit Angelum. Usus autem eorum est, ut presentiam Divinam in Divinis operibus hominibus significant. Resp. 1. Præsumperat probare, in plerisque locis V. T. per Angelum significari ideam aliquam in phantasiâ à Deo excitatam; ast hæc Nubes, de quâ agitur loc. cit. non fuit idea in phantasiâ Israëlitarum à Deo excitata. Locus ergo ille ad rem non facit. 2. Nec Angelus apparuisse dicitur in forma Columnæ; sed Columna illa symbolum tantum erat presentie Angeli illius, neque apparitio illa, aut Nubes erat Angelus ipse, neque unquam Columna illa cum Mose colloquuta fuisse dicitur; sed diserte ab ipso Angelo Dei distinguitur. v. 19. & v. 24. & cap. 13. v. 21. Num. 14. 14. 3. Et ubi loci motus & sermo, qui Angelis attribui solent, illi Nubi attribuuntur? non Nubes colloquuta fuisse dicitur cum Mose, sed Deus in Columna nubis. Ps. 99. 7. 4. Falsum etiam hoc; non forma, sed usus facit Angelum. nam quamvis nomen Angeli per se sit nomen officii, & in se formam aliquam visibilem non habeant Angeli, cum sint essentia spirituales & incorporeæ, non tamen tota eorum natura in mero usu consistit. Et de natura substantiali Angelorum legimus. Hebr. 2. 16. 5. Denique falsum etiam, usum Angelorum esse tantum, ut presentiam Divinam in Divinis operibus hominibus significant, nam 1. Eriam eorum est, exequi quævis mandata Dei. Ps. 103. 20, 21. Dan. 7. 10. 1 Reg. 22. 19. Luc. 1. v. 19. 2: Laudare Deum Luc. 2. 13, 14. Es. 6. 3. Ps. 97.

Pf. 97. 7. 3. Adorare. *Neb.* 9. v. 6. *Hebr.* 1. v. 6. 4. Christo ministrare. *Matt.* 4: 11. 5. Judicia Dei exequi adversus impios. *Gen.* 19: 11. 6. Pios tueri, iis voluntatem Dei patefacere; futura annuntiare, &c. *Pf.* 34. & 91. Quæ omnia de ideis, in phantasia hominum à Deo excitatis, quæ dici possunt? confer *Affert.* 2.

IV. *Nomina (Satan, Diabolus, Abaddon) personam individuum nullam designare; sed officium, aut qualitatem.* L. c. 38. p. 213.

Resp. 1. Semper in malam partem sumuntur; ergo nunquam officium aliquod designare possunt. 2. Nec sequitur, quia nomina illa aliquando, aliis tributa, appellativa sunt, qualitatem aut actionem designantia, id circo non esse nomina propria, individuum aliquam personam significantia, cum tribuuntur malis spiritibus; ut liquet in nomine (Deus) quod quamvis aliquando appellativum sit officium aut qualitatem notans, cum tribuitur Angelis & Magistratibus, *Pf.* 82: v. 6. tamen ipsi Deo tributum, nomen proprium est.

Et speciatim (*Satan*) nomen proprium esse malorum Angelorum, patet 1 *Chron.* 21. 1. *Job* 1. 6. & 2. 1. *Zach.* 3. 1, 2. *Matt.* 4. 10. & 12. 26. *Marc.* 1. 15. & 4. v. 15. *Luc.* 4. 8. & 10. 18. & 11. 18. & 13. 16. & 22. 3. 31. *Joh.* 13. 27. *Act.* 5. 3. & 26. 18. 1 *Petr.* 5. 8. 1 *Cor.* 5. 5. & 7. 5. 2 *Cor.* 2. 11. & 11. 14. et 12. 7. 1 *Theff.* 2. 18. 2 *Theff.* 2. 9. 1 *Tim.* 1. 20. et 5. 15. *Apoc.* 2. 9, 13, 34. et 3. 9. et 12. 9. et 20. 2, 7. Quando autem hominibus accommodatur, qui nobis adversantur in bono aliquo opere, id illis tribuitur ratione *Diaboli*, cujus impulsu hoc faciunt, ut *Matt.* 16. 23.

Similiter nomen *Diaboli* proprium esse, liquet *Matt.* 13. 23. et 25. 41. *Luc.* 8. 12. *Joh.* 8. 44. et 13. 2. *Act.* 10. 38. et 13. 10. *Eph.* 4. 27. et 6. 11. 1 *Tim.* 3. 6, 7. 2 *Tim.*

Tim. 2. 26. Hebr. 2. 14. Jac. 4. v. 7. 1 Joh. 3. 8, 10. Apoc. 2. 10. et 20. 2, 10. Speciatim Matt. 4. 1, 5, 11. et 9. 34. et 25. 41. Jud. 7. 9. Apoc. 12. 9, 12. Quando autem homini alicui nequissimo tribuitur, ut Joh. 6. 7. fit illud improprie, quatenus homo ille est organon Diaboli.

Nomen *Abaddon*, si de Diabolo intelligatur, qui negari potest, eo indicari nomen ejus proprium? nam expresse dicitur illud Hebraicè esse illius nomen. Apoc. 9. 11.

V. De *Judæis*, inquit, quod *dæmoniacos* dixerunt illos, quos nos *furiosos*, *Insanos*, *Lunaticos*, vel *Epilepticos*; atque etiam illos, qui loquebantur ea, quæ intelligi non poterant. Etiam hominem immundum habere dixerunt *Spiritum immundum*; & hominem mutum habere in se *dæmonium mutum*. Quam *Judæorum doctrinam de dæmoniis* negat *veram esse*. *Leviat. cap. 45. p. 306.*

Veram fuisse *Judæorum fidem de dæmoniis*, præter innumera alia loca S. Script. liquet etiam ex locis illis, quæ ipse sibi objicit; quorum *primus* est *Luc. 24: v. 39.* ubi *Christus* dicit, *Spiritum non habere carnem & ossa*. Ad quod respondet; *Etsi Christus, Spiritus esse, affirmet; illos tamen corporeos esse non negat*. Sic ubi *Paulus* dicit de electis, quod *resurgent corpora spiritalia, naturam Spirituum agnoscit; sed corporcam: at enim, aliæque res multe etsi non sint neque caro, neque ossa, corpora tamen sunt*. Resp. 1. Si *Christus doceat Spiritus esse*, quamvis non negaret esse corporeos; cur tum ille contra tam disertam *Christi doctrinam* tam impudenter totam explodit *Judæorum doctrinam de dæmoniis*, ut non ex S. Script. haustam, sed à *Philosophis Græcis*? quorum aliquos ipse non ignoravit de *dæmoniis* docuisse, quod corpora essent, & animata, sed ex aëre facta, aliavē subtiliore materia

teriâ ? *pag. præc. 305.* 2. Qui negat, substantias vitâ, intellectu & voluntate præditas, carnem & ossa habere; an non negat ille, substantias illas esse corporeas ? aër, aliæque res multæ corpora sunt, quæ tamen neque carnem habent, neque ossa; sed substantias vita, intellectu & voluntate præditas, esse posse corporeas, nec tamen carnem & ossa habere, nego: aër & similia corpora tenuia sunt inanimata, homogenea, inorganica: corpus animatum esse non potest inorganicum, homogœneum. 3. Electorum corpora erunt in resurrectione spiritualia, sed non ratione substantiæ suæ, uti Angeli, sed qualitatum spiritualium. *1 Corinth. cap. 15. vers 51.* Secundo objicit sibi illa loca, quibus Servator jussit, dæmonium ex homine exire. *Si per dæmonium intelligendus sit morbus aliquis ut Phrenesis & epilepsis, vel spiritus corporeus, nonne sermo ille improprius est ? morbine audiunt ? aut potest esse in carne vel osse, repleto jam ante spiritibus vitalibus, & animalibus, spiritus alius corporeus ? nonne ergo spiritus quidam sunt, qui neque corpora sunt, neque phantasmata ? Respondet; sermonem Servatoris, phrenesim vel morbum alium alloquentis, non magis improprium fuisse, quam fuit ejusdem sermo febrem, vel ventum, vel mare increpantis: neque enim audiunt hæc.* Resp. 1. Servator Dæmonia ejiciens, non alloquitur phrenesim, vel morbum alium; sed ipsa Dæmonia; quæ nonnunquam a Servatore increpita, illi respondisse leguntur. *Matt. 8. 29 — 32. Luc. 8. 30.* quæ ergo vocem Servatoris & audire & intelligere potuerunt. Quæ a phrenesi; aut alio morbo fieri non possunt. Sermo ergo Servatoris, Dæmonia exire jubentis, proprius fuit; increpantis autem febrem, vel ventum, vel mare, improprius: quia illa vocem Servatoris nec audire potuerunt, nec intelligere. 2. Si in corpus jam ante repletum spiritibus

ribus vitalibus & animalibus, spiritus alius corporeus ingredi non potest (quod hîc tacitè concedit) ergo aut admittendum est, Dæmones esse incorporeos; aut negandum illos ingredi corpora hominum, quod est contra plurimos textus S. Script. *Tertius* locus est; *Matt. 4: 1.* ubi de Christo dicitur, quod *ductus est à Spiritu in desertum, ut tentaretur à Diabolo.* Respondet; *intelligitur ibi Sp. S. (Luc. 4: 1.) nulla hîc à Spiritu intelligitur obsessio, neque possessio.* Resp. Quamvis ibi non intelligatur obsessio, aut possessio à Diabolo; ex illo tamen loco rectè concludimus, Dæmones non esse tantum phantasmata, aut idola cerebri, sed veras substantias, non dependentes ab imaginatione: nam ibi Diabolus *Tentator* appellatur; diciturquæ ad Christum loquutus fuisse, illum abduxisse ad montem excelsum &c. Exc. *Quod dicitur, Diabolum posuisse illum super montem excelsum, & ostendisse illi omnia Regna mundi, & gloriam eorum, ex eo inferri non potest, Diabolum coëgisse Christum, & vi circumduxisse quo libuit, aut montem quempiam satis altum fuisse, ut inde conspici omnia mundi Regna possent. Quid ergo significant loca hæc aliud, quam visionem? Sic Paulus raptus est in tertium cælum, ubi vidit mirabilia, raptu, inquam, non in corpore, sed in Spiritu.* Resp. 1. Omnis Visio supernaturalis non ecstasis, aut somnium. Quare illud Pauli huc non quadrat. 2. Historiam illam totam ita in rei veritate contigisse, nulla ratio cogit ambigere. 3. Diabolus non coëgit Christum, aut vi circumduxit, neque hoc ex illo textu inferimus; sed Christum ab illo revera circumductum fuisse voluntariâ ipsius Christi dispensatione & permisso. 4. Ab illo monte Diabolus Christo digitis monstravit omnia Regna, nempe vicina, quaqua aspectus patuit in omnes plagas, etiam procul distitas; eorum gloriam & majestatem verbis magnificè deprædicavit, ut illorum de-

fiderio animum Christi titillaret : ut recte ad hunc locum Augustinus observavit. Hoc qui in rei veritate ita fieri non potuit ; quamvis mons nullus tam altus sit , ut inde omnia mundi Regna conspici non possunt ?

5. Paulus (2 Cor. 12: 2, 3.) de se testatur, quod *raptus fuerit in tertium calum*, sed *nescire se, an in corpore factum fuerit, an extra corpus* ; sed novit hoc de Paulo Hobbes, qui raptum fuisse Paulum ait, *non in corpore, sed in spiritum*. Quartus locus est. Luc. 22: 3. ubi de Juda Ischariote dicitur, quod *in illum intraverit Satan*. Et exiens colloquium habuerit cum Sacerdotibus & Ducibus de tradendo Christo. Respondet, intelligi posse intrasse in Judam consilium illud hostile & perfidum de Deo & Domino suo prodendo & vendendo hostibus : sicut enim per Sp. S. in Script. S. intelliguntur gratia & virtutes à Sp. S. impertita ; ita etiam per ingressum Satanæ in hominem, intelligi possunt cogitationes impia & consilia scelerata inimicorum Christi. Nam quod Diabolus in Judam intrasset, antequam consilium illud de vendendo Christo inierat, dictu durum est. Per Satanam ergo illo loco intelligi videtur ipsius Judæ consilium illud Diabolicum. Resp. 1. Expresse dicitur Satanæ in Judam ingressus esse, & in cor ejus immisisse, ut proderet Christum. Job. 13: 27. Non ergo consilium illud Judæ Diabolicum fuit ipse Diabolus, sed à Diabolo, qui in Judam intraverat, profectum fuit. 2. Uti ex eo, quod gratia & virtutes à Spiritu S. impertita nonnunquam metonymicè appellantur Sp. S. non sequitur Sp. S. non esse rem per se existentem ; ita dato, per Satanam aut Diabolum hoc loco intelligi posse improprie consilium Judæ Diabolicum, (quod non videmus) non tamen inde sequeretur, Diabolum tantum esse phantasma, aut idolum cerebri. 3. Dictu durum non est, Diabolum in Judam intrasse, antequam sceleratum illud consilium iniret : quia Judas non debebat

bebat hospitem illum admittere, cui cum antea locum concessisset per avaritiam suam, quid mirum, Diabolum cor ipsius occupasse? Dictu durius est, Diabolum immisisse in cor Iudæ, ut proderet Christum; & tamen Diabolum esse ipsum illud consilium hostile, & sceleratum ase in cor Iudæ immisissum.

VI. Spiritum immundum in Scripturis appellari docet, spiritum hominis, si producat actiones immundas. L. c. 8. p. 40. & 45. p. 307.

Resp. 1. Qui spiritus sunt hominibus longè superiores, illi non sunt spiritus hominum, si producant actiones immundas; sed spiritus immundi, qui in Scripturis appellantur, sunt hominibus longè superiores: Quoniam non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem; sed adversus imperia, adversus potestates, adversus $\alpha\sigma\chi\rho\upsilon\pi\acute{\alpha}\tau\omicron\rho\alpha\varsigma$ (mundi potentes), tenebrarum sæculi hujus, adversus τὰ πνευματικὰ ἔργα πορνείας καὶ τοῖς ἐρωπαιότης; spirituales malignitates in sublimi. Eph. 6. 12. 2. Et (Matt. 12: 43.) dicit Christus: Si impurus Spiritus exierit à quopiam, transit per arida loca &c. An de Spiritu hominis, actiones immundas producente, dici potest, quod exiens ab homine, transeat per arida loca? respondet, loquutionem illam esse parabolicam; alludere Servatorem ad hominem, qui post comasum cupiditates suas relinquendi debilem vitulus, septies peior, quam antea erat. Loquutionem illam esse parabolicam à re nunquam factâ, sed fictâ depromptam, negamus: Neque alludit Christus ad hominem, qualem hic Hobbes describit; sed ad hominem Dæmonio malo obnoxium, qui postquam liberatus est, & suæ menti redditus, postea suâ ignaviâ Dæmoni redeunti fenestram aperiens, jam longe gravius laborat, quam prius; cujus rei rationem petit à nequitia Diaboli. v. 45. nam occasionem ita loquendi sumpsit ab

eo, quod refertur. v. 22 -- 30. de Dæmoniaco, ex quo paulo ante Dæmonium expulerat.

VII. Aliquando, *Angelos esse naturæ subsistentis*, videtur concedere; sed *non esse incorporeos, sed dimensionem habere.*

Negandum, inquit, non est, quin sint, quoties eorum operâ utitur Deus, Angeli; habent tamen dimensionem &c. sed non incorporei, id est, non sunt nullibi; nec cum videntur aliquid esse, sunt nihil.

De substantiis incorporeis in Scripturis Iudæorum mentio nulla; sed tota illa doctrina a Philosophis Græcis originem habet. L. c. 34. p. 186.

Resp. I. Quasi non essent, quoties Deus eorum operâ non utitur; quo sive corporei Angeli statuantur, sive incorporei, illos esse permanentis naturæ videtur negare. Tertullianus quidem, Lactantius; Eusebius, Origenes, & aliquando Augustinus, alique Patres, dixerunt etiam *Angelos esse corporeos*; sed comparatè forsan ad Deum, non absolutè; saltem illos permanentis naturæ esse, minimè dubitaverunt. 2. Unde vero hæc doctrina, *Angelos esse corporeos*, originem habet? An ex Scriptura? minimè. An à Philosophis Græcis? credibile: nam Dæmones corpora habere, vel aquea, vel aërea, vel ignea quondam doctrina fuit Platonicorum. Et de veteribus Philosophis testatur August. *libr. 8. de Civit. c. 4.* Quod animalia rationalia dividentes in Deos, Dæmones, & homines, Diis corpora cælestia tribuerint, Dæmonibus aërea, hominibus terrestria. 3. In S. Script. Angeli appellantur *πνεύματα Spiritus*; boni (Hebr. 1: 14.) mali (1 Reg. 22: 22. Matt. 22: 43. Eph. 6: 12) nam quamvis etiam quædam res corporeæ, ut aër, ventus &c. Spiritus nominentur; tamen nomen spiritus rei intelligenti tributum non potest significare nisi rem incorpoream: quia nulla res, in se corporea, esse potest intellectuâlis; ast
Angeli

Angeli sunt res intellectuales ; etiam ἀόρατοι esse dicuntur, Col. 1: 16. Nimirum quia sunt Spiritus incorporei. Et si dimensionem haberent, qui absque dimensionum penetratione intelligi posset, in uno homine simul fuisse legionem Diabolorum ? 4. Illud quod est incorporeum, id est, nullibi, identidem tanquam indubitatum supponit, quasi per se notum. 5. Et superius audivimus. passim aliàs Adversarium, Angelos esse entia realia, negare.

VIII. Matt. 9: 34. (per Principem Dæmoniorum ejicit Dæmonia) id est, inquit, phantasmata, quæ apparent in aère. Unde Satanus dicitur (Eph. 2: 2.) Princeps potestatis aëris ; & (quia regnat in mundi hujus tenebris) Princeps hujus mundi, Job. 16: 12. Et propterea, qui principatus ejus subjecti sunt, filii vocantur tenebrarum. Cum enim Beelzebub sit Rex phantasmatum, quæ aërem & tenebras incolunt ; filii tenebrarum ; phantasmata, & Spiritus illusionis idem significant. Regnum ergo tenebrarum definiri potest, Impostorum confæderatio, qui ut in alios in præsentem mundo dominantur, lumen tum rationis naturalis, tum Evangelii per doctrinas erroneas & obscuras extinguere, & in viam salutis æternæ tenebras inducere conantur spirituales. Leviath. cap. 44. pag. 289.

Si dæmonia nihil aliud sunt, quam phantasmata, quomodo illa dicit in aère apparere ; & non potius in hominum cerebris ? & qui tum Satanus dicitur esse Princeps potestatis aëris, & non potius Princeps potestatis phantasiæ ? Et si phantasmata illa tenebras incolunt : quia incolunt aërem ; tum etiam homines omnes, & aves tenebras incolerent : quia aërem incolunt. Filii tenebrarum in Sacris appellantur homines infideles & impii, quod si ergo idem significant, filii tenebrarum, & phantasmata, tum homines infideles & impii nihil aliud essent, præter phantasmata.

Denique si Dæmonia nihil aliud sunt quam phantasmata, & Princeps Dæmoniorum, nihil aliud, quam Princeps phantasmatum, & ipse nihil aliud quam phantasma, & idolum cerebri; tum mira mihi videtur illa Regni tenebrarum definitio per Impostorum, & non potius phantasmatum confederationem. Quæ Hobbes de Dæmonibus tradit, adeo sunt tenebris & contradictionibus involuta, ut merito illius doctrina Regnum tenebrarum dici mereatur; & ipse Hobbes Beelzebub, hoc est, Princeps Dæmoniorum, sive phantasmatum, ut qui Dæmonia omnia, hoc est, doctrinam de Dæmonibus omnem per sua Dæmonia, hoc est, phantasmata ejicere conatur; sed frustra.

IX. Quo autem tendant, quæ intelleximus Illum de Angelis statuere, patet ex eo, quod ipse scribit de Sadducæis; *illos nempe Spiritus omnino non esse credidisse, idque (NB.) prope accedere ad Atheismum.* L. c. 8. pag. 41.

De Judæis autem, *illos sine V. F. auctoritate tenuisse fere omnes (exceptis Sadducæis) apparitiones illas fuisse Angelos, nec dependere à phantasia; sed esse Dei creaturas permanentes; & alios esse bonos, alios males* L. cap. 34. pag. 186.

Si ergo quod sentiunt Sadducæi de Spiritibus contra alios Judæos, nempe *non esse tales spiritus Creaturas Dei permanentes*, prope accedit ad Atheismum. Atque Noster se idem profiteretur cum Sadducæis contra alios Judæos de Spiritibus sentire; nempe, *non esse tales spiritus creaturas Dei permanentes*, sed tantum à phantasia dependere, ut Assert. præced. palam est; ergo quod sentit de Spiritibus (Noster *αἰσρογ. τὰ πρ*) fateatur ipse, prope accedere ad Atheismum.

Atque hæc omnia quantâ cum audaciâ, atque impudentiâ! V. gr. *Doctrina*, inquit, *Judæorum de Dæmonibus vera non est, quamvis contrarium non docuerit*
Cbr-

Christus; imo quamvis ipse formis loquendi hujusmodi utatur, quæ doctrinam illam videantur confirmare. L. c. 45. p. 306.

Mirandum sane, si doctrina Judæorum de Dæmoniis vera non fuit, Christum contrariam nunquam docuisse; imo formis loquendi uti voluisse, quæ doctrinam illam erroneam, & superstitiosam adeo, videntur confirmare. In nullâ alia re fidelis ille Doctor ita egit cum Judæis.

LOCUS IX.

De Homine, ejusque statu extra societatem civilem.

CAPUT XVI.

De Homine, & Animâ humanâ.

Pretermittis aliis Philosophi erroribus circa illa Dei opera, quæ tantum aut præcipuè Philosophicæ contemplationis sunt, quæque absque periculo Religionis Christianæ vel ignorari possunt, vel errorem pati; postquam de *Creatione mundi* in genere egimus; & Cap. præc. de *Angelis*, eaque Theologiæ loca vindicavimus, operæ pretium est hoc loco, quid de *Homine* doceat, ejusque *statu extra societatem civilem*, scrutari, Hominisque dignitatem supra reliqua animantia contra impias Illius Assertiones, atque objectiones tueri. Hîc autem.

I. *Adamum*, negat, in *Paradiso*, ante nomina ab ipso rebus imposita, rationalem magis fuisse, quam cetera animalia, nisi potentiâ tantum. App. c. I. p. 338.

Tum. 1. Adamus ante nomina rebus imposita non fuisset rationalis magis, quam infans est ante usum rationis: ut qui tum etiam potentiâ rationalis est; id quod de Adamo etiam audacter pronuntiavit Socinus de statu prim Hom. c. 4. nempe, *fuisse illum, etiam ratione cognitionis, ante peccatum instar infantis, vel pueri.* Ut etiam hîc in Hobbesianismo Socinianismum animadvertas. Sed 2. Nomina aptè rebus imponere, magna sapientia est, & eximæ rationis indicium, ut scribat Plato in Cratylo; *eum, qui primus mortalium nomina rebus imposuit, sapientissimum fuisse. Ex verissimum esse illum sermonem, quod dicitur, excellentiorem quandam potentiam, quam humanam, primæ rebus nomina imposuisse.* Et cum in aliis linguis ut plurimum nomina rebus imposita sint ex arbitrio humano, temerè & fortuito; ibi observant eruditi, in hâc primâ ὀνομαστικῶν nomina à primo Homine rebus imposita fuisse, non illius arbitrio, extra naturam rerum fluctuante; sed ex ipsâ rerum naturâ derivata; ad quam procul dubio summa ratio & sapientia necessaria fuit. Adamus ergo quî tam sapienter & aptè nomina rebus applicare potuisset, si non antea magis actu rationalis fuisset, quam cætera animalia? 3. Quin ipse scribit, *eum qui omnis sermonis usucaret (qualis est mutus & surdus natus) si positum ante oculos triangulum viderit, & juxta illum duos angulos rectos (quales sunt anguli figuræ quadratæ) posse meditatione contemplando, comparandoque invenire, tres illos trianguli angulos æquales esse duobus illis angulis rectis, juxta positis, L. c. 4. p. 15.* An hoc ita contemplando, meditando, comparandoque ullum animal invenire posset, præter hominem? quod si ergo homo surdus & mutus natus hoc ita invenire poterit; ac proinde etiam Adamus ante omnem sermonis usum; qui, inquam, ante nomina rebus imposita ille non magis actu rationalis fuit,

fuit, quam alia animalia? 4. Denique, actu rationale esse major est hominis perfectio, quam tantum potentia talem esse; sed homines, & reliqua omnia Deus in principio creavit in suo genere valde perfecta. Gen. I. 31. *tum inspexit Deus quicquid fecerat, ecce bonumerat valde.*

Obj. *Ratiocinari nihil aliud esse, quam rebus imponere nomina, nomina connectere in dicta, dicta conjungere in syllogismos*; sed hoc Adamus ante nomina rebus imposita non potuit; ergo &c. Resp. Hoc si verum, tum irrationales essent surdi & muti nati omnes; etiam irrationales Angeli; & Animæ à corpore separatae: nam illi nomina rebus non imponunt, nomina in dicta non connectunt &c. Nec Gallus & Germanus, cum verba concipiant planè diversa, idem de iisdem rebus ratiocinari possent. Vide Obj. & Resp. 3. ad Med. Cart. ubi ab Hobbesio simile legas Cartesio objectum (obj. 4.) & à Cartesio responsum.

II. *Quod si non peccassent Adamus & Eva, vixissent, inquit, in Paradiso terrestri sine prole in æternum.* L. c. 35. p. 208.

Resp. I. Tum peccato Adami & Evæ acceptum ferendum, quod homines nati simus, nisi illi peccassent, nunquam futuri. O felix & fœcunda culpa! 2. Antequam peccaverant Adamus & Eva, illis dictum fuit; *fatificate, & augete, ac implete terram.* Gen. I. v. 28.

Obj. *Si sicut homines nunc, ita immortales generassent, defuisset non magno tempore locus hominibus, ubi pedes ponerent.* Resp. Cur non potius inde conclusit, Adamum & Evam, eorumque posterios, si nunquam peccavissent, in æternum victuros fuisse, non in Paradiso terrestri, sive hæc in terra; sed in coelum aliquando transferendos; uti legimus de Enocho & Eliâ.

III. Negat, *hominem per Essentiam brutis præstare*:
App. c. 1. p. 338.

Huc refert illud Salomonis; (*Præstantia hominis præanimali nulla. Eccl 3.*) Magnum, inquit, hoc argumentum contra consensum omnium hominum; non videntur ergo mihi homines distingui substantialiter à brutis, eo quod illi disputant, bruta non disputant. Expettente aliis immortalitatem, qualem velint.

Quis non abominetur impiam hanc Hominis impudentiam & superbiam!

Sed. I. Homines per Essentiam multum brutis præstare diserte docetur, Job 35. 11. *Docet nos Deus præ bestiis terræ, & præ volatilibus cæli sapientes nos facit. Et Pl. 8. 6. Minorem fecisti hominem parumper Angelis: & gloriâ & majestate coronasti eum; præfecisti eum operibus manuum tuarum, omnia posuisti sub pedibus ejus; Greges & amenta, etiam bestias agrestes, aves cæli, & pisces maris, &c. Matt. 6. v. 26. Nonne vos multo præstatis eis (bestiis)? & 10. v. 31. Multis passerculis præstatis vos. Et 12. 12. Quantum autem homo præstat ovi? Hoc ipsum agnoscens Cicero, Semper, inquit in promptu habere debemus, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque bestiis antecellat. I. offic. Cum tibi Deus dederit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius: sic te ipse abjicias atque prosternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes interesse? in Parad. 2. Essentia hominis in eo consistit, quod præter corpus, & animam sensitivam, sibi brutisque communem, animam habeat rationalem & immortalem, intellectu & voluntate præditam Matt. 10. 28. Ne metuite ab iis, qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed metuite potius eum, qui potest & corpus, & animam perdere in Gehennâ. I Cor 6. 20. Glorificate Deum in corpore vestro, & spiritu vestro. I Cor. 7. 34. Ut sit sancta*

sancta tum corpore tum spiritu. Col. 2. 5. *Et si corpore absun, spiritu tamen sum vobiscum.* Jac. 2. 27. *Corpus absque Spiritu mortuum est.* Et animam humanam cogitare, meminisse, ratiocinari ipsi in nobis experimur; talem vero animam bruta non habent. Ad hoc excipit; quod si, inquit hoc negans dixero, esse ipsum animal quod cogitat, meminit, & ratiocinatur; quomodo refutabunt? Resp. Quamvis ipsum animal (homo) sit principium quod cogitat &c. tamen anima humana est principium quo: nam animal (homo) cogitat, meminit, ratiocinatur, non quatenus corpus est animatum modo cum brutis communi: nam tum bruta etiam cogitarent, & ratiocinarentur; sed quatenus animatum est modo speciali; animam rationali hæc ergo cum in brutis non reperiatur (sunt enim ἀλογα ζωα 2 Pet. 2. 12. Jud. v. 10. intelligentiæ expertia. Ps. 32. v. 4 & 73: 22.) patet, hominem brutis multum præstare. 3. Creatura gerens Dei imaginem & similitudinem per essentiam suam à brutis distinguitur: nam illa Dei imago in brutis nequaquam est: nam illa Deus ad partem abjecit, pronaque atque ventri obedientia finxit. Imo in quo homines à Dei imagine recedunt, in eo dicuntur brutis assimilari. (Ps. 44: 21. *Homo, qui est in pretio, neque est intelligens, similis est jumentis, qua peresunt.*) & obbrutescere, Jer. 10. 8, 14, 21. Sed homo est creatura gerens Dei imaginem & similitudinem. Gen. 1: 26, 27. & 5: 1. & 9: 6. Jac. 3. Quam hominum supra bestias præstantiam non ignoraverunt etiam Gentiles; de ea sic Juven. Satvr. 15.

Venera bile soli

*Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti
Sensum à caelesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram spectantia. Mundi
Prin-*

*Principio indulfit communis Conditi illis
Tantum animas, nobis animum quoque.*

4. Et siquidem Filius Dei assumpsit humanam naturam, si homo per essentiam bruto non præstaret, ipse Filius Dei, quæ homo, bruto non prestaret; quare hæc Hobbesiana Assertio ab homine prolata non tantum ingrata est adversus Deum Creatorem suum injuriosa in genus humanum; verum etiam in ipsum Dei Filium contumeliosa. 5. Dictum Eccl. cit. non simpliciter & absolutè intelligendum esse, scire potuisset ex eodem libro. c. 12. 7. *Anima* (hominis morientis) *redit ad Deum, qui dedit illam*, sed respectu mortalitatis utrique, homini brutoque communis.

IV. *Præter sensum, imaginationem, & cogitationum seriem*, (quam etiam brutis tribuit. Lev. cap. 3. p. 10.) *nullum docet, humano animo alium in esse motum.*

Facultates, quæ hominibus videntur propriæ, acq̄sitas esse. Addit:

Tamen sermonis & ordinis beneficio easdem facultates promoveri in tantum posse, ut per eas homo à cæteris animalibus omnibus distingui possit. L. c. 3. p. 12.

.Negat ergo, ullis facultatibus naturalibus homines à brutis distingui; sed tamen fieri posse, ut eadem illæ facultates in tantum promoveantur in homine sermonis & ordinis beneficio, ut per eas à cæteris animalibus omnibus distinguatur.

Sed I. si nulla homini insit facultas naturalis, quæ non sit etiam in brutis; tum mirum, easdem illas facultates etiam in illis in tantum promoveri non posse. Dicit, in Hominibus illas in tantum promoveri *sermonis & Ordinis* beneficio, quo bruta carent. Sed *Ordinis* beneficio Bruta carere, quæ dicat, qui *seriem*
cogi-

cogitationum, & quidem *regulatam* brutis inesse docet, quâ effectus concepti causas & media quærunt? L. c. 3. p. 10. Et de *Sermone* subdubitare videtur, num Homini proprius sit; *Si Sermo*, inquit, *Homini peculiaris est*, ut (N. B.) *videtur esse*. L. c. 4. p. 19. Vel si *Sermo* Homini proprius est, quî dicit; præter *Sensum*, *Imaginationem*, & *cogitationum Seriem* humano animo nullum alium inesse motum? nam *Sermo*, sive loquendi facultas, neque *Sensus* est, neque *Imaginatip*, neque *cogitationum Series*. Vel si Homo, solis illis facultatibus instructus, usum sermonis acquirere sibi potest; quî non item iisdem instructa bruta animala? 2. Ipse fatetur, *inesse Homini seriem cogitationum regulatam*, quâ *imaginati rem quamcunque*, effectus omnes quærimus possibiles, qui inde produci possunt; *cujus generis cogitationis signum*, præterquam in Homine se nunquam vidisse. L. c. 3. p. 10. Ast hoc genus cogitationum acquisitum esse tantum à *Sermone*, quis credat? 3. Fatetur etiam, *tam infantes, quam adultos habere naturam humanam*. C. c. 1. a. 2. Sed quæ natura humana in infantibus, nullâ facultate naturali prædita, quâ carent Bruta? 4. Denique præter *Sensum*, *Imaginationem*, & *imaginationum seu cogitationum* (nam hæc ipsi perinde sunt) *Seriem*, Homini naturaliter inest facultas *intelligendi, judicandi, ratiocinandi, deliberandi, volendi*, ast has facultates in esse non bestiis, sed solis Hominibus, constat partim ex dictis ad *Affert. præc.* & amplius constabit ex dicendis ad *Affert. seqq.*

V. Nullum agnoscit in Homine *Intellectum*, ab *Imaginatione distinctum*. Lev. c. 2. p. 8, 9.

Imaginatip, inquit, *quæ in Homine, aliove Animali à sermone, vel aliis signis voluntatis nascitur, appellatur Intellectus*; cumque, dicit, *communem esse Homi-*
nibus

nibus cum Bestiis : Canis enim consuetudine doctus , vocari se vel abigi à Domino intelliges.

Agnoscit tamen *Intellectum* aliquem soli Homini peculiarem , quem esse , dicit , *intellectum* non solum voluntatis , sed etiam conceptuum & cogitationum aliorum hominum , per sequelas & contextum appellationum rerum , in affirmaciones & negationes , aliasque formulas loquendi conceptionem.

Nullum ergo præter hunc *Intellectum* agnoscit Homini peculiarem , nullumque ab *Imaginatione* distinctum.

Sed. 1. Quam multa *intelligimus* , quæ tamen *Imaginatione* non percipimus ; sic *intelligimus* nos intelligere , imaginari ; non tamen *imaginari* possumus nos imaginari magis , quam oculus videre potest , se videre. Videmus fumum , & imaginamur , sed ergo ignem subesse *intelligimus*. Audimus harmoniam , & imaginamur , sed ut sonum tantum ; ast causam , unde aures mulceantur , *intelligimus*. Odores , saporibus rerum olfacimus , gustamus , *imaginamur* ; sed ex odore rei virtutem interiorem , & ex sapore , an saluber sit cibus , nec ne , *intelligimus*. Arteriz pulsum contrectat , sentit , *imaginatur* Medicus ; ast inde ardorem , & vehementiam febris *intelligit*. Eminus turrim videntes , rotundam imaginamur ; sed revera quadratam esse , *intelligimus*. Lineas duas rectas , invicem parallelas videntes , in angulum concurrere *imaginamur* ; sed revera parallelas esse *intelligimus* ; unde aliquando Elephantibus cum pontem admodum longum transfirent , hallucinabantur , & repedabant ; homines autem , qui eos regebant , non item : quia Elephantibus , intellectu carentes haud aliter , quam uti oculis apparebat , illum *imaginari* poterant ; sed qui Homines illos regebant , aliter esse , quam videbant & imaginabantur , *intelligebant*. Febricitans saccharum

rum

rum gustans, amarum esse *imaginatur*, sed secus esse *intelligit*. Omnem dolorem fugiendum esse *imaginamur*; quandoque tamen crus tibiamve Chirurgo secandam esse, *intelligimus*. In omni *Imaginatione* est contemplatio figuræ, sive imaginis rei corporeæ; sed multa *intelligimus*, quorum conceptus figuram corpoream excludunt; ut quando intelligimus, *Deum existere; esse summè sapientem, omnia scire, intelligere, &c.* *Imaginatio* cognoscit tantum singularia; *Intellectus* etiam universalia. Et quis Chiliogoni omnia latera contemplari per *Imaginationem* potest? percipere tamen *Intellectione* possumus. Multa ergo *Intellectu* percipimus, quæ *imaginari* non possumus. Quin alibi disertè fatetur Ipse, differentiam magnam esse inter *imaginari*, sive rei alicujus ideam habere, & *mente concipere*. (Obj. contra Cartes. 3. pag. m. 112.) 2. Alibi etiam *Intellectum* definit, quod nihil aliud sit, præter conceptum natum à sermone; itaque si sermo Homini peculiaris sit (ut videtur esse) etiam Homini soli proprium esse *Intellectum*. L. c. 4. p. 14. Si Homini proprius est *Intellectus*, uti sermo; ubi tum *Intellectus* natus à sermone, aliisque signis voluntatis, Hominibus Brutisque communis? 3. Et hoc falsum, *Intellectum*, Homini peculiarem, in illo esse non posse, nisi ex sermone aliorum hominum, & esse tantum cogitationum aliorum hominum conceptionem: nam tum *Intellectus* nullus esset in homine surdo & muto nato, quem tamen Ipse docet, contemplando comparandoque invenire posse, atque intelligere, in Triangulo tres angulos esse æquales duobus rectis. Lev. c. 4. p. 15. Nec *Intellectus* fuisset in Adamo, cum solus adhuc esset in mundo, ut quando sermonem ullius hominis tunc nunquam audiverat. Atque Hobbessii ipsius *Philosophia*, cujus saltem ille *intellectionem* habuit, non rerum esset,

sed

sed tantum cogitationum aliorum hominum conceptio, orta ex sermone eorum. Absurdè!

VI. Negat etiam, *Rationem, sicut sensus & Memoria, nobiscum natam esse.* Lev. c. 5. p. 23.

Et sequitur ex *Affert 4.* nam si præter *Sensum, Imaginationem, & cogitationum seriem* (quam à *Ratione* distinguit) humano animo nullus alius inest motus. Et facultates, quæ videntur hominibus propriæ esse, acquisite sunt; sequitur, *Rationem* nobiscum natam non esse, sicut *Sensus & Memoria*, sed progressu temporis paulatim acquiri.

Sed 1. Sola Ratio est, quâ Homo à Bestiis discriminatur. 2 Petr. 2. 12. Ergo si *Ratio* nobiscum nata non est, uti *sensus & Memoria*, tum in Homine, quando nascitur, actu nihil erit, in quo à bestiâ distinguitur. 2. Homines in peccatis concepti & nati sunt. Pl. 51. 7. Et *figmentum cordis eorum malum est à pueritiâ.* Gen. 8. v. 21. Ast ubi *Rationi* locus non est, neque ibi peccato locus esse potest; propter quam causam Ipse docet de brutis animalibus, quod peccare non possunt. *de Cive c. 15. a. 16. Lev. c. 31. p. 168.* Et 3. Si *Ratio* non est nobiscum nata, unde tum *sermo, Ratio ipsa, & reliqua*, quibus ipse docet, Homines à Brutis distingui? Illa dici non possunt in Homine esse ab illius *Sensu & Memoriâ*: nam cur tum minus *Ratio & Sermo* in Bestiis reperiuntur, quam Hominibus? quippe quæ *sensu & memoriâ* pollent non minus, quam Homines. Dicit, *Rationem industria acquiri, apta sc. nominum impositione; deinde methodo recta procedendo à nominibus ad propositiones, & à propositionibus ad Syllogismos, &c.* Sed quis hanc *Industriam* absque *Ratione* intelligat? Quæ, inquam, unde in Homine, si illi non est innata? Et *Industria* illa aut Homini peculiaris est, aut Homini cum Brutis communis; si prius, tum falsum, præter *sensum, Imaginationem,*

tionem, & cogitationum Seriem, Homini Brutis que communem, animo humano nullum alium inesse motum. Vide *Aff. 4.* nam Industria illa, Homini peculiaris, non est Sensus, aut Imaginatio, aut cogitationum Series, Homini cum Brutis communis. Si dicas, Industriam illam Homini & Brutis communem esse; quum tum, inquam, ab illa Industriâ Ratio & Sermo in Homine magis, quam Bestiis? *4.* Etiam Leges naturales nobis innatæ sunt: nam *Gentes, quæ legem non habent, naturâ, quæ legis sunt, faciunt, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Rom. 2. 14, 15. sed leges naturales, ubi Ratio non est, esse non possunt: ut quæ nihil aliud sunt, quam rectæ rationis dictamina, per *Art. 1. c. 2. de Cive. 5.* Neque consentiunt, quæ alibi tradit; *Hominem nempe ceteris animalibus eo præstare, quod cum de re qualicumque cogitaverit, in ejus rei consequentias inquirere, & quomodo eâ re uti potest, aptus (NB.) natus sit.* (Lev. c. 5. p. 22.) nam in rei cogitatæ consequentias inquirere, an non *Rationis* est? ad quod ergo quum Homo aptus natus est, si *Ratio* ipsi innata non est? Iterum; *Legem naturalem sive moralem eam esse, ait, quam Deus omnibus hominibus patefecit per Verbû suum æternum ipsis innatum, nimirum Rationem naturalem.* De Cive. c. 14. a 4. Ecce Ratio naturalis est Verbum Dei innatum; Quid disertius? Dices; loquitur *Hobbes* illâ suâ *Assert.* de actu *Rationis*, non de potentia: nam scribit Paulo post, *Infantes actum Rationis, antequam sermonis usum acquisiverint, non habere. Illos vocari animalia rationalia propter potentiam tantum.* Resp. Quum tum negat, præter *sensum, Imaginationem, & cogitationum Seriem*, Homini ulla facultates, quæ ipsi propriæ videntur, innatas esse, si potentia *Rationis*, quam à *cogitationum Serie* distinguit, Homini innata est? Et quum minus Ratio dicenda nobiscum nata propter potentiam, quam *Sensus & memoria*? Et si

L

verum

verum, Infantes actum rationis, antequam sermonis usum acquisiverint, non habere, tum actum rationis nec haberent adulti, surdi & muti nati; neque animalia rationalia forent ne potentiâ quidem: nam naturaliter, illos unquam audire & loqui, est impossibile.

VII- De nomine (*Rationale*) docet, illud significare materiam, sive corpus. L. c. 4. p. 18.

Res aliqua, inquit, in rationes ingredi potest, ut materia sive corpus, sub nomine viventis, Sensibilis, Rationalis, Calidi, Frigidi, Moti, Qui escentis; quæ nomina significant materiam sive corpus.

Statuit ergo, nomen (*Rationale*) significare materiam sive corpus, sicut nomina, *Vivens*, *Sensibile*, *Calidum*, *Frigidum*, *Motum*, *Qui escentis*.

Eodem tendit, quod scribit in *Objectionibus*, quæ sunt contra *Cartesium* tertiæ, *Objectione* tertiâ. Quoniam notitia hujus propositionis (*Ego existo*) pendet à notitiâ hujus (*Ego cogito*) & notitiâ hujus ex eo, quod non possumus separare cogitationem à materia cogitante; videtur inferendum potius; rem cogitantem esse materialem, quam immaterialem.

Resp. I. Si nomen (*Rationale*) significat materiam sive corpus, sicut nomina *Vivens*, *Sensibile*, *Calidum*, &c. & cogitatio à materiâ cogitante separari non potest; quæ sit, ut *Ratio* & *Cogitatio* sæpe in corpore languido vivida vegetaque cernatur? & tum maximè augetur, cum corpus declinat; non ita *Vita* & *Sensus*? cur non deperdit vires suas cum corpore? cur non mutilorum mutilæ sunt cogitationes, & ratiocinationes, non fecus ac corporis partes? Quo argumento *Alphonsus Rex*, Animas hominum immortales esse, dicebat; quod corpora in hac vita decrescere, ac per omnia membra suos quasi fines & terminos habere videret; Animos vero, quo magis ad annos accederent, tanto magis intelligentia, virtute, & sapientia crescere.

Pa-

Panorm. *de Alphonfi rebus gestis, Lib. 4.* Quî illa (Ratio & Cogitatio) si sit materialis & corporea, ratione quâdam infinita existens, cœlum terramque, præterita & futura, innumera loca, res, personas, &c. intra se capiens, in corpore est, loculoque tam exiguo? & corpore immoto, exiguo temporis spatio, totum terrarum orbem permeare potest? 2. Si quid in Cogitatione & Ratione corporis esset, nullum corpus capere, nullum cognoscere posset; uti oculus colores nequit dignoscere, si aliquis ei inesset color; nec lingua sapes, felle vel simili aliquo humore imbuta. Ergo uti oculus, & lingua coloris omnis, & saporis expers fit oportet, ut colores omnes & sapes percipiant; ita quod cognoscit, & comprehendit omnia corpora (quod Ratio facit, & Cogitatio) omni corpore careat, necesse est. Hinc scitum illud Michaëlis Ephesii, *Nihil Intellectus commune cum corpore: quia nihil est eorum, quæ sunt, antequam intelligat; ac proinde ex omnibus corporibus quodnam tandem esse possit?* Quo nomine etiam Anaxagoram laudat Arist. quod ἴσθ' ἀμύρῃ, mentem impermixtum aliquod esse, dixerit; nimirum, ut res alias posset cognoscere. *Lib. 3. de Anim. c. 4.* Et 3. Quo magis à materiâ abstrahit Ratio, & Cogitatio, eò melius intelligit; nihil ergo Rationi & Cogitationi magis repugnat, quam materiæ conditio. 4. Quî etiam universalialia, & quæ à materiâ maximè remota sunt, intelligere posset Ratio; & 5. Paulus, corpore immoto, rapi in tertium cœlum, 2 Cor. 12. si ratio à materiâ separari non possit? 5. Etiam nomen (Rationale) rectè tribuitur Angelis, quî tamen in Essentia suâ sunt plane immateriales, & incorporei. *Vide Cap. 15.* 6. Actus cogitativi nullam cum actibus corporeis, quales sunt *Vivere, sentire, moveri, quiescere, &c.* habent affinitatem: nam cogitatio, quæ omnium actuum cogitativorum est ratio

communis, toto genere differt ab *extensione*, quæ est ratio communis aliorum. Sic Cart. *l. supra cit.* 7. Denique Ipse fatetur, *Neminem dicere, quod Homo sit Anima sua, aut corpus suum seorsim.* L. c. 46. p. 317. Sed qui dicit; *nomen (Rationale) significare materiam sive corpus*, ille dicit, *Hominem seorsim esse materiam sive corpus suum*; imo illum nihil esse, præter corpus suum.

VIII. De *discursu* docet, *neminem per illum scire posse, hoc vel illud esse, fuisse, vel futurum esse, id quod est perfecte scire; sed tantum; si hoc sit, tum & illud esse, id quod est scire conditionaliter; atque hoc non scire rei ad rem; sed nominis tantum ad nomen consequentiam.* Lev. c. 6. p. 33.

Resp. 1. Tum nihil scirent muti & surdi nati per *discursum*: nam illi *consequentias nominis ad nomen* plane ignorant. 2. Apud multas Gentes multa sciuntur per *discursum*, quæ eadem etiam apud alias cognoscuntur; nomina tamen, quibus utuntur, pro diversitate linguarum & gentium, sunt diversa. 3. Et in S. Script. per *discursum* inducimur in cognitionem multarum rerum; ergo si per *discursum* scire, est scire tantum nominis ad nomen consequentiam; tum illi, qui rudes sunt linguarum, quibus à Viris *ἑρπυρίοις* S. Script. exarata est, easdem illas per eundem *discursum* scire non possent. 4. Et quæ fingi potest consequentia nominis ad nomen, nisi ratione significationis eorum, aut rerum, iis significatarum? Quamvis ergo omne scire per *Discursum* esset scire tantum conditionaliter; non tamen esset scire nominis ad nomen, sed rei significatæ & conceptæ ad rem significatam & conceptam consequentiam. 5. Falsum est, tantum conditionaliter scire, qui aliquid scit per consequentiam; v. gr. qui per *Discursum* novit, *Deum existere*, non hoc novit tantum conditionaliter; sc. si sit coelum, terra

terra &c. Sed Deum *existere*, novit absolutè, ut plane sit ἀναπολόγητος, qui inde Deum non novit, & colit. Rom. I. 6. Quin Ipse in Objectionibus contra Cartesium, illud Cartesii admittit; *Cogito, ergo sum*; procul dubio, dum vixit, novit absolutè, se existere. 7. Denique non omnis Discursus (quod falsò supponit) hypotheticus est. Quin solis exceptis, quorum propositionis majoris hypotheticæ antecedentis & consequentis non est aut idem subiectum, aut prædicatum, nullus est, qui non possit reduci ad Categoricalum. Ast Syllogismis categoricis aliquid categoricè & absolutè inferri, non conditionaliter, Logicis notum.

IX. *Effectus concepti causas, & media quærere*, docet, *hominibus cum brutis commune esse*. Leviathan cap. 3. pag. 10.

Hanc cogitationum seriem *discursum* appellat *mentalem*, ut à *discursu verborum*, quem soli homini proprium esse fatetur, distinguatur; & *seriem cogitationum regulatam*, ut quæ ab aliquo fine desiderato regulata est: à *desiderio enim oriri*, ait, *cogitationem medii ad rem desideratam obtinendam*; porro *cogitationem medii ad finem producere cogitationem medii ad aliud medium*, & sic deinceps, donec veniatur ad principium aliquod in nostra potestate. Hanc autem *cogitationum seriem regulatam* duplicem esse statuit. 1. Quando *alicujus effectus concepti causas & media quærimus*; atque hanc hominibus cum brutis animalibus communem esse. 2. Quando *imaginati rem quamcunque, effectus omnes quærimus possibiles, qui inde produci possunt*; id est, *usum ejus quærimus, quis esse possit*. Hujus vero generis cogitationis signum se, ait, præterquam in homine nunquam vidisse: hanc enim curiositatem in naturam incidere vix posse animalis, cui nullæ insunt passiones præter sensuales, quales sunt

fames, sitis, amor, ira. Quo dubitare videtur; num fortè etiã hæc *cogitationum series* soli homini propria sit: nam dicit, *se ejus signum præterquam in homine nunquam vldisse*; imo ne quidem in homine unquam ejus signum videre potuit; sed tantum homini inesse intelligere, tum ex sui ipsius cognitione, tum aliorum hominum sermone. Cum autem bruta animalia non sermocinentur, illi adhuc dubium esse, necesse est; num fortè & hæc postrema *cogitationum series regulara* in sit brutis animalibus. Dicit etiam *vix* illam incidere posse in naturam bruti animalis; quasi absolute loquendo inesse possit. Et si *vix* incidere potest in naturam animalis, cui nullæ aliæ insunt passionēs, præter *famem, sitim, amorem, iram*; ergo quibus præter illas passionēs aliæ insunt, iis brutis animalibus illam cogitationum seriem inesse posse, nullus dubitare videtur.

Resp. 1. Quæ illa *discursus mentalis* nomenclatura, si mens nulla existit à corpore, & corporeis facultatibus, *sensu & imaginatione*, distincta? Vide *Affert. 4. & 7.* Qui Ille *passiones sensuales* nominat *famem, sitim, amorem, iram*? quasi *passiones* aliquas agnosceret non *sensuales*, sive *intellectuales*, qui nullum in homine agnoscit intellectum ab imaginatione, neque appetitum intellectualem ab appetitu sensitivo distinctum. Vide *Affert. 5. 12. 13.* 2. Effectus concepti causas & media quærere absque ratiocinatione, sive discursu fieri non potest; utiq; ipse hanc cogitationum seriem *discursum* appellat *mentalem*; sed ratiocinari soli homini proprium est. 2 *Petr. 2: 12.* quin Ipse fatetur, *nomina hæc (homo & rationale) æqualia esse, comprehendentia se mutuo; & hominem à cæteris animalibus Ratione distingui.* L. c. 6. p. 28. Dicit; *ratiocinari esse solum discursum verbalem, non mentalem; sermonem sine ratione esse posse; sed nullam rationem sine*
ser-

Sermone. Ratiocinari esse, rebus nomina imponere, nomina connectere in dicta, dicta conjungere in Syllogismos. Proinde ratiocinari quidem soli homini proprium esse; sed discursum illum mentalem etiam in brutis reperiri. L. c. 4. p. 17, 18. Resp. Tum muti & surdi nati, rationales non essent magis, quam bestix; nec rationalis fuisset Adamus ante nomina rebus imposita; neque actu rationales essent infantes ante usum sermonis. Quæ quamvis absurda sint, & à S. Script. (2 Petr. 2. cit.) & à sensu communi abhorrentia, Ille tamen admittere maluit, quam hanc inanem suam hypothesein de ratiocinatione missam facere. Nec intelligo, qui dicat, ratiocinari nihil aliud esse, quam rebus nomina imponere; & tamen sermonem sine ratione esse posse: num & sermo (ipso definiente) nihil aliud est, quam nomina rebus imponere (p. 13.) Hoc ergo si ratiocinari dicitur; qui sermo sine ratione esse potest? 3. Quæ animalia causarum cognoscendarum curâ carent, illa non quærunt effectûs concepti causas & media; sed præter hominem reliqua animalia causarum cognoscendarum curâ carent; ut disertè ipse docet, Lev. c. 6. p. 28. 4. Effectus concepti causas & media quærere, est (ipso definiente) à designato sine dirigi in discursu animi; & serie est cogitationum regulata, quæ à finis præconcepti desiderio oritur cogitatio mediæ ad rem desideratam obtinendam; quæ cogitatio mediæ ad finem producit cogitationem mediæ ad aliud medium &c. Sed hoc modo à designato sine dirigi in discursu animi in bestias non cadit: nam quamvis materialiter suam cognoscant suo modo, id est, rem quam appetunt; non tamen cognoscunt rationem finis: quamvis enim animalia quædam bruta videantur actiones suas ad finem ordinare, & media apta ad finem consequendum eligere & disponere; ut cum Hirundo, & nonnullæ alix aves nidos miro artificio, præsertim fœtus parturiendi

causâ exstruunt; revera tamen hæc & similia ab illis non præstantur propriè ex finis in illis præconcepti desiderio; nempe quod illum prævideant, atque ad finem à se præconceptum actiones ipsæ suas dirigant; vñ quod noverint, se, adhibendo hæc vel illa media, finem commodè assequi posse, id quod demum propriè est, *effectus præconcepti causas & media quærere*: nam (Apost. teste 2 Petr. 2. cit.) rationis expertia sunt illa animalia; sed *naturali tantùm instinctu*, ex solo voluptatis corporeæ sensu, cum specie quâdam & vestigio rationis. Prov. 6. 16. *Abi ad formicam ô piger, adspice vias ejus, & saps.* Et 30:24. *Quatuor ista sunt parva, humilia; tamen sunt sapientia, apprime sapientia: formicæ, mures, locustæ, araneæ.* Jer. 8. 7. *Ciconia, turtur, grus, hirundo observant tempora adventus sui.* Quo non à se, sed à Deo, qui rerum omnium fines novit, primo nempe Motore impulsa, in finem suum diriguntur, sicut sagitta fertur in scopum à jaculatore directa. Atque hinc est series actionum illorum animalium admodum regulata; atque adhibitio mediæ ad finem suum consequendum valde conveniens.

X. Negat etiam *prudencia homines à brutis distingui*; sed *in brutis, ait, unius anni quandoque mæprem inveniri, quam in homine decem, aut duodecim annorum.*

L. c. 3. p. 12.

Resp. 1. Econtra *Prudencia* apertè de brutis negatur, Pl. 32. 4. *Ne estote ut mulus, ut equus, qui nihil intelligit.* Quando autem in S. Script. bestiis tribuitur, intelligitur tantùm aliquid *Prudentiæ* analogum; sc. *industria* quædam, & *solertia*, brutis naturaliter insita, *instinctus* nempe naturalis absque *Prudentia* propriè dicta: nam illa, quæ in brutis reperitur, *solertia* à natura est; sed *prudencia* propriè dicta habitus est intellectualis, institutione aliorum, crebroque usu & expe-

experientia paulatim acquirendus, qualis in brutis nullus esse potest. 2. *Prudentiæ* est finem cognoscere, media ordinare, & actiones suas dirigere ad finem obtinendum; ast hoc solius hominis esse, ad *Affert. præc.* demonstravimus. Etiam *Prudentia* est, prævidere malum, & ab eo sibi cavere. *Prov. 22. 3.* haurire consilia profundissima. *Ibid. 20. vers. 5.* Ad eam pertinet *ἰοβουλία*, quâ recta & salutaria consulimus, & *ἰογνωμοσύνη*, quâ omnia in meliorem partem interpretamur; & *συγνωμοσύνη*, quâ aliorum infirmitates condonamus; quæ in solis hominibus locum habent. 3. *Prudentia* est, ne quid inconsultus agas, & necessario cum virtute morali conjuncta est; sed nulla consultatio, nec virtus moralis in brutis. 4. Hobbes ipse *Prudentiam* esse dicit, quâ quis novit actionis alicujus futurum eventum: futura autem omnino non existere; ut quæ nihil aliud sunt, præter figmenta animi, consequentias actionis præteritæ ad actionem præsentem applicantis. *L. c. 3. p. 11.* Ast actionis futurum eventum, & quæ omnino non existunt, cognoscere, consequentiasque actionis præteritæ ad actionem præsentem applicare, absque judicio, & ratiocinatione, quæ in brutis nulla, fieri non possunt. 5. Præterea *Prudentiæ* est, rei cujuscunque conceptæ effectus omnes inquæ-
rerere possibiles, qui inde produci possunt, hoc est, quis ejus usus esse potest; ast ipse fatetur, se hujus generis cogitationis signum, præterquam in homine nunquam vidisse: hanc enim curiositatem in naturam incidere vix posse bruti animalis. *L. c. 3. p. 10.* Denique 6. statuit etiam homines in societates civiles pactis mutuis coalescere ex mutuo metu; quâ voce, dicit, se futuri mali prospectum quemlibet comprehendere; quam *Prudentiam* solis infantibus inesse negat (*C. c. 1. a. 2.*); sed homines decem, aut duodecim annorum non sunt infantes; cum ergo *Prudentia* hæc insit ho-

minibus decem, aut duodecim annorum, ut ipse fateatur; & nullis insit brutis animantibus, ut experientia docet, falsa est hæc Hobbesiana Assertio.

XI. *Etiã bestias deliberare, expressis verbis docet, Leviath. c. 6. p. 30.*

Sed 1. Quæ animalia carent intellectu, ratione, prudentiã propriè dictã, illa non possunt deliberare: nam *deliberare* est actus intellectus, rationis, & prudentiæ; sed bestię sunt absque intellectu, ratione, & prudentiã, ut in præcedd. demonstravimus. 2. Et 2. Homines consilii inopes *obbrutescere* dicuntur. Es. 19. II. *Sapientum & Consiliariorum Pharaonis consilium obbrutescit.* Jer. 10. 8. *Una obbrutescunt, & stolidi fiunt.* Nam *בַּעַר* (unde *בַּעַר* brutum, jumentum, pecus) ex significatione hujus nominis derivati *obbrutescere* significat locis citt. Nempe quia nulla est in bestiis deliberatio aut consilium. 3. *Deliberatio* Aristoteli est *carum rerum, quæ in nostra potestate sunt, appetitio, ex antecedente consultatione proficiscens; Consultatio autem inquisitio est, & collatio mediiorum inter se, ut ex cæteris commodiora eligantur, & ad finem decernantur; sed hoc modo eligi præ alio nihil potest sine ratiocinatione.* Unde sequitur bestias non deliberare: quia non ratiocinantur. *Jud. v. 10.* Hobbesio autem *deliberare* est; *quando in animo humano appetitus, aversio, spes, metus circa eandem rem oriuntur alternatim; veniuntque in animum faciendi, omittendique bonæ, malæque consequentiæ successe sive adeo ut interdum appetamus, interdum fugiamus; interdum speremus, interdum metuamus; tunc totum, ait, illud passionum aggregatum, eatenus durans, dum res effecta sit, vel rejecta, vocatur deliberatio.* P. 30. At p. 32. *Sicut in questione veri, vel falsi, series tota opinionum alternarum dicitur dubitatio; sic tota series appetituum alternorum in questione boni vel mali deliberatio dicitur.* Sed

1. alterni tales circa unam eandemque rem appetitus, atque perceptio consequentiarum faciendi omittendi-que bonarum malarumque successivè, in bestias non cadit: nam quis horum signum in illis unquam vidit? & bestiarum appetitus ab objecto, sensibus recepto, naturaliter determinatur ad rem sibi objectam determinatè vel appetendam, vel fugiendam. Hoc ergo si sit deliberare, tum bestię non deliberant. 2. Et si hoc sit *deliberare*, tum quo quis stultior est, & vanior, eo magis deliberare dicendus foret: *Sapientem* (ait Cicero) & *bonum virum fingimus, de ejus deliberatione, et consultatione quærimus*; significans *deliberationem & consultationem* maximè esse Viri sapientis. Et quĩ bestię etiam deliberant, si deliberatio est tota illa series appetituum alternorum (NB) *in animo humano?* ut in definitione deliberationis Hobbessianâ habetur.

XII. *Bestias, etiam docet, voluntate præditas esse, non minus quam Homines.* Leviath. cap. 6. pag. 30.

In deliberatione, inquit, appetitus ultimus vel aversio, actioni, de quâ deliberatum est, immediatè ad-hærens, est voluntas; actus (inquam) non potentia volendi; inde sequitur, bestias, quia deliberant, etiam voluntate præditas esse.

Resp. 1. Si bestię voluntate præditę sunt non minus, quam homines, quĩ sit, ut homo quandoque crus tibiamve Chirurgo secandam præbere velit, quamvis sensu reluctante; hoc tamen nunquam bestia velle possit? & aves vivant, nidificent, canant semper eodem modo; apud homines autem leges, politię, structurę, ratiocinandi formę ipsę & diversę, & contrarię sint? Bestię rebus corporeis tantum affixę sint; homines autem etiam incorporea ut concipiunt, ita etiam velint; nempe *sapientiam, prudentiam, virtutem, &c?* Homo sæpe rem eandem velit,
&

& averfetur ; velit propter bonum jucundum, quod ei adhæret ; averfetur ob malum, quod ei adhæret, turpe ; juxta illud Medæ ; *video meliora , proboque ; deteriora fequor*. Et illud S. Pauli ; *Quod perpetro non agnofco : non enim quod volo , hoc ago ; fed quod odii , hoc facio*. Rom. 7. v. 15. Hoc autem in Beftiis nullo modo reperiat, ut quæ (tefte Apoft. 2 Petr. 2. 12.) folo naturæ impetu feruntur ad apprehendum id, quod fibi jucundum eft, & utile ? *Voluntas* ergo eft illa facultas in homine, qua bonum, quod honeftum effe dicitur ratio naturalis, eligere aptus natus eft, & quod turpe eft repudiare ; facultas autem, qua homines apti nati funt ad profequendum quod fibi utile eft, ac jucundum ; & vitandum, quod fibi noxium, & moleftum eft, quæ etiam in brutis reperitur, non *voluntas* propriè eft, fed appetitus longè inferioris ordinis, dicitur *appetitus fenfitivus* ; fed beftiæ non agnofcunt difcrimen illud inter bonum honeftum, & malum turpe. Quin ipfe negare non poteft, præter bonum jucundum, & utile, effe etiam bonum honeftum, ut liquet ex iis, quæ ipfe fuo faltem modo (ut ipfe alibi loquitur) tradit de legibus & virtutibus moralibus. *de C. c. 2. & 3.* Beftias autem de bono honefto & malo turpi non deliberare, negare non poteft, qui fatetur beftias peccare non poffe. *de Civ. c. 15. a. 6.* fed Homines & peccare poffunt, & de honefto & turpi deliberare. Hæc ergo cum in folis Hominibus reperiantur, in beftiis nullo modo, etiam folis Hominibus ineft *voluntas* propriè dicta : nam ideo foli homines peccare poffunt, quia aliquando malè faciunt ex deliberato confilio ; & quod ita faciunt, volunt. *Voluntas* in homine eft illa facultas, quæ imperat cæteris omnibus facultatibus exequi, quod ratio naturalis dicitur agendum effe, Sed beftiæ, omnis rationis expertes funt, & proinde omnia agunt ex cœco naturæ inflinctu.

ctu. 2 Petr. 2. 12. non ex dictamine rationis. In solis ergo Hominibus est *Voluntas* propriè dicta; in Brutis nullo modo.

Obj. *Voluntas est in deliberatione appetitus ultimus, vel aversio, actioni de quâ deliberatum est, immediatè adherens. Unde sequitur, Bestias, quia deliberant, etiam Voluntate præditas esse.* Resp. 1. Non omnis *Voluntas* est ultimus deliberandi appetitus: nam appetitus & desiderium, quo volumus illud, quod nobis sub ratione finis objicitur, non est ex præviâ deliberatione. 2. Et Bestias non deliberare, ad *Affert. præc.* demonstravimus.

XIII. *Definitio Voluntatis Scholastica (Voluntas est appetitus rationalis) legitima non est.* Leviath. cap. 6. pag. 30.

Nam, inquit, si esset, nulla omnino esse posset actio voluntaria contra rationem: actio enim voluntaria est ea, quæ à voluntate proficiscitur, nec ulla alia.

Ineptè & imperitè! nam 1. *dictamen rationis* practicum vel *commune* est; V. Gr. *Unicuique suum tribuendum esse*; vel determinatum & *ultimum*; sc. *Hic & nunc* &c. Quamvis ergo hoc postremo sensu nulla actio voluntaria esse possit contra rationem: quia, cum *Voluntas* per se sit coeca, non potest non sequi ultimum illud, & determinatum dictamen rationis; illo tamen modo actio voluntaria contra rationem esse potest. Qui (V. Gr.) hîc & nunc vult furari, vult illud juxta ultimum illud, & determinatum dictamen rationis; & tamen contra dictamen rationis commune; *suum unicuique tribuendum.* 2. Neque *Voluntas appetitus rationalis* appellatur, quod semper sequatur ductum rationis, sed quod cum sequi apta nata sit; atque ut distinguatur ab *appetitu sensitivo*, Homini cum Brutis communi. 3. Neque definitio illa *Voluntatis*

ratis Scholastica tantum est; sed & Ciceronis, 4. Tusc. Voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat.

XIV. *Juxta propriam & receptam vocis significationem Liberum dici, ait, eum, qui ex iis, quæ viribus, & arte propria facere potest, non impeditur.*

Vocibus (Liber & Libertas) qui ad alias res, præter corpora, applicant, abuti.

Libertatem propriè significare absentiam impedimentorum motus externorum; & dici non minus de rebus irrationalibus, & inanimatis, quam rationalibus.

Quando impedimentum est in ipsa natura rei, non Libertate, sed Potentia carere dici; sic hominem, qui morbo affixus lecto est, eundi potentia, non Libertate privari. Lev. c. 21. p. 104.

Resp. 1. Ipsa S. Scriptura voces (*liber & libertas*) aliis rebus applicat, præterquam corporibus V. Gr. 2 Cor. 3. 17. *Dominus vero Spiritus ille est: ubi autem Spiritus ille Domini, illic libertas.* Rom. 8. 15. *Non enim accepistis Spiritum servitutis ad metum; sed accepistis Spiritum adoptionis, seu libertatis.* 2. *Libertas* convenit Deo, Angelis, Animabus humanis: nam Deus omnia ad extra operatur liberè, Eph. 1. v. 11. Item Angeli & Animæ humanæ liberè cogitant, volunt, & operantur; at Deus, Angeli, & animæ humanæ Spiritus sunt, non corpora. *Vide suis locis.* 3. Illam, quam innuit, esse propriam & receptam vocis (*liber*) significationem, falsum est: nam actio libera vulgo dicitur, quæ nec coacta est, neque procedit ex necessitate naturæ, & ab actione spontanea in eo distinguitur, quod actio libera fiat ex *επιπροληψι*, id est, prævia animi deliberatione; actio autem spontanea non semper; ut omnis actio libera spontanea sit, non contra. Unde ignis, quando calefacit, cum animal sibi simile generat, lapis cum deorsum cadit &c. faciunt

ciunt quidem ea, quæ viribus & arte propriâ facere possunt non impedita, non tamen solent dici hæc facere liberè, sed ex necessitate naturæ. Bruta quæ faciunt instinctu naturæ, sponte quidem agere vulgo dici solent; non liberè: quia non ex *προαίρεσις*. Falsum ergo, libertatem dici non minus de rebus irrationalibus, & inanimatis, quam rationalibus. Libertas quidem plerumque in homine significat absentiam impedimentorum motus externorum; non tamen semper; V. Gr. quos Christus liberavit à servitute peccati, illi verè liberi esse dicuntur, *Job.* 8. 36. illa tamen peccati servitus, à quâ nos Christus liberos fecit, impedimentum est motus animæ spiritualis non externum, sed internum. *Rom.* 7. 17, 18, 20, 23. Et cum illa peccati servitus idem sit, ac carentia libertatis, constat etiam falsum esse, quod ait, *Cui impedimentum in ipsâ est naturâ, nunquam dici carere libertate.*

XV. Quin sex argumentis, docet, nos homines in vitâ civili à brutis præstari. 1. Quod illa ambitione careant. 2. Bonum eorum privatum à publico non dissentiat. 3. Malam administrationem se cernere, non arbitrentur. 4. Artes, quibus se mutuo fallant, non meditentur. 5. Inter damnum & injuriam minimè discernant. 6. Inter illa consensus sit naturalis, non artificialis, ex pacto exoriens. *Lev. c. p. 84, 85.*

Quibus addere licet, quod tradit (*Ibid. c. 12. p. 55.*) Quod careant illa Religionis anxietate, quæ homines cruciat, inutilibusque ærumnis implicat.

Sed his omnibus & singulis etiam stipites carent, & lapides: nam & nulla in illis ex ambitione contentiosum bonum eorum privatum à publico non dissentit; & malam administrationem non cernunt; verborum fallacias contra se invicem non meditantur; neque inter damnum & injuriam discernunt; consensusque inter

inter illos naturalis est, non pactitius; neque Religionis anxietate cruciantur. O beatos stipites & lapides supra homines! Vel unde illa enumerata in hominibus; nullum vero eorum in brutis, si nulla inest hominibus facultas intelligendi, quæ non etiam in brutis reperiatur?

Quæ hæcenus Homini propria vindicavimus, illa Hobbes Homini cum bestiis communia esse contendit, non tam ut bruta extollat, iisque divini aliquid attribuat, atque in classem humanam promoveat; quam quidem ut in, imo infra, gregem brutorum animantium Homines deprimat. Quo nihil ab Homine in Deum sui Cratorem ingratius, & in genus humanum injuriosius dici & scribi potuit, & magis pietati, bonisque moribus inimicum. Ac proinde in Republ. Christianâ non ferendum.

XVI. *Animas hominum immortales esse*, palam negat variis locis.

Interire illas, statuit, simul cum eorum corporibus, novissimo die resuscitandas.

Verbum hoc (Anima immortalis) nusquam, docet, in S. Scriptura inveniri.

Doctrinam de immortalitate Anima fundari in quibusdam locis obscurioribus N. T. quæ in sensu diverso facile explicari possunt. Lev. c. 38. p. 211. c. 44. p. 295. &c. App. c. 3. p. 363.

In his Socinianis impudentior, qui quamvis revera idem doceant, tamen hoc tam aperte fateri erubescunt, & sibi impingi ægè ferunt. Tum (inquit Smalcus contra Frantzius) *falso nobis affingi querimur, quod credamus, hominem mori quoad animam, & quoad corpus. pag. 409. Et pag. 410. Nec nos petunt, qui credimus, animas vel spiritus post mortem redire ad Deum, qui eas dedit, & ita suo modo superstites esse.*

Est

Est hæc Hobbefiano-Sociniana Assertio jam olim condemnata in Sadducæis à D. N. J. Christo. *Mat. 22. & Apost. Act. 23. 6.* et postea ab Ecclesiâ Christianâ tempore Origenis, & Fabiani Episcopi Romani, in Hæreticis, quorum magnus numerus erat in Arabiâ, qui statuebant; *Animas à morte perire, & in resurrectione redituras.* A quo suo dogmate à Damasceno (in libr. de Hæresibus) *ἄψυχοι* appellantur. Vide Euseb. *lib. 6. c. 36.* & ex eo August. *lib. de Hæres. c. 83.* Platin *in vita Fabiani.* Isid. Pelus. *l. 3. Epist. 295.* Hotting. *Histor. Orient. p. 340.* Danæum in *loc. cit. August.*

Melius subinde Gentiles, inter quos Epicharmi istum versum admiratur Clem. Alexandr. *Stromat. l. 4. Ἐὐσεβὴς ἢ ἀψυχὸς &c.* Si fueris mente pius, nihil mali patiere mortuus; superius manet in cælo spiritus. Cui simile est illud Phocilidis. *Terrenum est corpus; ψυχὴ δ' ἀθάνατος &c.* at Anima immortalis est, & perpetuo vivit, nec unquam senescit. Reliquiæ defunctorum postea Dii existunt, animæ enim manent expertes fati in mortuis. Et cito ex terra speramus ad lucem venire. Plura Gentilium de Animæ humanæ immortalitate egregie dicta, quia ubivis obvia sunt, & (App. c. I. p. 337.) agnoscit Hobbefius, recensere superfedeo. Videri illa possunt apud Pless. *de Verit. Relig. Christ. Cap. 15.*

Resp. Verbum hoc (*Anima immortalis*) apertè reperitur *Matt. 10. 28. Corpus possunt occidere, Animam autem non.* Quid clarius? nam immortale est, quod occidi non potest. Item *Luc. 12. 4, 5. Deus corpore occiso, Animam adhuc in Gehennam conjicere potest.* Quis hoc, si hominum Animæ simul intereant cum eorum corporibus? Et *Eccl. 12. 7. Redeunte ipso pulvere in terram, quemadmodum fuerat; Spiritu autem redeunte*

ad Deum, qui dederat illum; nempe (ut hoc optimè exponit Caldæus Paraphr.) ad Deum Judicem. Etiam Animæ humanæ immortalitas invenitur *Gen. 1. 27.* nam imago illa, & similitudo Dei, ad quam ibi homo creatus esse dicitur, imprimis etiam in humana animæ spiritualitate, & immortalitate consistit. Et *Gen. 2. 7.* de quo loco vide *supra cap. 7. Ass. 17.* & *hoc cap. infra Assert. 19.* Item *Gen. 15. 15. & 25: 8. & 35: 29. & 49: 22.* Ubi Abrahamus, Isaacus, Jacobus morientes abire & aggregari dicuntur ad Patres suos; nim. quoad animas suas in locum Beatorum: nam constat, illos Patriarchas mortuos, quoad corpora sua non fuisse aggregatos ad patres suos, ut qui in terrâ Chanaan fuerunt sepulti procul à regione, ubi eorum Patres mortui & sepulti fuerunt. Item *Exod. 3: 6, 15, 16.* ubi Deus Mosi; *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaac, Deus Jacobi.* Quo ipso & Christus probat resurrectionem futuram, & sanctos mortuos Deo videre. *Matt. 22: v. 31. Luc. 20: v. 37, 38.* Et *Num. 23: 10.* ubi Bileam; *Moriar ego morte justorum, & sit finis meus, sicut illius;* quod non tam serio ille optasset, nisi scivisset, hominum Animas post mortem esse superstites. Item *1 Sam. 28: v. 11.* nam si Saul credidisset, Samuelem quoad Animam extinctum, non petivisset, eum exsuscitari. Præterea *2 Sam. 12: 22, 23. & 18: 33.* nam (ut inquit August. in libr. de doctr. Christ.) *non orbitatem filii doluit David, dum luget Absolonem filium; sed quia noverat, in quas pœnas tam impiè adultera, & parricidalis Anima raperetur.* Item *1 Reg. 17: 21. 2 Reg. 4: v. 33. & 13: 21. Matt. 9: 25. Luc. 7: 15. Job. 11: v. 43. Act. 9: v. 40.* Ubi homines varii à Prophetis, Christo, & Apostolis leguntur è morte fuisse resuscitati; Animæque, quæ per mortem ab eorum corporibus separatæ erant, in illa reversæ fuisse. Etiam *Job. 13.*

v. 15. & 19: 25, 26, 27. Ps. 16. 10, 11. & 17. 15. & 31. 6. & 69. 29. Et Ezech. 37. 4, 5. Dan. 12. 2. Matt. 17. 3. & 22. 32. Luc. 2. 29. & 12. 5. & 16. 9, 22, 23. & 20. 36, 37, 38. & 23. 43, 46. Act. 7. 59. & 23. 8. Rom. 7. 24. & 14. 9. 1 Cor. 15. 19. 2 Cor. 5. 1. & 6. 6. Phil. 1. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*; quod votum Apostoli frustra fuisset, & à ratione alienum, nisi credidisset, Animam suam immortalem esse, & statim à morte in cœlum ad Christum esse migraturam. Item Hebr. 12. 9. & 13. 17. 1 Petr. 1. 9. & 2. 11. 25. Joh. 5. 24. Apoc. 4. 4, 8, 10. & 5. 9. & 14. 13. Et alibi in Sacris passim.

Ad Luc. 20. 37, 38. ubi Christus resurrectionem probans ex verbis Mosis, dicit (*Mortuos resurrecturos esse, etiam ostendit Moses, qui ad Rubum Dominum invocans, appellat Deum Abrahami, Deum Isaâci, & Deum Jacobi: non est enim Deus mortuorum, sed viventium*) si, inquit, *verba illa intelligenda sunt de immortalitate Animæ, non id probant, quod probatum voluit Christus, nempe resurrectionem corporis, quæ est immortalitas hominis.* Resp. Utrumque & immortalitatem Animæ, & futuram corporum resurrectionem (quam utramque negabant Sadducæi) contra illos ex illo loco Mosis invictè demonstravit Christus, hoc modo; *Deus est Deus Abrahami, &c. at Deus non est Deus mortuorum, sed viventium*; vivunt ergo Abrahamus, Isaâcus, & Jacobus; sed non vivebant tum quoad corpora sua, ut constat; ergo quoad animas suas apud Deum, uti constat etiam Luc. 16: 23 -- 31. Sed Deus illorum Deus est, non tantum quoad eorum Animas, verum etiam quoad corpora ipsorum; corpora ergo illorum aliquando sunt resuscitanda. Sed, inquit, *quod illi Patriarchæ, aliisque multi fideles homines tunc mortui essent, viveretamen eas dixit Christus; causa erat, quod nomina eorum scripta erant in*

Libro Vitæ, & propterea addidit verba hæc; quod viverent Deo. Quasi vivere Deo dici possent, qui toti mortui sunt, & quoad animam, & quoad corpus; & non etiam nomina sua in Libro Vitæ scripta haberent electi omnes, qui necdum nati sunt, qui tamen Deo vivere non dicuntur. Et notanda emphasis verborum; Deus non est Deus (NB.) mortuorum, sed viventium: negat ergo Dominus, Patres illos mortuos esse quoad animam. Vivunt quidem (inquit Lev. c. 44. p. 299.) non tamen actu, sed quatenus promissione Dei vitæ æternæ & resurgendi certi sunt; vivuntque eo sensu, quo Adamus eo die mortuus erat, quo de fructu vetito gustavit. Resp. 1. Non esse mortuum, sed vivere, quod Christus ait de istis Patribus, est actu vivere: nam revera mortui sunt, qui actu nullo modo vivunt. 2. Non ita de Adamo dicitur, quod illo die, quo de fructu vetito gustavit, non vixerit, sed mortuus fuerit, uti de Patribus illis; non sunt mortui, sed vivunt. Neque in verbis illis (quo die comederis, mortem morieris. Gen. 2. 17.) illud (quo die) referendum putamus ad illud, mortem morieris, sed ad illud; comederis. Vel si ad illud (mortem morieris) referendum putas, tum respondemus, illo ipso die Adamum revera actu mortuum fuisse; tum quod eodem die reatum mortis contraxerit; tum quod tunc actu privatus fuerit imagine Dei, in quâ vita ipsius spiritualis consistebat; tum quod tunc statim à lapsu dispositiones ad mortem corporalem actu in se recepit. Et 3. Qui non vivunt illi Patres, si (quod hîc ipse ait) vitæ æternæ, & resurgendi certi sunt.

Ad Eccles. 12. 7. (Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum) Verba, inquit, illâ Salomonis interpretationem hanc pati possunt; nempe scire neminem, sed Deum solum, Spiritus hominis quid devenit (suspicio legendum; Spiritui hominis quid evenit) & quo fertur; neque cre-

den-

credendum est ; animas reproborum redire ad Deum qui illas dedit. scita interpretatio ! distinguit apertè Ecclesiastes inter corpus & animam hominis , quod corpus revertatur in pulverem ; anima autem revertatur ad Deum , qui dedit illam ; quo Salomon apertè se scire profitetur , quo feratur spiritus hominis morientis , dum *ad Deum dicit spiritum hominis reverti* ; non ergo illis verbis dicere voluit , neminem , præter solum Deum , scire , spiritus hominis quo feratur à morte. Et quomodo Salomon dicat , *animas hominum redire ad Deum* , statim diximus ; nempe *ad Deum , tanquam iudicem.* Quare nullius momenti est illud , quod objicit , de *animabus reproborum.* Et si , quod de animabus reproborum negat credendum esse , putat credi oportere , aut posse de animabus electorum , cur & illas negat immortales esse ? An non huiusmodi ad hunc tam disertum locum Salomonis exceptio est manifestum animi convicti indicium ?

Ad *Luc. 16. de Divo & Lazaro* respondet ; *narrationem illam , quia parabola est , nihil probare.* Resp. Si narrationes parabolicæ nihil probant , quorsum tum adhibentur ? *In parabolis quidem* (ut rectè monet Chrysost. in Matth.) *non sunt urgenda singula verba & membra præter & extra institutum , ad quod in Script. adhibentur ; nec inde sunt extruenda alia dogmata , quam quæ script. inde sumenda demonstrat ; sed hîc scopum Servatoris esse , illâ parabolâ hominum diversitatem designare post mortem illorum quoad animas , docent hæc illius verba ; factum autem , ut moveretur pauper , & asportaretur ipse ab Angelis in sinum Abrahamæ. Mortuus vero & dives , & sepultus. Et in inferno oculos suos attollens , cum in tormentis esset , vidit Abrahamum è longinquo , & Lazarum in ejus sinu. v. 22, 23.* Quibus Servator , hominum Animas post mortem esse superstites , manifestè docere intendit ,

ac statim à morte diverso esse loco & statu, vel tormentorum, vel gaudii.

Mirum quod loca, pro Animæ immortalitate produci solita, recensens Hobbesius, tam pauca tantum recenseat, & illustre illud atque invictum Christi testimonium Matt. 10: 28. *Corpus possunt occidere, non animam, intactum prætermiserit.*

Obj. 1. Job 14: 7, 8, 9. (*Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursus virescit. Homo vero cum mortuus fuerit, ubi quæso est? & Paulo post; Homo cum dormierit, non resurget, donec attretur cælum*) *Querimonia*, inquit, *hic est de mortalitate hominum sine tamen negatione immortalitatis post resurrectionem. Ubi ergo dicit Job, hominem non amplius surrecturum, idem est, ac si dixisset, vitam immortalem in resurrectione incipere, & pro causa habere, non naturam humanam, sed promissionem.* Resp. Hæc querimonia de mortali hominis conditione quoad corpus non minus est absque negatione immortalitatis animæ post mortem, quam immortalitatis totius hominis post resurrectionem.

Obj. 2. Eccl. 3. 18, 19, 20. (*Dixeram ego cum animo meo secundum rationem humanam (alii vertunt, de conditione hominum) ut probaret eos Deus, & ostenderet, similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius*) *Quibus verbis, inquit, immortalitas animæ per naturam negatur, per gratiam non negatur.* Resp. Quasi ille Animæ humanæ immortalitatem per gratiam agnosceret, qui illam statuit interire simul cum corpore, novissimo die resuscitandam; hæc si immortalitas Animæ sit per gratiam, tum per gratiam corpora hominum non minus immortalia sunt, quam eorum Animæ. Et supra diximus, Eccles. conditionem hominis & bestię illis verbis parem facere quoad mor-

mortalitatem, utriusque communem; quo non magis excludit Animarum humanarum immortalitatem per naturam, quam per gratiam; ut liquet Eccl. 12. vers 7.

Urget 3. etiam illud ejusdem libri c. 4. 2, 3. (*Laudavi magis mortuos, quam viventes: & feliciorum utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole sunt.*) Hic sermo, inquit, si felicior sit, qui non est natus, quam qui æterna felicitate fruitur, durus esset. Resp. Quasi non durus foret hic sermo; laudari mortuos præ viventibus, si morientis hominis post mortem restat nihil præter cadaver. Qui necdum nati sunt, eos Salomon feliciores prædicat iis, qui sunt mortui, non absolutè; sed ratione miseriarum hujus vitæ, quarum ad huc plane expertus est, qui nunquam natus fuit; non ita qui adhuc vivunt, aut mortui sunt. Quid in eo duri?

Denique 4. objicit etiam Eccl. 9. v. 5. (*Viventes sciunt, se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*) id quod, inquit, de hominibus mortuis ante resurrectionem corporum suorum manifestum est; verum si intelligatur de immortalitate electorum post diem judicii, verum non est. Resp. Loquitur Ecclesiastes de iis, quæ in hac vitâ sunt, quorum ignaros dicit esse mortuos, deque recreatione in cibo & potu è labore manuum suarum, ut declaratur v. 6, 7. *Tum res amara eis, tum res exosa eis, tum res invisæ eis perit, & pars nulla eis amplius est unquam in ullâ re, quæ fit sub sole.* Age igitur concede cum letitia panem tuum, & bibe corde hilari vinum tuum. Quis inde concludat, Animas hominum post mortem non esse superstites, nihil cognoscere omnino, nullaque frui mercede?

XVII. *Morientis hominis nihil restare, ait, præter cadaver ejus. Ibid.*

Supposito , inquit , morientis hominis restare nihil præter cadaver ejus , nonne Deus , qui hominem ex terrâ verbo suo fecit vivere , eadem facilitate facere poterit , ut cadaver mortuum reviviscat in æternum eodem verbo ?

Morientis hominis restare nihil præter cadaver ejus , mirum est , qui credat , qui serio credit eorundem hominum resurrectionem novissimo die : nam fieri non potest , ut idem numero homo reviviscat , si penitus illud interiit , per quod homo est homo. Potest quidem Deus facere , ut cadaver mortuum reviviscat , & vivat in æternum ; ut tamen idem numero homo reproducat , fieri non potest , si planè interiit id , per quod homo est homo , nim. anima ejus rationalis : etenim actio , quâ res aliqua producitur , à re ipsâ , quæ producitur , non differt , nisi tantum modaliter , sive revera nihil aliud est , quam res illa ipsa in fieri. Cum ergo actio illa , quâ res aliqua de novo producitur , realiter sive numericè saltem distinguatur ab illâ actione , quâ res aliqua primum fuit producta , necessario res illa , novâ actione producta , à re illa , quæ primâ actione producta est , realiter , saltem numericè distingui debet.

XVIII. *Animas hominum suâ natura esse immortales , negat etiam in Append. c. I. p. 334, &c.*

Si, inquit , anima non sit idem quod vita , sed substantia in se existens , distincta à corpore , eademque hominis essentia , sive natura , sequi videtur additâ naturâ Divinâ , tres esse in Christo naturas , quod est contra fidem. Quasi ille revera duas in Christi personâ agnosceret naturas ; qui scribit , Deum fuisse Filium ex eo , quod Virgo illum ex Sp. S. id est Deo conceperat ; Deum ab æterno esse Christum , etsi nondum carnem induisset : nam de eo , quod ab æterno decreverat (cui omnia sunt præsentia) Deum sepe numero loqui tanquam de præsentia.

C. 46.

c. 46. pag. 317. Quod revera est, abnegatâ divinâ Christi naturâ, unam tantum in illius Personâ, nempe humanam naturam agnoscere; an hoc non est contra fidem? Anima non est tota hominis essentia, sed pars tantum ejus essentialis, una cum corpore totam hominis essentiam constituens, cui additâ Christi natura divina, non tres sunt in Christo, sed duæ tantum naturæ.

Objicit etiam, quod *Deus utrumque (Adamum & Evam) à Paradiso expulit, ne manum ad arborem vitæ extenderent, et viverent in æternum.* Resp. Non sequitur; quia Adam & in illo reliqui homines per peccatum facti sunt mortales, proinde illos etiam mortales factos fuisse quoad animas suas; sophisma est à dicto simpliciter ad dictum secundum quid.

Pag 336. urget & hoc, quod (Gen. 2. 17.) Deus Adamo non dixerit simpliciter; *morieris*, sed *moriedo morieris*, id est, *non revivisces, sed mortuus perpetuo eris.* Unde sequi, ait, *etiam ipsum Adamum necessitatem habuisse utendi beneficio mortis?* Christi ad vitam æternam, quam perdiderat sua culpa. Resp. Nego, phrasin (*mortem morieris*) idem esse, ac *perpetuo mortuus eris*; sc. secundum totum tui, quoad animam & quoad corpus, quod supponit, non probat, etenim mors æterna in S. Literis non significat annihilationem, seu destructionem totius hominis; sed abjectionem à facie Dei in locum tormentorum & cruciatuum æternorum; uti etiam vita æterna non notat tantum vitam simpliciter, sed vitam beatam in æternum duraturam.

Instat; *valde durum est, inquit, dicere, Animam vivere in non animato corpore.* Resp. Deus vivit ubique; Angeli ubicunque existunt, etiam in non animatis corporibus. Duobus modis alicubi Anima dici potest vivere; vel per modum *præsentiæ*; vel per mo-

dum *formæ informantis* ; hoc modo anima non vivit, nisi in animato corpore ; illo etiam anima separata in cœlo, corpore non animato.

Urget porro ; *mibi quidem* , inquit , *differentia inexplicabilis est inter duo illa entia spiritualia ; corpus et animam* , nisi concedatur ; *vitam æternam hominibus non incipere nisi à resurrectione* , et *vitam et animam esse eandem rem* . Resp. Hoc inde est : quia substantias immateriales , & incorporeas credis non esse ; nec vocabulum (*spiritus*) quandoque significare in S. Literis *substantiam immaterialem et incorpoream* ; ut *Job. 4. v. 24.* & quandoque *corpus tenue et subtile* ; priori modo Anima humana spiritualis est ratione essentiali suæ ; posteriori modo corpora electorum spiritualia erunt à resurrectione , nempe respectu incorruptibilitatis eorum , subtilitatis , & perfectæ sanctitatis.

Denique *verba* , inquit , *illa Christi in cruce ad Latronem (hodie mecum eris in Paradiso ;) et illa ad Discipulos (ego sum arbor vite) quæsum spectant* , nisi ut *sciunt fideles* , *amotum esse à porta paradisi gladium illum flammantem* , et *per sacrificium Christi patefactam esse viam ad arborem vite* , id est , *ad vitam æternam* , quid ergo opus est *pio homini immortalitatem suam creationi* , id est *naturæ potius , quam redemptioni attribueret* ? Resp. 1. per *Paradisum* intelligit Adversarius non cœlum , sed locum aliquem hac in terra : nam locum , in quo vita æterna fruituri sunt fideles , docet hanc terram esse , non cœlum. *L. c. 38. p. 209. App. c. 3. p. 363.* Sed ubi terrarum nunc locus ille est ? si dicat in novissimo die locum illum de novo à Deo producendum esse ; quum de loco , qui nondum existit , dici potest , à porta ejus jam amotum esse gladium illum flammantem , & viam patefactam esse ad arborem vite ? 2. Dixit Christus Latroni ; *hodie mecum eris in Paradiso ; hodie* , in-

inquam, sc. eo ipse die, quo Christus hoc dixit, pendens in cruce; at hoc de ipsius corpore intelligi non potuit, sed necessario de ipsius anima intelligendum. Sequitur etiam inde, per paradysum ibi intelligi, non locum aliquem hac in terra, demum novissimo die futurum; sed ipsum cœlum metaphoricè ita appellari, uti (2 Cor. 12: 2, 4.) Apost. tertium cœlum *Paradisum* nuncupat. 3. *Immortalitas* intelligi potest vel *animæ tantam*, vel *hominis totius*; item immortalitas aut *in cœlesti gaudio*, vel *in cruciatibus infernalibus*: Homo pius juxta S. Script. immortalitatem animæ suæ tribuit creationi, seu naturæ animæ suæ, ut quæ talis naturæ est (quippe substantia simplex & incorporea) ut interire non possit nisi per annihilationem, non per mortem, Animas autem hominum in morte ipsorum non interire, aut à Deo annihilari supra ex S. Script. demonstravimus. Impiorum immortalitatem in cruciatibus infernalibus homo pius tribuit non ipsorum creationi, aut redemptioni per Christum; sed justitiæ divinæ: Sed animæ suæ immortalitatem in gaudiis cœlestibus statim post obitum suum, atque etiam corporis sui novissimo die, homo pius non tribuit creationi, sed soli suæ redemptioni per D. N. J. Christum. Atque hujus immortalitatis respectu dici potest per sacrificium Christi via patefacta esse ad cœlestem Paradysum.

XIX. *Nusquam, ait, in S. Script. legi substantiam incorpoream, à corpore separatam.* Leviath. cap. 44. pag. 295.

Animam humanam, ab homine separatam et dissitam per se subsistere, doctrinam esse, quæ cum Theologia Homericâ fortasse congruit, sed cum Script. non congruit. L. c. 46. pag. 320.

Quibus negat, Animam humanam esse substantiam

in-

incorpoream, quæ per mortem a corpore separata per se subsistat.

Resp. 1. Quæ anima est immortalis, illa per mortem à corpore separata per se subsistit; sed anima humana est immortalis, ut demonstratum *Affert. 16.*
 2. Quæ anima in S. Script. passim appellatur *Spiritus*, & corpori contradistinguitur, illa est incorporea, & immaterialis; sed anima humana passim in Sacris appellatur *Spiritus*, & corpori contradistinguitur. *Gen. 2. v. 7. Eccles. 12. 7. Matt. 10. 28. 1 Thess. 5. 23.* 3. Cui Animæ impressa est imago & similitudo Divinæ sapientiæ, bonitatis, justitiæ, & sanctitatis, illa non est forma corporea & materialis; sed essentia spiritualis, & in esse à corpore independens: nam nulla forma corporea hujusmodi habituum spiritualium capax esse potest: cum unumquodque recipiatur secundum modum & naturam recipientis; sed Animæ humanæ impressa est imago illa & similitudo Divinæ sapientiæ, &c. *Gen. 1. 26. Eph. 4. 24. Col. 3. 10.* 4. Quæ anima non ex materiâ aliquâ (aquâ aut terrâ &c.) uti animæ brutorum (*Gen. 1. 20, 24.*) sed ex nihilo à Deo in corpore humano creatur modo plane spirituali & Divino, illa necessario est substantia incorporea, quæ à corpore separata per se potest subsistere: nam quod est independens à materia in fieri, illud etiam ab illâ est independens in esse; sed anima humana tali modo in corpore à Deo creatur. *Gen. 2. 7. Creavit Deus hominem de pulvere terræ, sufflavitque in nares ejus spiraculum vitæ;* quasi ex pectore Divino, internisque ejus præcordiis in hominem efflata esse diceretur. Et *Zach. 12. v. 1. Jehova format spiritum hominis in eo.* Item *Eccl. 12. v. 7. Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum. Ergo sedibus ætheriis Spiritus ille venit.* Unde Deus Pater Spirituum appellatur. *Hebr. 12. 9. Quî non Spiritus est, aut substantia incorporea illa Anima, quæ*
 &

& *Spiritus* appellatur, & *spiraculum vite*, quæque modo adeo Divino à Deo, independenter ab omni materia, & ex nihilo formari, corporique humano inspirari legitur loc. citr. ? 5. Quæ anima secundum totum sui est intellectualis & cogitativa; & in cogitando & intelligendo est tam *sublimis*, ut cogitando pertingat ad res supernaturales, immateriales, & universales, ab omni loco & tempore abstrahentes; tam *subtilis*, ut ad intimas rerum essentias aut penetret, aut penetrare contendat; adeo *sagax*, ut conjuncta discernat, dijudicetque; adeo *potens*, ut quæ neque sunt, neque esse possunt apud se fingere valeat, in futurum conjectare, & præteritorum recordari, & ab effectis discurrendo progredi ad summam causam, & in se suasque cogitationes reflectendo, in se animadvertere, quam certò, quamque evidenter objectum attigerit; illa anima necessariò est essentia plane spiritualis, quæ a corpore separata per se potest subsistere: nam impossibile est, ullam rem corpoream eo modo in se esse plane intellectualem & cogitantem. Sed anima humana tali modo est intellectualis & cogitativa, ut ipsi in nobis experimur.

Ergo anima humana & in *fieri*, & in *esse*, & in *operari* est plane spiritualis, immaterialis, & a corpore independens.

Doctrina ergo de Animâ humanâ, quod substantia sit incorporea, quæ ab homine separata per se subsistit, doctrina est & S. Script. & rectæ rationi consentanea.

XX. *Animam*, contendit, in S. Script. nihil aliud significare præter ipsum animal, aut vitam ejus. Lev. c. 44. p. 295, 299.

Quod falsum esse constat. Psal. 49. 19. *Anima sua in vita sua benedicit.* Et 2 Sam. 11. 11. *Per vitam tuam, et vitam Animæ tuæ.* Quibus locis apertè hominis vita ab

ab illius Anima distinguitur. Item Matt. 10. 28. *Corpus possunt occidere non animam*; ubi si *anima* significaret ipsum *animal*, aut *vitam* ejus, tum sensus hic absurdus inde emergeret; *Corpus possunt occidere, non ipsum animal, aut vitam ejus*. Idem constat 1 Petr. 1. v. 9. Luc. 23. 46. Act. 7. 59. Eccl. 12. 7. Act. 15. 24. 1 Theff. 5. 23. Heb. 2. 10, 39. & 13. 17. Jac. 1. 21. & 5. v. 20. 1 Petr. 1. 22. & 2. 11, 25. & 3. 19. & 4. 19. Apoc. 6. v. 9. & 18. 13. & 20. 4. Act. 20. 10. Item Gen. 35. 18. Luc. 12. 20. 1 Reg. 19. 4. Job. 34. 19. Jon. 4. 3. 1 Reg. 17. v. 21, 22. Quibus locis, inspicienti manifestum est, per *animam* hominis, ipsum *animal*, aut *vitam* ejus intelligi non posse.

Obj. 1. (Gen. 1. 20, 21, 24. *Producant aquæ reptile animæ viventis. Et creavit Deus cetos maximos, et omnem animam viventem. Gen. 2. 7. Creavit Deus hominem de pulvere terræ, sufflavitque in nares ejus spiraculum vitæ; sic factus est homo anima vivens. Et c. 8. v. 21. Non percutiam amplius omnem animam viventem. Deut. 12. Sanguis cujusque est ipse anima. Etiam immundus habebatur in lege Mosaica, qui tetigerat animam mortuam, id est, cadaver mortuum*) Nihil, inquit, *hæc, neq; in aliis locis Script. aliud significat (anima) præter ipsum animal, aut vitam ejus.* Resp. Gen. 1. & Deut. 12. de bestiis agitur, quare ad rem non faciunt: nos enim de animâ hominis disputamus. Et quæ *Anima* nihil significat aliud præter ipsum *animal*, aut *vitam* ejus, si aliquando significat *cadaver mortuum*? nam illud non est ipsum *animal*, aut *vita* ejus. Quam ineptum hoc & contradictorium! de Gen. 2. 7. diximus Cap. 7. Ass. 17, 18. Et hoc Cap. Ass. præced. Neque sequitur; si in quibusdam S. Script. locis *Anima* improprie significat ipsum *animal* aut *vitam* ejus, ideo nusquam in Sacris aliud significare. Contrarium modo ostendimus variis locis.

Obj.

Obj. 2. *Matt. 10. 28. (Conjiciet corpus et animam in Gehennam ignis):* Hic corpus, inquit, et anima idem significant, quod corpus animatum. Resp. Contrarium liquet ex verbis Christi antecedentibus; corpus possunt occidere, non animam. Ut statim monstravimus.

XXI. Negat etiam illud vulgo receptum; Animas *Difficult.*
infundendo creari, et creando infundi. Leviath. cap. 46. *i.*
pag. 321.

Animas non creari a Deo, priusquam corporibus suis infundantur; sed infundendo creari, & creando infundi, patet; Gen. 2. 7. *Sufflavit in nares ejus halitum vitæ.* Et Zach. 12. 1. *Jehova format Spiritum hominis in eo.* Nam omnis res, quæ a Deo producitur, in suo perfecto naturali statu constituitur; hunc autem anima non habet nisi in corpore: cum sit naturaliter forma illius informans; ergo nisi in corpore a Deo producitur.

Obj. *Animæ non creantur infundendo: quia Script. dicit; omnia creata esse per Verbum Dei.* Quasi: *αὐσάρα* essent; animas hominum creari per verbum Dei; & eodem momento suis corporibus uniri.

XXII. Similiter & illud negat; *Animam esse totam in toto, et totam in qualibet parte corporis.* Ibid. *2.*
pag. 320.

Resp. 1. Animam humanam esse in toto corpore, *W*
arguit ejus in toto corpore, singulisque ejus partibus operatio: nam si (teste Apost. *Act. 17. 27, 28.*) operatio Dei in nobis (quod *in eo vivamus, moveamur, et simus*) arguit ejus præsentiam apud nos; multo magis Animæ operatio in toto corpore, singulisque ejus partibus, ejus in toto corpore præsentiam arguit.

2. Quod *anima tota*, hoc est, non secundum partem sui, sit in singulis corporis partibus, arguit ejus essentia spiritualis & immaterialis, nullas proinde habens partes

partes integrantes; qualis nisi esset, totum corpus informare & animare non posset; cum impossibilis sit penetratio dimensionum.

XXIII. Negat præterea; *Volendi causam esse voluntatem; potentiam causam esse actus.* Ibid. pag. 321.

Hominem posse velle, sive habere potentiam volendi (quæ Voluntas appellatur) etiam tum, cum hoc vel illud actu non vult, quis neget? Quid absurdi ergo, dicere; *Volendi causam in homine esse voluntatem; potentiam esse causam actus sui magis, quam videndi causam esse visum?* Solus Deus novit, vult, operatur omnia immediatè per essentiam suam; sed nullius creaturæ essentia esse potest immediata causa suarum operationum. Quod prolixè demonstratum videas à Zuzaresio *Metaphys. disp. 18. Sect. 3. n. 13. &c.* Proinde homo non vult per essentiam suam, sed voluntatem, quæ animæ humanæ facultas est, sive potentia naturalis.

Obj. *Hoc Aristotelicum est, & receptum à Scholasticis: nimirum ut dominio Dei in voluntatem humanam sublato, liberum statueretur arbitrium hominis.* Resp. 1. dicere, volendi causam non esse voluntatem, Hobbesianum est, ne immortalis statuatur anima humana. 2. Causa secunda non excludit causam primam, qui ergo dicit; *Voluntas est causa volendi*, ille non magis eo tollit dominium Dei in voluntatem humanam, quam qui dicit, *ignis est causa calefaciendi; sol est causa illuminandi*, eo tollit dominium Dei in ignem & Solem.

Hujus, & Præcedd. 21. & 22. Assert. Πρώτου Λεύδου; quod *Anima hominis nihil aliud sit, quam vita ejus. Quod non sit substantia immaterialis & immortalis.* De quibus in præcedd.

XXIV. De-

XXIV. Denique etiam notari merentur, quæ de hæc materia scribit, *App. c. I. p. 337.*

Ubi objiciens sibi *consensum omnium*, qui *fuere & sunt*, *credentium*, *animam rationalem immortalem esse sua natura*, *simulatque est creata*, *quamvis ignari doctrinæ sacræ.*

Respondet 1. *Equidem*, inquit, *quis sic sentiunt non vitupero*: *nam qui præclare sentit de Anima propria*, *cavet plerumque*, *ne illam per vitæ turpitudinem dedecoret.* *Cæterum non concedo*, *illum minus cavere idem*, *qui constanter credit*, *Animam suam redemptam esse per sanguinem Christi*, *& factam æternam.* *Expectent alii immortalitatem qualem velint*; *ego illam expecto*, *quam vitæ morte*, *nobis suo sanguine acquisivit Christus.*

Ubi non una contradicção. 1. Animas humanas per sanguinem Christi factas esse æternas; & tamen in morte desinere esse, solorum piorum demum novissimo die reproducendas, impiorum autem post mortem non amplius esse, neque factas æternas per sanguinem Christi, neque æternis pœnis cruciandas. Quæ æternum est, quod prorsus interit, aut nunquam reproducendum, aut non nisi longo post tempore? 2. Certè præclarius sentit de animâ suâ, qui credit, illam suâ naturâ immortalem esse, quam qui illam statuit mortalem, atque in morte perire, quamvis aliquando resuscitandam, ut res ipsa loquitur. Si ergo quo quisque præclarius sentit de animâ suâ, eò magis sibi cavet à peccato; quæ scribit, illum non minus sibi ab eo cavere, qui constanter credit, animam suam in morte interire, instar pecoris, demum resuscitandam novissimo die; quam qui illam credit suâ naturâ esse immortalem? 3. Et si plerumque illi caveant, ne animam suam per vitæ turpitudinem dedecorent, qui illam immortalem esse credunt;

N

quid

quid movit Illum, tam sæpe & tam serio illud identidem inculcare; *hominum animas mori simul cum suis corporibus?*

2. Respondet; Neque, inquit, concedendum, sententiam illam (de immortalitate animæ) fuisse & esse omnium hominum: illi enim, qui dixere in cordibus suis; *Edamus, bibamus; cras moriemur, non ita sentiebant, qui tamen pauci non sunt.*

En quò impudentiæ procedat impius Philosophus, ut hîc publicè scribere non erubescat, se quoad animarum immortalitatem cum illis sentire, qui dicunt in cordibus suis, Epicuri de grege porci, *Edamus, bibamus; cras moriemur;* quos atro carbone notans Propheta, *Vocavit, inquit, Iehova Exercituum tempore illo ad fletum &c. Sed ecce latitiam & gaudium, occidendo boves, & jugulando oves, atque capras; comedendo carnes, & bibendo vinum, dicendo; Edamus, bibamus: quia cras moriemur. At revelavit se coram auribus meis Iehova Exercituum; ne vivam, si expietur ista iniquitas vobis, donec moriamini.* *Jes. 22. 12.* Et Apóst. *Edamus, & bibamus* (dicunt Epicuræi) *cras enim moriemur. Ne errate: mores bonos corrumpunt commercia prava.* *I Cor. 15. 32, 33.* Unde miramur, qui paulò superius dicat; non minus illum sibi cavere à peccatis, qui non credit, animam suam naturâ esse immortalem, quam qui credit. Dicant Epicuræi; *Edamus, bibamus; cras moriemur*, illos tamen ex vero animi sensu credere, *animas suas interire simul cum corporibus suis*, non credo, neque concedo. Non credit impius, sed non vult, animam suam esse immortalem (verissimè inquit Hierocles Pythagoræus) hoc nempe, ne scelerum suorum luat penas; at Iudicis sui sententiam antevertit: quia sese ipse morte condemnat. Consonat Plato I. de Republ. Cum, inquit, jam prope est, ut quis moriturum se putet, tunc metus

eum

eum ac sollicitudo subit, de quibus ante non instituerat cogitare. Testis est illa Tiberii ad Senatum epistola: Quid scribam vobis, Patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dii me Deæque pejus perdant, quam perire quotidie sentio, si scio. Quâ recitatâ, addit Tacitus; *Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est; si recludantur Tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita scivitiâ, libidine, malis consultis, animus dilaceratur.* Annal. 6.

3. Respondet; *Præterea sententiæ eorum omnium, qui sine propriâ ratiocinatione sequuntur dictamina Magistrorum, non sunt propriæ suæ; non ergo ita sentire dici debent agricolæ, artifices, aliique homines, qui circa vitam communem occupati, nunquam fere de naturâ animæ suæ cogitare solent.*

Resp. Procul dubio de animarum suarum naturâ cogitant, hoc est, immortales esse credunt, qui de illarum salute æternâ solliciti sunt; ast artifices, agricolæ, aliosque similes homines non minus quam alios, sollicitos esse de animarum suarum salute, experientia docet. Animam suam post mortem superesse, habet unusquisque Magistrum intus docentem, atque ut credat cogentem, propriam suam conscientiam. Rom. I. 32. & 2. 14.

4. Respondet; *Fuere inter Philosophos Sadducæi, qui nullos omnino credebant esse Spiritus creatos, & proinde animæ existentiam aliter, quam ut appellatur vita, non agnoscebant.*

In eo Sadducæi adversarium habuerunt D.N. Jesum Christ. atque ipsius Apostolos, ut videre est, *Matt. c. 22. 23, - 32. Act. 23. 8.* Hobbes igitur, cum se in eadem hac in parte sententiâ esse profiteatur, eod-

dem sibi adversarios se habere, mirum est, quod non animadvertat, aut curet. Et probandum erat, Sadduczos ex vero animi sensu ita docuisse, quod negamus.

5. Respondet; *Etiamsēctatores Aristotelis & Platonis non perspectis rationibus, sed sola auctoritate Magistrorum id crediderunt: non sunt igitur numerandi tanquam Auctores opinionis, quam prostantur. Adeo ut, quos dicis, omnes homines reducantur ad Platonem; Aristotelem, aliosque paucos Philosophiæ Principes.*

Resp. Præter Aristotelem & Platonem plurimi alii fuerunt Philosophi, qui animas humanas esse immortales asseruerunt; ut Pherecides, ejusque auditor Pythagoras, Trismegistus, Diogenes, Thucydides, Thales Milesius, Zoroastes, Anaxagoras, Aratus, Seneca, & infiniti alii. Aristotelem quod attinet, nusquam ille ex professo de Animæ humanæ immortalitate differuit. Unde Philosophiæ Aristotelicæ studiosi de illius sententia hac in parte acriter digladiantur inter sese; & adhuc sub Judicel is est; nonnullis illum animæ humanæ immortalitatem credidisse contententibus; aliis è contra illud strenuè negantibus; aliis illum hac in re dubium fuisse censentibus; ut videre est apud *Conimbricenses Tract. de Anima separ. disp. 1. Art. 2.* Quocirca Aristotelis sectatores dici non possunt non perspectis rationibus, sola Magistri sui auctoritate, animæ humanæ immortalitatem credidisse. Nec dici possunt non perspectis rationibus illam credere, qui illam invictis rationibus demonstrant, quod in scriptis suis faciunt Platonis & Aristotelis sectatores. Quos autem Noster Thomas habeat sententiæ suæ auctores, modo ex ipso audivimus; nempe Atheos, Epicurzos, & Sadduczos; & ob quas sibi perspectas rationes ex hactenus animad-

madverfis intelligere possumus. Nihilque vanius, quam quod omnes homines, qui animarum immortalitatem credunt, reduci dicat ad Platonem, Aristotelem, aliosque paucos Philosophiæ Principes: Ubi namque in toto terrarum orbe ullam invenias gentem, utcunque incultam & barbaram, ubi non vigeat hæc de animarum humanarum immortalitate, earumque post mortem poenis & premiis sententia & fides? percurre ab ortu ad occasum, à Septentrionibus ad Austrum, non Turcas, Arabas, Persas (Alcoranum enim Animam à Deo inspirari, ac proinde non interire docet) sed qui imprimis barbari, rudes, feri habentur, Anthropophagos, Canibalos, Caribas, &c. hanc toto orbe fidem unanimi gentium omnium consensu receptam invenias. Vide Grotium de Verit. Relig. Christi. l. 1. §. 22. De Americanis populis testatur Georgius Hornius, communem omnium sententiam esse: *diverso itinere post obitum malos à bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidolosa habitare.* in Arca Noë. p. 457. Qui certè hujus suæ sententiæ auctores Platonem, aut Aristotelem habere non potuerunt. Non ergo communis de animarum immortalitate opinio Philosophicum est commentum ex cerebro phantastici alicujus profectum, dein in Scholis argumentorum verisimilitudine persuasum, indeque in hominum mentes per aurium foramina, accurata discipulorum industria, infusum & diffusum; sed naturalis profecto & natura insita scientia est, quam unusquisque in pectore suo exaratum invenit & legit.

An humanæ animæ post mortem immortales sint, nec ne, jam præcul dubio experitur Hobbeseus. Et si (quod alibi scribit) *nihil habeant, quod agant post mortem animæ*, esse certè multum, quod patiantur.

Digna lectu imprimis sunt, quæ præclare de Animæ humanæ immortalitate differit Plessæus de Verit Relig.

Christ. Cap. 14. & 15: Nec contemnenda, quæ hæc de re disputant Conimbricenses loc. supra cit. Etiam Hoornb. egregiè hanc veritatem contra Socinianos vindicavit. Socin. conf. Tom. 3. l. 5. c. 1. Aliique citati à Gisb. Voetio. Disspp. select. part. 1. pag. 776. &c.

C A P U T XVII.

De Hominum statu extra Societatem civilem.

Succedit jam Hypothesis illa Hobbefiana de *statu hominum extra societatem civilem*, pessimorum symptomatum in Religione Christiana fons & origo, quam nobis delincat *de Cive c. 1.* Quæ Hypothesis jam diligenter scrutanda nobis est, & de ponte dejicienda, quo, quæ illi passim inædificat, dogmata falsa, impia, & absurda simul ruant.

I. *Illum hominum statum* appellat *Libertatem*: nam totum suum *Tract. de Cive* in tres partes distribuens, earum primam, in qua agit de illo hominum statu, appellat *Libertatem*, ut liquet ex Tit. primis quatuor capp. præfixo; secundam *Imperium*; tertiam *Religionem*. Est ergo *Libertas* Illi hominum status absque omni *Imperio & Religione*.

Verum quamvis forsan mente concipere liceat homines extra omnem societatem constitutos, revera tamen arbitror, talem hominum statum, ac ille nobis depingit: *in quo*, nempe, *unicuique jus est in omnia; atque unicuique licet facere quacunque & in quoscunque libet, & possidere, uti, frui omnibus, quæ vult & potest* (de C. c. 1. a. 10.) à parte rei nec fuisse unquam, nec esse posse sed esse purum putum figmentum,

tum, quod neque cum hominis à Deo dependentiâ reali & morali, ejusque naturâ rationali, & propagatione per generationem, atque inde exurgente *συνή*, quâ sese mutuo parentes & liberi, cæterique consanguinei, impellente naturâ, prosequuntur, potest consistere, uti observant etiam Viri clariss. Esse-nius in *disp. Theolog.* 33. & Burmannus in *Synopsi Theol. lib. 8. c. 9.* Et nos hîc passim demonstramus; & quamvis esse posset, *Libertatem* tamen dici non posse.

Nam vel *Libertas* intelligitur, prout opponitur *necessitati naturali*; vel *coactioni*; vel prout opponitur *obligationi*, quæ est à legibus. Ast 1. quantum ad *Libertatem*, prout opponitur *necessitati naturali*, non minus *αυτεξέσις* est homo, agens ex *πρῶταίρεσι*, cum rationali complacentiâ, & à *necessitate naturali* immunis in statu civili, quam extra illum. 2. Coactio autem non minus viget in statu illo naturali, quam civili, si non magis; nam in statu civili potestas coactiva tantum in uno est, nempe eo, qui summum habet Civitatis imperium; extra eum penes unumquemque in unumquemque: nam hominum status extra Civitatem Illi status belli est; neque bellum simpliciter, sed omnium in omnes, *de Cive c. 1. a. 12.* sed bellum sine coactione mutuâ in se mutuo belligerantium quis intelligat? 3. Quantum ad *Libertatem*, prout opponitur *obligationi*, quæ est à legibus; ipse fatetur, homines in statu extra societatem civilem teneri saltem legibus naturalibus. *de Cive c. 1. a. 10. in annot.* sed præter illas sunt & *leges Divinæ positivæ*; leges item *humanæ*, exque vel *communes*, vel *proprie*; atque hæc vel *politica*, vel *œconomica*; leges communes appellant *jus gentium secundarium*. Jam *leges Divinæ positivæ*, quid obstat, quo

minus Divinitus revelari possent hominibus etiam extra societatem civilem existentibus ? *Fus Gentium* omnium Gentium consensu etiam in bello observandum est ; & cur minus in bello uniuscujusque in unumquemque , quam in bello nationis contra nationem ? Dices igitur ; statum hominum extra societatem civilem *Libertatem* appellari : quia homines in illo statu immunes sunt ab obligatione , quæ est à *legibus politicis & æconomicis*. Resp. Quantum ad *leges æconomicas* , aut fatendum , obligationem , quæ est ab illis legibus , non minus obtinere extra societatem civilem , quam in illâ ; aut statuendum , extra illam filios non teneri obedire mandatis Parentum suorum , aut in illo statu societatem domesticam nullam intelligi ; quorum secundum dici non potest ; tum quia parentibus jure generationis imperium debetur in filios à se natos *per art. 10. c. 1. de Cive in annot.* tum quod lex Divina , quæ expresse filii jubentur obedire suis parentibus , non est lex civilis , neque divina positiva , sed naturalis , ut quæ obedientiam illam à filiis requirit , non quatenus degunt in Civitate , sed quia filii snat. Neque postremum dici potest : quia societas domestica à naturâ est , tempore & naturâ omni societate civili prior , non à pacto , aut lege civili. Quantum ad *leges politicas* , fateor quidem , ab illarum obligatione immunes intelligi homines in statu extra societatem civilem ; malè tamen obligatio à legibus civilibus *Libertati* opponitur : nam si iniquæ sunt illæ leges , tum ne quidem legum nomen merentur , atque vi obligandi carent : nam validè à Deo verita juberi , aut jussâ vetari non possunt ab ullâ potestate humana. *Act. 5. 24.* si æquæ , tum non magis obligatio , quæ ab iis nascitur , destruit *Libertatem* , quam obligatio , quæ est à legibus naturalibus : obligatio illa *licentiam* peccandi demit , non minuit *Libertatem*.

Fal-

*Fallitur egregio quisquis sub Principe credit
 Servitium : nusquam Libertas gratior existat,
 Quam sub Rege pio.*

Claud. in Stil. laud.

Rursus Libertas ab aliis triplex statuitur ; à peccato ; à miseria ; à necessitate. Sed harum nulla extra societatem civilem reperitur ; non illa : quia (ipso fatente Adversario) in statu naturæ peccare in Deum , & leges naturales violare non est impossibile. *De Cive cap. I. a. 10. in annot.* Non ista : quia in illo statu viget bellum uniuscujusque in unumquemque sempiternum (*Ibid. a. 12.*) quo quid miserius ? Non hæc ; siquidem ad præcavendam mortem , quæ inevitabilis unicuique imminet in illo statu , & faciendam omnem actionem , sine qua conservare sese non possunt , homines feruntur *necessitate non minore , quam quâ lapis fertur deorsum.* *Ibid. art. 7.*

Præterea statuit in statu hominum extra societatem civilem omnia esse libera & licita ; facere unicuique quæcunque & in quoscunque libet ; occidere , mœchari , rapere , pejerare &c. *Ibid. a. 10.* At , inquam , hæc *Licentia* est , non *Libertas* dicenda : nam aut hæc mera *Licentia* est , ubi quod lubet licet ; aut *Licentia* nihil est. *Quem delectat vera Libertas , ab amore rerum mutabilium liber esse appetat ; & quem regnare delectat , uni omnium regnatori Deo subjectus sit , plus eum diligendo , quam semetipsum (August. de vera Relig.) Liber estimandus , qui nulli turpitudini servit. (Cic. 4. ad Heren.) Et alibi ; Libertas est potestas vivendi , ut velis ; is vivit ut vult , qui recta sequitur.* Nisi illo in statu homines liberos dicendos esse censeat sensu , quo apud Plutarch. Agesilaus de Asiæ incolis loquitur ; *inter illos , qui improbi essent , eos esse liberos ; contra qui probi*

probi, eos esse servos: quod ibi licerent omnia, virtus odio haberetur. Dices; non omnia in illo hominum statu esse libera & licita, nisi quatenus fiunt sui conservandi causa; sed contra est; quod non tantum licita illa esse statuat; quatenus revera ad sui conservationem conducere possunt; sed sufficere, si possunt saltem conducere videri. De C. c. I. a. 10. Et conservationem sui non esse mensuram omnis juris & justè facti, inferius demonstramus.

His addo, quod doceat; in illo statu homines aliter, ac faciunt, velle facere non posse; sive ita facere necessario velle, idque (NB.) *necessitate non minore, quam quâ lapis fertur deorsum.* C. c. I. a. 7. Sed quæ illa *Libertas*, quæ necessitas naturalis est, non minor, quam quâ lapis deorsum fertur?

Accedit, quod aliàs tradit; *In statu naturali, propter pravitatem malorum, recurrendum etiam bonis esse, si se tueri volunt, ad virtutes bellicas, Vim & Dolum, idest (NB.) ferinam rapacitatem* (in Epist. Dedic. Tract. de Cive præmissâ.) Cur igitur ille hominum status *Libertas* dicenda; cur non potius *Necessitas*? cur non *Ferina rapacitas*?

Notandum etiam, quod alibi doceat; *Cives subjeti Civitati non minus, quam servos Dominis.* De Cive c. 9. a. 7. Hic autem, statum extra societatem civilem *Libertatem* esse; ergo in Philosophia Hobbessiana status & conditio civium *Servitus* est, *Anarchia Libertas.* Quo dogmate quid perniciosius in Republ.? *omnes profectò liberi libentius sumus, quam seroimus.* Plaut. in Capt.

Denique *omnia nostro arbitrato facere, atque id impune*, negat ipse alibi, *rectè libertatem judicari.* De C. c. 9. a. 9. Sed extra societatem civilem, omnia homines faciunt suo arbitrato, atque impune (per a. 8, 9, 10. cap. I. de Cive.) Ergo (ipso Adversario iudice) status

status ille hominum extra societatem civilem non re-
 Etè *Libertas* appellatur.

II. Passim etiam *Statum hominum extra societatem civilem* appellat *Statum naturæ*, seu *naturalem*.

Malè: nam *Naturale* homini dicitur, vel quod illi
 convenit simulac natus est (*per art. 2. cap. 1. de Cive in
 annot.*) vel ad quod natura, seu affectibus omni animanti
 insitis ferimur, quodque aliter fieri non potest, sive
 quod natura cogente appetimus. *Ibid.* vel *naturale* ho-
 mini dicitur, quod naturæ humanæ consentaneum est.
 Sed utcumque *Tò naturale* sumatur, intèlligi nequit,
 qui status hominum extra societatem civilem *natura-
 lis*, aut *Status naturæ* dici possit, aut debeat. Nam 1.
 homo simulatque natus est, in potestate est, & sub im-
 perio ejus, cui debet conservationem sui; sc. vel ma-
 tris, vel patris, vel ejus, qui præbet ipsi alimenta. (C. 1.
 a. 10. in annot.) Non ergo hominum status extra so-
 cietatem *naturalis* aut *naturæ* dicendus est, quod con-
 veniat homini simulac natus est. 2. Ipse fatetur, *ho-
 mines alterum alterius congressum natura cogente appe-
 tere* (C. 1. a. 2. in annot.) hominesque ferri ad conserva-
 tionem sui *necessitate non minore, quam qua lapis cadit
 deorsum*. *Ibid.* art. 7. medium autem ad hanc obti-
 nendam non esse Anarchiam, seu statum extra socie-
 tatem civilem, ut quem salutem hominum summè ad-
 versum esse, ipse tradit. *Ibid.* art. 13. sed pactum civi-
 le. *Ibid.* & art. 2. & c. 5. art. 6. Neque ergo Anar-
 chia *status naturæ* aut *naturalis* rectè appellatur, qua-
 tenus *naturale* id dicitur, ad quod natura, sive affecti-
 bus omni animanti insitis ferimur, aut quod natura co-
 gente appetimus: non enim natura cogente, sive af-
 fectibus omni animanti insitis, homines impelluntur
 ad statum aliquem, in quo sese conservare non possunt,
 qualem esse statum extra societatem civilem, ipsum
 modo dicentem audivimus. Unde 3. etiam ille ho-
 minum

minum status *naturalis* dici nequit, quatenus *naturalis* dicitur, quod aliter natura fieri non potest: nam societatem inter homines actu jam constitutam videmus, atque extra societatem vivere neminem; hoc autem qui jam factum, si natura fieri non potest? Dices, *id factum esse non natura, sed pacto.* Resp. Malè hac in parte pactum civile naturæ opponitur; neque sequitur non esse à natura societates civiles, quia intercedente pacto fuerunt exortæ: subordinata hæc sunt, non opposita, unumque alterum aut præsupponit, aut prærequirit: Et (quod modo allegavimus) fatetur ipse, *filium in statu naturæ intelligi non posse, ut qui simulac natus est, est in potestate, & sub imperio matris, vel patris &c.* (C. c. 1. a. 10. in annot.) falsum ergo, à natura aliter fieri non posse, quin homines sint extra omnem societatem civilem: nam quod filius simulac natus est, est sub imperio matris aut patris, aut à natura est, aut a pacto: non hoc: quia *homo simulac natus est, ad pactum ineundum est inidoneus* (Ibid. a. 2. in annot.) Relinquitur ergo a natura id esse. 4. Denique ex dictis etiam intelligitur, statum illum non esse dicendum *naturalem*, quod naturæ humanæ sit consentaneus: non enim consentaneum naturæ humanæ id dici potest, quo posito natura humana salva esse non potest. *per art. 13. c. 1. de C.* neque naturæ rationali *ferina rapacitas*, ad quam etiam bonis recurrendum esse, docet, in statu illo naturali, si sese tueri volunt. *In Epist. Dedic.*

E X E R C I T A T I O

Ad Cap. I. Tract. de Cive.

Ad Art. I.

Expenditur totius Tractatus introductio.

Natura, inquit, humanæ facultates ad quatuor genera reduci possunt; *Vim corpoream, Experientiam, Rationem, Affectum.*

Malum omen, quod hic in ipso limine impingat, turpiterque imperitiam suam prodat. Et nos quidem hæc quatuor in Homine agnoscimus; verum 1. An hæc omnia quatuor sunt naturæ humanæ facultates, aut *δυνάμεις φυσικαί* (potentiæ naturales) quæ vulgo secundam speciem qualitatis constitunt? tales quidem sunt *vis corporea*, & *Ratio* seu *intellectus*; non autem *experientia* & *affectus*: *experientia* enim *habitus* est, qui beneficio *sensuum* externorum & *memoriæ* per crebras observationes comparatur, vel (si mavis) variarum observationum congeries est circa eandem rem, quibus *habitus* gignitur, juxta illud;

*Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.*

non *memoria* ipsa, ut ineptè docet (*Log. part. I. cap. I.*) aut *facultas* aliqua, aut *potentia naturalis*, qua natura apti nati sumus ad agendum. aut patiendum: enimvero *Historia naturalis*, aut *Politica* non est *facultas* hominis, aut *potentia naturalis*, & tamen ejusmodi
cogni-

cognitionem *experientiam* esse, ipse docet *loc. cit.* *Affectus* quod attinet, sunt illi *actus*, seu (ut docet Arist.) *motiones* (*ὁρμητικαί*) *appetitus sensitivi*; non ergo *facultates* dicenda sunt; nisi huic Philosopho fas sit, quælibet confundere, & pro suo arbitrio rebus nomina imponere. 2. Nec satis accuratè *Vim corpoream Rationi* præmittit, quamvis non sine ratione hoc facere videatur: utique par est, *Vim corpoream Rationi* præmitti, si illa hujus norma est, & fundamentum primum juris naturalis, juxta illud; *Juris naturalis fundamentum primum est, ut quisque vitam & membra, quantum* (NB.) *potest, tueatur.* Art. 7. c. 1. Item, *In statu hominum naturali potentia certa & irresistibilis jus confert regnandi, imperandique in eos, qui resistere non possunt.* Ibid. Art. 14. Adeoque *is, quorum potentia resisti non potest, jus dominandi ab ipsa potentia derivatur; Deoque eo nemine jus regnandi est à sola potentia irresistibili.* Art. 10. c. 8. Et simili ratione, *dominium in infantes ejus esse docet, qui primus eos in potestate sua habet; adeoque dominum in infantes matris esse, non patris, nisi pacto aut lege civili aliter statuatur.* a. 2. c. 9. Et ex Hobbesio Auctor *Tract. Theol. Polit. Jus naturale uniuscujusque hominis, docet, non sanâ ratione, sed cupiditate & potentia determinari.* Cap. 16. Verum cum jus omne naturale in ratione naturali fundamentum habeat (nam ideo bestia neque juris neque injuriæ capaces sunt; quia ratione destituuntur) adeoque illam præsupponat; sicut alias ipse videtur agnoscere, (Art. 7. hujus cap.) & vis omnis corporea à recta ratione dirigi debeat, atque exequi, quod voluntas juxta dictamen rectæ rationis faciendum imperat, quis non videt, ordinem naturalem harum, quas appellat, facultatum hic ab illo inverti? Notandum etiam, quod alibi docet, *rationem non esse, sicut sensus & memoria, nobiscum natam.* Ley. cap. 5.

pag. 23. Item nihil aliud esse; quam ingenium acquiri-
 tum methodo & doctrina. Ibid. c. 8. pag. 37. Undera-
 tio potius inter habitus, quam facultates naturæ hu-
 manæ numeranda esset. 4. Non etiam commodè
 satis ad hæc quatuor genera omnes facultates naturæ
 humanæ reduci queunt: Uti enim in superiore parte
 animæ humanæ præter rationem seu intellectum, da-
 tur etiam voluntas; sic in parte animæ humanæ infe-
 riore præter affectus & appetitum sensitivum, dantur
 etiam sensus, tum externi, tum interni; puta *sensus*
communis, phantasia, æstimatoria, memoria. Nec vi-
 deo, cur ab hæc recepta hæctenus Philosophorum sen-
 tentia sit recedendum. Vide *cap. præc.* 5. Denique
 nulla etiam harum quatuor est, aut etiam aliarum na-
 turæ humanæ facultatum, quam bestiis docet con-
 venire minus, quam hominibus; ut liquet ex alle-
 gatis *cap. præced.* Et Sethus Wardus (*Exerc. Epist.*
adversus Hobb. sect. 4. c. 4.) comparationem hominis
 & bruti ex sententia Hobbefiana instituens, Illum in
 his omnibus bestias hominibus æquare demonstra-
 vit.

*Ab his, inquit porro, sequentis doctrinæ initium ca-
 pientes, dicemus primo loco, quid animi habeant homines
 illis facultatibus præditi, alteri adversus alteros; & an
 & qua facultate apti nati sint ad societatem, & ad con-
 servandum se adversus mutuam vim; & quæ sint naturæ
 leges fundamentales.*

Sed 1. Priusquam eò procederet, imprimis ratio
 ipsi habenda erat (si Christianus haberi voluit) quanta
 sit ingenita naturæ humanæ pravitas & perversitas,
 quam coeca ratio naturalis, impuri affectus, emortuæ
 vires & facultates hominum; ut inepti planè sint ad
 ullum bonum, lege divina præceptum, & ad omne
 malum proclives, adeo ut ab hominibus, his faculta-
 tibus præditis, nihil nisi malum procedat, nisi pravitas
 illa

illa per gratiam Spiritus S. regenerantis corrigatur; quod contra Pelagianos ex S. Scriptura semper tenuit Orthodoxa fides: hoc autem non videtur observasse noster Philosophus; imo *homines natura malos esse, concedi sine impietate non posse*, contendit in *præf.* Hinc omne illud justum, & jure factum statuit, quod unusquisque & vult, & potest, & sibi faciendum judicat. Hinc illud Pseudo-axioma; *in statu naturali unicuique licet quæcunque & in quoscunque libet: quia nec aliter potest, & hoc sibi necessarium judicat.* Art. 10. hujus cap. Sic item Auctor Tract. Theol. pol. c. 16. p. 176. *Quicquid unaquæque res ex legibus suæ naturæ agit, id summo jure agit, nimirum quia agit, prout ex natura determinata est, nec aliud potest. Quare homines, quamdiu sub imperio solius naturæ vivere considerantur, ex solis legibus appetitûs summo jure vivunt. Quasi jure admittere liceat, & non culpandum sit, quod per accidens innatæ nobis malitiæ evitari non potest.* 2. Deinde cum (art. seq.) neget, *hominem aptum natum esse ad societatem civilem*, certè frustra inquit, *quæ facultate homines ad eam apti nati sint*: nam quo colore quærit, qua facultate id fiat, quod fieri negat? postea quidem docet, unicum *pactum* esse, quo homines adversus mutuam vim sese conservant; at *pactum* non est *facultas* aliqua, aut unum illorum quatuor, ad quæ omnes humanæ naturæ facultates reduci posse statuit: non enim *vis corporea* est, neque *experientia*, nec *ratio*, nec *affectus*; nisi dicat ad rationem pertinere: quia ratio naturalis tale pactum suadet, juxta art. 15. hujus cap. & art. 2. cap. 2.

Deinde, inquit, *progredientes, quid consilii in eam rem necessariò capiendum fuerit, & quæ sint Civitatis, sive societatis humanæ conditiones, hoc est, mutato tantum nomine, quæ sint naturæ leges fundamentales, ostendemus.*

Leges

Quod ait, *leges naturales esse tantum societatis humane conditiones*; quasi bonitas actionum moralium in eo sita esset, quod sint *in ordine ad pacem*, sive societatem humanam (uti docet *Art. 2. c. 2. & Art. 32. c. 3.*) quam falsum sit ad illa loca infra demonstramus. Nam 1. Si nihil aliud sunt leges naturales, quam *pacis*, sive *societatis humane conditiones*, tum in statu extra societatem civilem nullæ existerent leges naturales, ut in quo nullæ esse possunt pacis sive societatis humane conditiones (contra *art. 10. c. 1.*) nam *non entis nullæ sunt affectiones*; ergo ubi pax aut societas humana nulla est, ibi nec ullæ esse possunt pacis sive societatis humane conditiones. Alibi quidem leges naturales appellat *dispositiones ad pacem*; item *pacis conciliatrices*; sed differunt multum. 1. *leges naturales*. 2. *Societatis humane conditiones*. 3. *dispositiones ad pacem*. Nam *conditiones societatis humane* illam supponunt, aut saltem iis positis non potest non existere societas humana; *dispositiones* autem *ad pacem* esse possunt, ubi societas humana nulla est, ut patet in primo homine; atque ubi leges naturales minimè observantur; ut patet in Diabolis; *Matt. 12: 25, 26.* 2. Huc accedit, quod legem naturæ fundamentalem doceat non minus præcipere *defensionem sui per bellum*, ubi pax haberi non potest; quam *pacem*, ubi haberi potest. *Art. 2. Cap. 2.* Hoc si verum, tum leges naturales non magis essent *pacis*, quam *belli* conciliatrices; nec magis *societatis humane*, quam *belli* uniuscujusque in unumquemque *conditiones*; nec magis essent *dispositiones ad pacem*, quam *ad bellum*; si (me iudice) conservatio mei non magis pacem, quam defensionem mei per bellum postulare videatur. Sed plura de his in seqq.

Ad Artic. 2.

*De Origine Societatis civilis; & an ea sit soluta, vel
primario mutuo hominum metu?*

Omissis Aliorum de Societatis civilis origine
sententiis absurdis & falsis, ut Diodes. Sicul. l.
n. 8. Thucyd. lib. 1. ab init. Vitruv. lib. 2.
aliorumque; quod homines primum, more fera-
rum, vitam degerint in sylvis, & montibus oberra-
verint, donec a quibusdam in coetum civilem indu-
cerentur. (de quo Bellarm. de Laicis c. 5. & ex eo
Besold. in Synops. p. 17.) cui hæc Hobbesii hypothesis,
de hominum statu extra societatem civilem, valde vi-
detur affinis. (Vide Sethum Wardum in Exercit.
Hobb. Philos. c. i. sect. 5.) itemque illâ Epicuri; quod
homines temerè, & casu fortuito coaluerint, de quo
Cicero l. 1. & 2. de nat. Deorum; Aliorumque, quod
iustinctu Musicæ, ut Horat. de Arte Pott. Hoc loco,
Hobbesii vestigia prementibus, hoc potissimum no-
bis hic inquirendum;

*Utrum societatis civilis initium sit vel solutum, vel
primario à mutuo hominum metu, & nequaquam à na-
turali instinctu nature humana?*

Hoc est, quod Hobbes urget hoc art. Eorum, inquit,
qui de Rebus publ. aliquid scripserunt; maxima pars
vel supponunt, vel petunt, vel postulant; hominem esse
animal aptum natum ad societatem; Græci dicunt
Ζῷον πολιτικόν, eoque fundamento ita superædificant
doctrinam civilem, tanquam ad conservationem pacis;
& totius generis humani regimen nihil aliud opus esset,
quam ut homines in pacta & conditiones quasdam, quas
ipsi jam tum leges appellant, consentirent. Quod axioma,
inquit, quanquam à pluribus receptum, falsum tamen,
error-

errorque à nimis levi naturæ humanæ contemplatione profectus est. Et post multa in fine ita concludit; statuendum igitur est; originem magnarum & dissolutarum societatum non à mutua hominum benevolentia, sed à mutuo metu existisse.

Non quidem inficiasimus, etiam à mutuo hominum metu societates civiles originem ducere; sed solum aut primario inde illas arcessere, merito cum clariss. Essenio & clariss. Burmanno (*loc. supra cit.*) non leviter injurium censemus in genus humanum, & errorem nimis periculosum. Verum contendimus, causam earum progumenam esse instinctum naturæ humanæ, quo gaudet societas humanâ, adeoque hominem aptum natum esse ad societatem:

Ita enim natus & comparatus est homo, ut vivat in civili conservatione, seu cœtu aliquo communi. Quam *ὄμιλῶσι* Stoici appellabant. Habemus, inquit Chrysostomus, naturâ homines cum hominibus *ὄμιλῶσι* (*societatem*) quidni? cum tale quid inter se & fera habeant. Homil. 31. ad Rom. Unde rectè Arist. (1. Pol. 2.) hominem omni ape, omni que animante gregali civilius & urbanus animal esse; & qui non fortunâ, sed naturâ alienus est à Civitate, aut in Civitate non degit, aut esse nequit, aut nihilo indiget propter copiam, illum aut improbum, aut homine præstantiorem; bestiam enim, aut Deum esse scribit. Quod adeo verum est, ut ipse Bellarminus (*loc. supra cit.*) hæc verba Arist. referens, veritus, ne hinc sequeretur Eremitas suos, aut bestias esse, aut Deos, maluerit non minus ridiculè, quam absurdè respondere; Non esse hoc contra Eremitas suos: nam qui penitus solitarii vixerunt, ut Paulus primus Eremita, Maria Magdalena, Maria Egyptiaca, & si qui sunt alii, dici posse, aliquid amplius homine habuisse, non (NB.) naturâ, sed gratia (quasi gratia tolleret naturam) quam ut veritatem

hanc in dubium revocaret. Et Cicero, *Si quid*, ait, *tale posset contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura suppeditat, abundantiam & copiam; hominis autem adspiciendi potestatem eriperet, quis tam ferrens esset, quicquam vitam ferre posset?* De Amicit. *Ad societatem nos genstos esse*, ait M. Antonius Imperator summe Philosophus (apud Grot. de j. b. ac p. in proleg.) *atque ad id natum esse hominem, bene ut aliis faciat.* *Quin facilius reperiri terrestre aliquod ad terram se non ferens, quam hominem ab humano genere abscissum. Quod ratione utitur, necessariq; & cœtum appetere.* Et Nicetas Choniates, *Naturam*, inquit, *inseculpsisse, & insevisse nobis animi consensionem cum iis, quæ cognata sunt nobis.* Quare meritò societas civilis censetur esse juris naturalis, quod recta ratio homines docet, quoque natura rationalis hominem impellit. Nam Regna omnia & Imperia sunt à Deo, Rom. 13. 1, 2. Prov. 8. v. 15, 16. Deut. 4. 32. nempe quia hunc naturæ humanæ impressit affectum, quo homines ad societatem cum aliis hominibus ita proclives sunt, ut in nobis, & in aliis experimur. Neque à Deo sunt tantum aut præcipuè Imperia, *ut tranquillam & quietam vitam degamus*, immunem à metu aliorum hominum; verum etiam & præcipuè *cum omni pietate & honestate.* I Tim. 2: 2. non ergo illa solum aut primario sunt à mutuo metu. Idem liquet tum ex sermone; tum quod homines quidam ad imperandum, alii ad parendum sunt apti nati; tum etiam, quod societas civilis ex societate conjugali & paternâ, quæ à naturâ originem habent, dimanavit. Quod sic declarat Cicero; *Cum sit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas est in conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia, id autem*

tem

tem est principium urbis, & quasi seminarium Reipubl. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, consobrinarumque; qui cum una domo capi jam non possint, in alias domos, tanquam in colonias, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio soboles est Reipubl. 1. Offic. Præterea, quod parandi & imperandi diversitas apud omnes gentes reperitur. Denique quod etiam in statu innocentiae ante lapsum (ut docent Thom. Aquin. Item Besold. in præcogn. Polit. cap. 6. Et variis argumentis probant Bellarm. de Laicis c. 7. & Rivet. in Genes. c. 1. Exerc. 10.) fuisset imperium non quidem despoticum, sed politicum; de qua distinctione vide Rivet. ibid. Quod tamen a mutuo hominum metu originem non habuisset.

Priusquam autem ad argumentum, quod in contrarium Hobbes producit accedamus, notandum 1. Quod pro eodem sumat. *Hominem esse animal aptum natum ad societatem.* 2. *Homines congregari & societate mutua gaudere, id ideo fieri, quod aliter natura fieri non possit.* 3. *Originem magnarum & diuturnarum Civitatum exstitisse à mutua hominum benevolentia. Quasi idem essent naturale; Aliter natura fieri non posse, & ortum esse à mutua hominum benevolentia: cum constet, multa esse naturalia, quæ tamen natura aliter fieri possunt; sic naturaliter simile sibi simile generat, cum tamen nonnunquam a naturâ aliter fiat, ut quando animal generat monstrum. Insuper aliud est naturale homini, aliud ex mutua hominum benevolentia. Nam 1. mutua benevolentia amicitiae ut sic essentialis est, non societati civili: quam multi enim homines in societate civili una degunt, absque quod ullam inter se colant amicitiam? licet in Civitate etiam utilis, & quodammodo necessaria: nam συνίχει τὰς πόλεις (Arist. 8. Pol. 1.) 2. Benevolentia est desiderium alii benefaci-*

endi, non sui commodi causâ, sed tantum ut alteri beneficiat; sed *naturale* hic nobis est, quod fluit ex natura humana, quæ ita comparata est, ut gaudeat societas sic *naturale* est homini, & juxta Hobbesium *juris naturalis fundamentum primum*, ut quisque vitam suam, & membra, quantum potest, tueatur. Art. 7. c. 1. id tamen à mutuâ hominum benevolentia non proficitur.

2. Notandum etiam, quod dicat; *quod homines societate mutua gaudeant, non inde esse, quod aliter natura fieri non possit, sed ex accidente.* Quod falsum esse inde constat, quod ex accidente dicatur fieri, quod sit vel *præter consilium*, vel *præter naturam propensionem*; ac priori modo non est ex accidente societas civilis: *omnis enim societas* (sunt Hobbesii verba) *voluntarie contrahitur*, adeoque ex destinato consilio. Neque alterum dici potest: nam quod est præter aut contra naturam propensionem, id violentum est, neque ideo esse potest origo magnarum & diuturnarum Civitatum: *nullum enim violentum est diuturnum.* Quid autem sibi velit, dicens, *ex accidente esse, quod homines congregentur, & societate mutua gaudeant*, patet ex ultimis verbis hujus Art. quibus ita concludit; *statuendum igitur est; originem magnarum Civitatum non à mutuâ hominum benevolentia, sed à mutuo metu exire esse.* Vult ergo, societates civiles existere per accidens mutui metus; sed non sequitur: *sunt ex mutuo metu, ergo ex accidente simpliciter*; si tantum ex mutuo metu essent, hæc argumentatio ferri posset; verum illas primario esse à naturâ humanâ, jam ostendimus.

His præmissis, accedamus jam ad argumentum, quo demonstrare conatur; originem Civitatum non esse ex eo, quod homo sit animal aptum natum ad societatem; sed duntaxat ex mutuo metu; illud prolixè proponit; summa hæc redit. *Quod omnis societas*
vel

vel commodi causa, vel gloriæ, hoc est sui, non sociorum amore contrahitur: cum enim, inquit, societas voluntarie contrahatur, in omni societate quaeritur voluntatis objectum, id est, quod videtur unicuique congrederentium bonum sibi. Unde concludit, hominem non amare hominem naturaliter, id est, ut hominem.

Resp. I. Quamvis homo ex corrupta sua natura non amet hominem naturaliter, Tit. 3. 3. tamen, quoad reliquias imaginis Dei, ita comparatus est, ut gaudeat societate civili, siue ad eam aptus natus est. 2. Nec illa bene coherent, in omni societate quaeritur voluntatis objectum, id est, quod videtur unicuique congrederentium bonum sibi: non enim bonum sibi est adaequatum objectum voluntatis, sed bonum in genere, quod non tantum est iucundum & utile sibi; verum etiam præcipue honestum, quod ratio faciendum dicitur, & lex naturalis; quale est; Honeste vivere, neminem ledere, suum unicuique jus tribuere; & quod Christianos monet Apost. Phil. 4. 8. Quod reliquum est Fratres, quaecunque sunt vera, quaecunque veneranda, quaecunque iusta, quaecunque munda, quaecunque amabilia, quaecunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hæc reputate. Quamvis hæc aliquo respectu facienti essent molesta & noxia, Ps. 15. 4. Sed de hoc infra fusius. Factum ergo, quod ait, Quicquid videtur bonum iucundum esse, idque si referatur ad arimum esse gloriæ (siue bene opinari de seipso) vel ad gloriæ ultimam referri; si ad organa omnia, commodorum nomine comprehendit: adeoque omnem societatem vel commodi causa, vel gloriæ, hoc est sui, non sociorum amore contrahi. Voluntas enim ordinata & Christiana est, humiliter de seipso sentire, in Deo gloriari, atque ex modestia alium se præstantiorem existimare. Phil. 2. 3. 3. Fateamur quidem homines fere in societate cum aliis hominibus propriam gloriæ & commodum spectare; est illud non

est à natura instituta, sed corrupta : natura enim à Deo instituta fuit, ne quisque sua tantum spectaret, sed etiam quæ aliorum sunt, ad quem statum primævum nos revocat Apost. *Phil.* 2: 4.

Objicit sibi in Annot. *Cum societatem inter homines jam constitutam, cum extra societatem vivere neminem, appetere congressum & colloquia mutua omnes videamus; miram quandam saltem videri posse stupiditatem, in ipso doctrinæ civilis limine hujusmodi offendiculum legentibus opponere; Hominem ad Societatem aptum natum non esse.*

Respondet; *Verum quidem esse, homini per naturam, sive quatenus homo est, id est, statim atque natus est, solitudinem perpetuam molestam esse: nam infantes ad vivendum, adulti ad bene vivendum aliorum ope indigent. Itaque homines, inquit, alterum alterius congressum natura cogente appetere non nego; societates autem civiles non sunt meri congressus, sed fœdera, quibus faciendis fides & pacta necessaria sunt.*

Fatetur ergo, homini per naturam solitudinem perpetuam molestam esse, & quod magis est homines alterum alterius congressum naturâ cogente appetere. Sed, inquam, quid sibi aliud voluit Arist. alique, dicentes; *Hominem esse Ζῷον πολιτικόν*? non enim illi per societatem civilem, quando ad eam homines aptos natos esse dicunt, intelligunt fœdera, sed congressus, id quod ipse falsus est in principio hujus Artic. dicens, eos qui de Rebuspubl. aliquid scripserunt, plerisque vel petere, vel postulare; hominem esse animal aptum naturam ad societatem, eoque fundamento ita superedificare doctrinam civilem, tanquam ad conservationem pacis & totius humani generis regimen nihil aliud opus esset, quam ut homines in pacta & condiciones quasdam consentirent: nam qui statuunt fundamentum pacti civilis esse; Hominem esse aptum natum ad societatem an non significant, se per societatem non intelligere ipsum pactum civile, sed hominum congressum merum, seu societatem,

tem in se nude spectatam ? Ergo Hobbes dicens, se per *societates civiles* non intelligere *meros congressus*, sed quoque *foedera*, quibus faciendis fides & pacta necessaria sunt, cum umbra suâ dimicât. Quamvis minimè dubitemus, homines etiam revera, uti ad ratiocinandum, ita quoque ad foedera ineunda aptos natos esse.

Quod porro dicit, *Omnes homines cum sint nati infantes, ad societatem ineptos natos esse, quos tamen constat habere naturam humanam. Adeoque non natura, sed disciplina hominem ad societatem aptum factum esse*; ineptum est, ac si diceres; omnes homines, cum sint nati infantes, ad utendum ratione vel sermone ineptos natos esse; proinde ad utendum ratione vel sermone hominem non natura, sed disciplina aptum factum esse. Hic natura incipit, disciplina dirigit, consuetudo & usus absolvit.

Quod subjungit; *tametsi ea conditione natus esset homo, ut societatem appeteret, non sequi, eundem ita natum esse, ut societati ineunda sit idoneus: quia alia res est appetere, alia capacem esse, eadem instantia evanescit: nam similiter dicam; tametsi ea conditione natus esset homo, ut ratione uteretur, non sequi, ita natum esse, ut ratione utendo sit idoneus, quasi homo ad aliquid natus esset, ad quod natura aptus non esset. Ergo sicut infans revera ad rationem & sermonem aptus natus est, quamvis in infantia sua necdum actu ratione & sermone uti possit; ita quoque homines omnes, & si natura nati sunt infantes, revera tamen ad societatem civilem colendam apti nati sunt, quamvis in infantia sua actu societatem civilem pacto cum aliis inire non possint. Innata ergo aptitudo ad societatem civilem pacto ineundam in actu primo omnibus inest hominibus: quia tam infantes, quam adulti habent naturam humanam; quamvis illa aptitudo*

tudo proximè & in actu secundo non statim adfit propter defectum actualis rationis & loquelæ in infantia.

Et miror, hîc dici; *Omnes homines. (cum sint nati infantes) ad societatem ineptos natos esse; cum (ann. ad a. 10.) doceat, filium in statu naturæ intelligi non posse, ut qui simulatque natus est, in potestate est, & sub imperio ejus, cui debet conservationem suam. Nam si filius, simulac natus est, non est in statu naturali; ergo est vel in statu societatis civilis vel in statu neutro; hoc posterius dici non potest: quia status omnis extra societatem civilem illi est status Naturæ & Libertatis, ut patet ex Tit. hujus cap. Si prius dicatur; tum omnes homines, si ad societatem inepti nati sunt, simulatque nati sunt, essent in ejusmodi statu, ad quem inepti nati sunt, hoc est, inepti essent ad illum statum, in quo per naturam constituti sunt. Ineptè!*

Ad Artic. 3.

An omnes homines naturâ sint inter se æquales; eaque æqualitas hominum naturalis causa sit mutui illius, quem statuit, hominum metus?

Vidimus ad art. præc. *Aut origo societatis civilis sit tantum à mutuo hominum metu. Jam illum hominum metum docet originem habere partim à naturali omnium hominum æqualitate (nam omnes homines naturâ inter se æquales esse; inæqualitatem, quæ nunc est, à lege civili esse intraductam) partim à mutua ledendi voluntate. Hinc fieri, ut neque ab aliis expectare, neque nobismetipsis securitatem præstare valeamus.*

Hic.

Hic. I. Negamus, omnes homines ita naturâ esse inter se aequales: nam. I. inæqualitas, quâ feminæ (*αιδειςοςον σκευθ*, I. Petr. 3. 7.) viris; infantes adultis; senes decrepiti juvenibus; debiles & ægroti sanis & robustis; imo uni aliis (per. art. 6. *fortioridandum esse*) viribus sunt longè inferiores, à lege civili introducta non est; ut nec inæqualitas, quâ quidam ad imperandum, alii ad parendum apti nati sunt (de quo Arist. I. Pol.) quos nempe natura generavit adeo rationis impotentes, ut seipsos nec sustentare, neque regere cum consilio possint, quales multos homines esse, experientia docet, eadem tantum rationis participes, eam ut sentiant solum; vix etiam habere comperiantur. Quomodo Arist. Barbaros naturâ servos esse, docet; & idè libenter ferre dominatum, quod sciunt obedire, & non imperare. Et contra Plutarchus, Pelopidam naturâ Imperatorem fuisse, non quod tatis natuſ esset, sed quod prudentiam Regiam haberet. In Pelop. Etiam ratione aliorum donorum inæqualitas inter homines reperitur, quæ nequaquam est à lege civili; de quâ Claud. de *landstik*:

Partitum singuba quomque

*Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis
Hunc rigor, hunc pietas, illum solertia juris,
Hanc soboles castique thori.*

Alius Poëta (Homer. *Iliad*. 13.)

*Ἄλλω μὲν γὰρ θεὸς πολυμήνια ἔργα. &c.
Illi bellica nempe Deus donavit, at illi
Saltare, atque alii fidibus, cantuve valere.*

Et alibi loquens de Polydamante & Hectore.

Unus consilii, alter præstantior Hastâ.

Quod

Quo facit & illud Plutarchi; *Ille ad civilia, hic ad bellica natura aptior*. Etiam inæqualitas hominum datur ratione *potestatis* sive *juris*, quæ a natura est, non a lege civili. V. Gr. jus imperandi parentum in liberos suos. Et jure naturæ quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis. 2. Quid hoc sibi vult (*naturâ*) dicens; *omnes homines naturâ æquales esse*? An hoc est *essentiâ*? tum concedimus; sed non hoc est, quod hîc queritur. An ergo, *quatenus homines sunt, id est, simulac nati sunt*? ut illam vocem interpretatur, *art. 2. in annot.* Ast hoc sensu manifestum est, non omnes homines æquales esse: nam sic infantes *natura*, hoc est, *simulac nati sunt*, parentibus suis aliisque adultis, facultatibus & animi & corporis sunt longè inferiores. Quod ergo agnoscens addit; *Si spectemus maturos homines; & alibi apertius; omnes homines naturæ ætatis inter se æquales habendos esse in statu naturali*. C. c. 9. a. 2. Sed. I. contradictoria sunt, *Omnes homines naturæ ætatis inter se æquales esse; & tamen natura omnes homines æquales esse; siquidem rō naturâ sive per naturam idem sit, ac quatenus homines sunt, seu simulac nati sunt*, ut illam vocem interpretatur l. cit. 2. Nego quoque, ejusmodi esse omnium hominum æqualitatem naturâ (loquor jam de adultis) imprimis parentes inter & liberos, *ut neque ab aliis expectare, neque à semetipsis securitatem præstare valeant*, ut hîc loquitur: non enim credibile est, se mutuo posse aut velle occidere parentes & liberos in illo statu naturali propter *σὸφλῶν*, de quâ *Jes. 49. 15. Matt. 7. 9, 10, 11. Ps. 103. 13.*

Obj. *Æquales sunt, qui equalia possunt contra se invicem; at qui maxima possunt; nim. occidere, illi equalia possunt; ergo &c.* Nam (inquit Lev. c. 13.) *quod attinet ad vim corpoream raro invenias hominem*
ita

ita imbecillum, ut fortissimum non possit interficere vel dolo, vel conjunctione cum aliis quibus periculum est commune.

Resp. 1. *Inter homines esse imbecilles & fortissimos, & tamen inter se aequales esse contradictoria sunt. Similiter loqui de solâ v̄corporea, & tum postea ei dolum addere: nam dolum pertinet ad animum, non vim corpoream. Item statum naturæ supponere, in quo nulla pacta esse intelliguntur, & tamen salvo illo statu conjunctionem hominis cum aliis hominibus fingere: nam illa hominum conjunctio absque pacto, saltem implicito, fieri nequit. 2. Nego etiam, aequales esse, qui equalia possunt; distingue inter opus, & modum operandi: sæpe equalia quidem possunt, qui tamen illa æqualiter, sive æquè facile non possunt: nam facilius robustus imbecilliozem, quam hic illum occidet. 3. Nego quoque, maxima posse contra se invicem, qui possunt occidere. Quid facilius, quam hominem occidere? plus est hominem servare, quam necare. 4. Si æquales sunt, qui possunt occidere, tum etiam omnes homines æquales sunt in statu civili: nam etiam in illo statu, si volunt, possunt occidere. Dices; in statu civili per leges civiles non licet. Resp. 1. Lex civilis potentiam naturalem hominum nec tollit, nec minuit; multa quidem ante leges possunt homines, quæ postea per leges non licent; sed aliud est, non posse simpliciter, aliud non licere, aut jure non posse, illud negat potentiam physicam, hoc potestatem moralem, qua sublata illa nihilominus integra esse potest. 2. Nec in statu naturali licet per leges Divinas: nam quod docet, præceptum de homicidio non pertinere ad statum naturæ, sed civitatis (C. c. 14. a. 9.) falsum est: nam lex Divina homines occidere vetat non quatenus degunt in societate civili; sed quatenus homines sunt, gerentes Dei imaginem. Gen. 9. 6.*

Denique

Denique fatetur; *homines alios aliis præstare viribus aut ingenio; tamen tum corporis, tum animæ facultatibus homines adeo æquales*, ait, *produxisse naturam, ut si omnia simul considerentur; differentia tanta non est (sit) ut promittere sibi commodi quicquam possit unus, quod alius sperare aequè non potest.* Leviath. L. cit.

Resp. 1. Qui inter facultates hominis, corporis & animæ, ille distinguat, qui docet; animam hominis nihil aliud esse, quam illius vitam? nisi homini dicat inesse facultates aliquas quoad corpus, spectatum ut non vivens & inanimatum. 2. Qui etiam hæc cohærent cum iis, quæ hic tradit de naturali omnium hominum æqualitate? nam quod homines alii aliis præstant viribus aut ingenio, non est a lege civili. 3. Neque hæc vera sunt: reperiri enim aliqui inter homines possunt, qui tum corporis, tum animæ facultatibus in tantum præstent aliis singulis, V. Gr. senibus, imbecillis, ægrotis, dementibus, & similibus, ut promittere sibi plus commodi quicquam, & sperare meritò possent, quam alii, ubi ad certamen ventum esset in illo statu, ubi bellum vigeret uniuscujusque in unumquemque.

2. Dato, tantam esse per naturam omnium hominum æqualitatem, negamus tamen, ex illa per se sequi illum, quem fingit, mutuam hominum metum: nam absque ejusmodi mutuo metu homines inter se æquales esse potuissent in statu innocentiae ante lapsum in seculo isto aureo, in quo poena metusque aberant; quod jam non possunt, non est per se à naturali illâ, si esset, omnium hominum æqualitate; sed à malitiâ originali naturæ humanæ ingeniâ. *Gen. 6. 5. & 8. 21. Ps. 51. 7. Job 15. 16. Prov. 6. 14. Jer. 17. 9. Matth. 9. 15. 19. Rom. 3. 10-13. Tit. 3. 3.* Quæ per imperium

rium quidem quodammodo coerceri potest ; non penitus aboleri.

Ad Artic 4, 5, 6.

De Mutuâ ledendi voluntate ; & unde illa oritur ?

Alteram causam illius mutui metus , statuit , esse *mutuam alios ledendi voluntatem* ; hanc autem resultare partim ab *inani gloria & falsa virium estimatione* , aut à *necessitate res suas & libertatem contra hunc defendendi*. art. 4. Partim à *discordia & comparatione imperiorum*. art. 5. Partim ab *appetitu pluriū ad eandem rem*. art. 6.

Mutuam illam ledendi voluntatem omnibus hominibus naturaliter inesse , & S. Script. restatur. (Ps. 14. v. 3, 4. Rom. 3. 29, 30, 31. & 3. 10. & c. Tit. 3. 3.) atque etiam experientia : Est enim *Leonum fertas inter se non dimittit ; serpentium morsus non petūt serpentes , nec maris quidem beluæ accipiscer nisi in adversa genora feriunt ; at homini plurima ex homine sunt mala*. Plin. Hist. natur. lib. 7. Hinc tritum : *Homo homini lupus*. & illud Ausonii in Biantis pirenæi sententiis :

Pernicies hominum quam maxima ? solus homo alter
Quo etiam facit illud de *etate ferrea* apud Poetas.

Verum 1. non tamen ejusmodi est mutua illa ledendi voluntas in hominibus , ut (quod Hobbes vult) ex solo mutuo metu origo esset societatis civilis , nequam ex humane naturæ inclinatione naturali : nam non adeo deplorata est naturæ humane pravitas post lapsum primi Hominis , quin adhuc in eâ scimulæ aliqua primævi amoris , & honestatis reliqua reperiantur , quæ & nunc videmus , parentes & liberos , re-

li-

liquosque confanguineos, naturali affectu impellente, ad se mutuo ferri; hominesque promiscue societatem, etiam honestatis causâ inter sese colendam, appetere. Hoc animal (homo) natum est pudoris ac verecundiæ particeps; appetens conjunctionem hominum ac societatem, animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret aut diceret, ne quid ab eo fieret, nisi honestè & decorè. Cic. 4. de finib. Huc facit lex illa omnium hominum cordibus inscripta, & conscientiæ naturalis vis, atque inde exurgens inclinatio quædam ad bonum quamvis evanida & mortua. Rom. 2. v. 15. 2 Tim. 3. 5. 1 Cor. 5. 1. Et 2. Illa mutua lædendi voluntas omnibus inest hominibus in statu Civitatis, non minus quam naturæ; nam licet illa per imperium quodammodo (ut dixi) coërceri possit, non tamen tolli, aut aboleri. 3. Illa alios lædendi voluntas vel in actu primo spectari potest, vel in actu secundo. Quamvis ergo quoad actum secundum à dictis causis illa voluntas lædendi in homine excitari possit; tamen quoad actum primum ab illis causis non est, sed (quod Hobbes alibi negat) ex lapsu primi parentis naturæ humanæ connascitur. Rom. 5. 12. Eccl. 7. v. 29. Eph. 2. 3. Gen. 5. 1. Ps. 51. 7. Job 14. 4. Job. 3. 6. Et 4. Quamvis rectæ dicatur voluntas lædendi alios, inesse ei, cui illa inest ab inani gloriâ, & falsâ virium æstimatione; nego tamen, eam rectè dici inesse ei, cui res suas & libertatem defendendi incumbit necessitas: nam quod necessitate coactus facit, id invitus præter, imo contra, voluntatem facit; imprimis si aliter velle facere non possit, idque necessitate non minore, quam qua lapis fertur deorsum (art. 7.) nam violentum est, non voluntarium, cujus principium extra est, atque ejusmodi, nihil ut adjumenti adferatis, qui agit aut patitur: nam quod tali adactus necessitate facit, ad id Κατ' ὀμνάτω ὀμνάτω (proprio motu) nihil confert

fert (Arist. 3. Eth. 1.) Et quidni necessaria sui defensio abesse potest à voluntate lædendi alios, si (quod ipse docet, c. 3. a. 27.) aliquis in statu naturæ retinere potest animum observandi leges naturales, quamvis illas actu non exercent. 5. Quantum ad tertiam (quam statuit) mutux alios ledendi voluntatis causam; nempe *appetitum plurium ad eandem rem, quæ tamen sapissime neque frui communiter, neque dividere possunt; & inde sequi fortiori dandum esse; quis autem fortior sit, pugna esse judicandum;* in eo supponit. 1. Communionem omnium rerum in statu naturæ. 2. Irresistibilem potentiam conferre jus. 3. Nullum in eo statu aliud medium esse dirimendi controversias, præter pugnam. Quod falsum: nam 1. jure naturæ, quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis. 2. Modesti hominis est, potius jure suo cedere, quam in pugnam descendere, & ob vile lucellum vitam suam periculo exponere, aut alteri eripere. Quo facit illud Athenæi de Epic. apud Laërt. Lib. 10.

Quis furor, o cives, ut vos ob vile lucellum

Rixas & bellum solliciteris atrox?

Nam natura opibus facile est contenta pusillis

Contenta est nullis ambitio est opibus.

Hoc Epicurus ait. &c.

Atque ipse statuit (c. 3. a. 17.) *lege natura institutum esse, sorte dividenda esse illa, quæ neque dividi possunt, neque communiter haberi.* Neque consistit cum hypothese de naturali omnium hominum æqualitate; *fortiori dandum esse; quis autem fortior sit, pugna judicandum.*

Ad Artic. VII.

Quid sit jus, & jure factum; & de juris naturalis fundamento primo.

Hic primùm examinanda occurrit definitio juris & jure facti; & tum *An juris naturalis fundamentum primum sit, ut quisque vitam, & membra, quantum potest tueatur?*

I. *Jure & jure factum esse, statuit quod contra rectam rationem non est; & juris nomine non aliud significari, quam Libertatem, quam quisque habet facultatibus naturalibus secundum rectam rationem utendi.*

Art. 3. Cap. 14. *Jus nihil aliud esse docet, quam Libertatem naturalem, à legibus non constitutam, sed relictam, quam primò restringit lex naturalis & divina; residuum restringunt leges civiles &c. Adeoque jus & legem differre ut contraria; quod lex vinculum, jus libertas sit.*

Ut, quid de his judicandum sit, pateat, notandum; varias esse juris acceptiones: quandoque enim sumitur pro ipsa lege, quatenus vim notat alicujus auctoritatis jubentis hoc aut illud fieri, siquidem (quod multi volunt) à jubendo derivatur; adeoque nihil aliud est, quam supremæ Potestatis jussum; juxta illud Horatii; *Jura inventa metu injusti fateare necesse est.* Quo sensu *Ictis* jus triplex est; *Naturale, Gentium, & Civile.* Illud rursus distinguitur in *Jus Naturale Divinum & humanum.* De quo Voet. *Dispp. p. 1. de Jure & Just.* quandoque improprie per Metonymiam subjecti pro eo, quod *Juri* proprie dicto, seu *legi consentaneum* est; quo sensu dicimus, *jus suum cuique tribuere*; estque nihil aliud, quam *justum*, sive *jure & jure factum.*

Ali-

Aliquando per Metonymiam adjuncti pro *juris scientia*, quo sensu a Celfo definitur, *Ars boni & equi*. Sumitur etiam pro loco, in quo jus dicitur, sicut dicimus, *aliquem in jus vocare*. Denique etiam sumitur pro *potestate*, jure, seu lege concessa, quo sensu dicimus, *aliquem uti jure suo*; estque hoc vel *jus in re*, quod quis habet in re jam sua, & obtenta; vel *jus ad rem*, quod quis habet, ut res aliqua fiat sua. Hujus juris violatio injuriam constituit. Jus quando idem est, quod *jure factum*, sive *justum & æquum* tripliciter sumitur. 1. *Generalissime* pro omni eo, quod est legi consentaneum, quod ab Arist. vocatur *justum, legitimum*, & *re ipsa* idem est quod *honestum*; quo pacto omne opus virtutis dicitur *justum*, etiam phrasi in S. literis valde usitata. 2. *Minus generaliter* pro omni eo, quod alteri ex quacunque honestate, seu æquitate est debitum, sive ex *debito legali*, quod vocatur *debitum justitiæ*; sive ex *debito morali*, seu *honestatis*. 3. *Stricte* pro *jure legali* tantum, quod alteri verum jus, & actionem moralem tribuit, aliusque ratione illius juris obligatur lege justitiæ ad illud reddendum *Juri* in latissima significatione respondet *justitia universalis*, quæ est *ἐκνομία, καὶ ὅλη ἀρετή*, id est, universa virtus moralis, juxta illud; *Justitia una alias virtutes continet omnes*. *Juri* in strictissima significatione, prout denotat *debitum legale*, respondet *justitia particularis*, quæ denotat æqualitatem, definiturque a Ictis, *constans & perpetua voluntas jus unicuique suum tribuendi*. *Justitiæ* opponitur *injustitiæ*; *juri injuria*; atque ut se habet *jus ad justitiam*, ita se habet *injuria ad injustitiam*.

Quæ cum hæc se habeant. 1. *Malè jure & justè factum* dicitur, quod contra *rectam rationem* ponatur; & *jus esse libertatem a legibus non constitutam, sed relictam*;

Etiam: nam, ut ex jam dictis patet, omne *jus* respicit legem: est namque vel ipsa lex, vel quod legi consentaneum est, vel potestas lege concessa &c. Illa verò, quæ fiunt ex libertate, à legibus non constitutà, sed relicta, *Adiaphora*, non *jure & juste facta* solemus appellare. Quamvis non negemus, quandoque *jus & justum*, sed rarò & improprie *negative* usurpari, ita ut *justum* dicatur, quod *injustum* non est. Quo sensu quæritur; *Sine aliquod bellum justum*. Apud Grot. de j. b. ac p. l. 1. c. 1. n. 3. Quippe multa sunt, quæ contra rectam rationem non fiunt, nec statim eo *justè & jure facta* dicuntur; talia sunt *adiaphora*, quæ quidem simpliciter *licita* dicimus, non tamen *jure, & justè facta*. Quin animantia bruta, quæcunque faciunt, non solemus dicere *jure & juste* facere; quamvis quæ faciunt rectæ rationi non sint contraria: illa enim uti nec rationis, sic nec *justi*, aut *jure facti* capacia sunt. Unde meritò illa definitio *Iuris naturalis; quod natura omnia animantia docuit*, à multis Ictis solet improbari, quamvis ab aliis sano sensu explicari soleat. Proinde uti *justus* dicitur οὐ νόμιμος, id est, qui leges servat; sic *justè & jure factum* dicendum, quod est jure propriè dicto, seu legi consentaneum. 2. Manifesta est hæc contradictio; *jus esse libertatem utendi facultatibus secundum* (NB.) *rectam rationem; & esse libertatem* (NB.) *à legibus non constitutam, sed relictam*: nam quid est lex naturalis, nisi dictamen rectæ rationis? per *art. 1. c. 2. & a. 4. c. 14.* si ergo *jus* est libertas facultatibus utendi secundum rectam rationem, hoc est, leges naturales, ut hinc docet; ergo falsum est, *jus* esse libertatem à legibus non constitutam; quod docet *art. 3. c. 14.* Aut ergo recta ratio non est lex naturalis, quod est contra *art. 1. c. 2.* Aut quod fieri debet secundum rectam rationem, non potest

potest dici à legibus non constitutum, sed relictum.

3. Si jus significet *libertatem naturalem* à legibus non constitutam, sed relictam; tum id foret *juris Divini*, vel *civilis*, quod à lege Divinâ, vel civili non est constitutum, sed relictum. Et ad probandum, hoc vel illud esse *juris Divini*, vel *civilis*, probandum esset, hoc vel illud lege Divinâ vel civili neque præcipi, neque prohiberi. Quod absurdum. *Iure sublato*, inquit Cicero, *nihil est, quo exploratum cuiquam esse possit, quid suum, quid alienum sit.* At juxta placita nostri Philosophi, *jure*, id est, *libertate naturali*, quam habet unusquisque in statu naturæ in omnia, sublata, tum demum cuiquam, quid suum, quid alienum sit, exploratum esse potest. Sequitur etiam, tum eodem sensu *juris naturalis fundamentum primum esse, ut quisque vitam, & membra, quantum potest, tucatur*, hoc est, id unicuique permissum tantum esse, & liberum, non præceptum; adeoque jure & justè facere, si quis sese vitâ privaret, aut præter necessitatem in vitæ discrimen conjiceret. 4. Falsum quoque est, *residuum relinqui aliquam libertatem à lege Divina, à legibus civilibus postea restringendam*; nam omne bonum faciendum & malum fugiendum continetur in lege naturali, seu Divinâ, saltem implicite, ut conclusiones in suis præmissis, inde per necessariam consequentiam educendæ: leges enim omnes etiam Civiles, oportet esse Dei, ut judicium, quod secundum eas pronuntiandum est, Dei sit. *Deut. 1. 17. 2 Chron. 14. 6, 7, 8.* Sunt autem Dei, quatenus derivantur ex lege Divinâ, sive naturæ hominum impressâ, sive S. literis expressâ, per processum à generali ad specialia, & determinationem secundum varias circumstantias, potestate majesticâ Dei vicariâ. Et juxta August. *Omnium legum est inanis censura, nisi Divinæ legi: inaginem gerant.*

5. Neque omittendum, quod hic pro eodem sumat *To jure & To justè factum*, iisdemque verbis utrumque definiat; sc. quod contra rectam rationem non est: nam contra annot. ad art. 13. c. 6. hæc ita distinguit, ut dicat, *jure* aliquid fieri posse, quod tamen *justè* non fit? *Etsi* (inquit) *jure princeps, id est, sine injuria sibi* (arbitror legendum esse, *alicui*) *illat & rapier, spoliabit, occidet &c. non tamen legum naturatum, & injuria in Deum.* Quare aut non est idem *jure & justè factum*, quod est contra hunc Art. aut si Princeps *jure* spoliat, occidit subditos innocentes, etiam *justè* facit. Quod est contra a. 13. c. 6. *ann. cit.*

II. Quantum jam ad *juris naturalis fundamentum primum*, illud statuit esse, ut quisque vitam & membra, quantum potest, tueatur.

Normam, omnis juris & justè facti esse defensionem vitæ & membrorum; quantum fieri potest, diuturnam. Art. 1. c. 2. de Cive.

Hæc Philosophi hujus Assertio non videtur procul abesse à sententiâ Epicuri, qui in voluptate, ac immunitate à doloribus corporis statuebat summum hominis bonum. Sic enim ex sententiâ Epicuri disserit Torquatus (apud Cic. 1. de finib.) *Omne animal, simul a: que natum est, voluptatem appetere, eaque gaudere ut summo bono, dolorem a aspernari ut summum malum, & quantum possit, à se repellere.* Neque opus esse ratione aut disputatione, quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit; sentiri autem, hoc, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel, quorum nihil oportet exquisitis rationibus probari, tantum satis est admonere. Et ipse Epicurus (apud Laert. in ejus vitâ) in eandem sententiam hoc pacto disserit; *Horum quippe sine errore speculatio est, ut noverim, quid eligendum, quid vè fugiendum sit ad bonam corporis tuendam valetudinem,*

corporisque quietem : hic enim (NB.) finis est bene lateque vivendi : hujus enim gratia omnia agimus, ut neque doleamus, neque perturbemur. Et paulò post ; Quocirca voluptatem finem dicimus, & principium beatæ vitæ. Quæ verba Epicuri si cum Hobbelii verbis hoc loco conferantur ; deprehendes, non lac lacti magis esse simile. Unde merito Sharrok (*Hypoth. Eth. in Præf.*) de Epicuro se barere dicit, an idem cum Hobbesio senserit. Plura hæc de re vide supra cap. 3. imprimus *Ass. 2.*

Fatemur quidem ; non absurdum (sunt verba) neque reprehendendum, neque contra rationem esse, si quis omnem operam det, ut à morte, & doloribus proprium corpus & membra defendat, conservetque : naturæ enim est conservans sui ; Nemoque (ut ait Apostolus Eph. 5. 29.) unquam propriam carnem odio habuit ; & videmus, omne animal, simulatque natum est, ipsum sibi conciliari & commendari ad se conservandum. Dente lupus, cornu taurus petit, unde, nisi intrus monstratum ? quin vitulus nondum cornibus eâ parte minatur ; & equuleus nondum firmatis unguis calcitratur. Unde merito à Philosophis & hoc inter prima naturæ (τὰ πρῶτα γὰρ φύσιν) numeratur.

Verum, hoc omnis juris & justè facti normam esse, ac fundamentum primum, negamus. Nam primò, aut intelligit qualemcunque vitæ propriæ, membrorumque conservationem ; aut aliunde à recta ratione moderandam ; si qualemcunque (ut videtur addens ; quantum potest) tum justè damnatus ad mortem se jure defenderet cum offensione Judicis, aut ministrorum justitiæ ; item ergastulo si aufugerent, aut Dominum suum interficerent, jure & justè facerent ; & qui ad vitam suam conservandam alteri innocenti mortem inferrent ; quæ omnia quamvis admittat, imò doceat

(Art. 18. c. 2. & Art. 4. c. 8.) falsa tamen sunt, suis locis refutanda. Vide *Rom.* 13. 2. Et 3. 8. Et jure & justè faceret, qui metu mortis imminētis, vitæ suæ conservandæ causa, contra conscientiam suam, Evangelium, Christum abnegaret, uti Petrus, *Matt.* 26. 74, 75. Patrem suum, & Patriam proderet. Et contra juris naturalis fundamentum primum faceret, qui vitam suam pro Christo, pro Ecclesiâ, aut Patria poneret; & contra idem Juris fundamentum fecissent tot pii Martyres, vitam suam pro Divinâ veritate profundentes; quin contra idem jus fecisset Servator ipse, ultro se tradens vice nostri crucis supplicio afficiendum. Ego, inquit, sum Pastor ille bonus; bonus Pastor deponit animam suam pro ovibus. *Joh.* 10. 11. Et majorem charitatem nullus habet, quam istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis suis. *Joh.* 15. 13. Nos igitur debemus pro fratribus animas ponere. *1 Joh.* 3. 16. Vide etiam *Act.* 21. 13. *Matt.* 10. 28, 39. & 16. 25. Et tempore persecutionis vitæ conservandæ causa mentiri, pejerare liceret bonâ conscientia, juxta illud; *Jura, perjura, secretum prodere noli;* quæ olim Hæresis fuit Priscillianistarum, atque Elcesai. Vide *supra cap.* 10. *Aff.* 2. Sin moderatam intelligat vitæ suæ defensionem, & aliunde à rectâ ratione regulatam (ut videtur dicens; *juris nomine nihil aliud intelligi, quam libertatem, facultatibus naturalibus secundum* (NB.) *rectam rationem utendi*) tum non conservatio vitæ & membrorum, sed ipsa recta ratio, aliunde regulata, legitimæ mei conservationis mensura & norma est: Enimvero recta ratio, quâ solâ homo præstat brutis animantibus, multò potior est corpore, ejusque membris; proinde etiam rerum convenientia cum rectâ ratione conservationi corporis, ejusq; membrorum præferenda. Apage ergo Hobbesiano-Epi-

cu-

curæum illud juris naturalis fundamentum primum !

----- Melius nos

*Zenonis præcepta movent : neque enim omnia ;
quadam*

Pro vitâ facienda movent

Juven. Satyr. 15. *Secundo*, Si conservatio vitæ & membrorum est primum fundamentum & mensura omnis juris naturalis, ergo etiam ultimus finis esse debet omnium actionum moralium, & consequentur summum bonum, & beatitudo hominis: nam quod in moralibus est mensura actionum humanarum, idem est earum ultimus finis, juxta illud: *Finis ponit mediis modum & mensuram*. Et ultimus finis, ac summum bonum, sive beatitudo hominis convertuntur. At conservatio vitæ & membrorum ultimus finis, & summum hominis bonum esse non potest: nam 1. Illa ad finem ulteriorem dirigi debet. 1 Cor. 6. 20. *Glorificate Deum in corpore vestro, & spiritu vestro, quæ sunt Dei*. 1 Cor. 6. 20. *Sive editis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. 1 Cor. 10. 31. *Ne regnato igitur in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus corporis. Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato; sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo*. Rom. 6. 12, 13. *Ut semper, ita nunc quoque magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem*. Phil. 1. 20. v. 24. *Permanere in carne, magis necessarium est propter vos*. 2. Ultimum finem & summum bonum nemo potest nimis appetere; conservationem vitæ & membrorum quidem. Matt. 16. 25. *Quisquis enim voluerit animam (vitam) suam servare perdet eam*. 3. Vivere potes, & immunis esse à doloribus corporis,

nec tamen beatè vivere: nam εὐδαιμονία (beatè vivere) non tantùm est εὐχολα (benè vivere) sed & εὐπραγία (bene facere) atque inde tranquilla conscientia, seu voluptas ex conscientia benefactorum emergens; absque quâ hac vita nemini beata est, aut appendenda. *Matt. 27. 4, 5. Jer. 8. 3. Apoc. 6. 16. & 9. 6.* Certe bona animi bonis corporis præstant; mens sana saltè in corpore sano, solâ vitæ & membrorum conservatione, & immunitate à doloribus corporis. Denique verâ felicitas invito nemini eripi potest; vita quidem. *Tertio;* Absurdè fundamentum & norma juris naturalis statuitur id, quod homini cum brutis commune est: nam bruta non minus necessariò ad vitæ suæ conservationem feruntur, & immunitatem à corporis sui doloribus, quàm homines: omni enim generi animantium hoc à naturâ tributum est, ut se, vitam, corpusque tueantur; declinentque ea, quæ nocitura videntur; omniaque quæcunque ad vivendum sunt necessaria, inquirant & parent, ut pastum, ut latibula & alia ejus generis. Denique multa sunt hominis officia, quæ cum propriæ vitæ membrorumque conservatione nihil habent commune: ut quibus hominum actiones ordinantur ad alios; ad patriam, Ecclesiam, amicos, consanguineos, imò homines promiscuè omnes; qualia sunt σοφία, charitas, justitia, gratitudo, misericordia &c. Quorum quibusdam vita nostra postponi debet. Juxta doctrinam Apostolicam, *Nemo querere debet quod suum est, sed unusquisque quod alterius est. 1 Cor. 10. 24. & 13. 4--7. Phil. 2. 4.*

Obj. Quod contra rectam rationem non est, id justè & jure factum omnes dicunt; sed vitam & membra sua, quantum fieri potest, tueri, contra rectam rationem non est:

est: quia aliter velle facere non possumus: nam fertur unusquisque ad appetitum ejus; quod sibi bonum; & ad fugam ejus; quod sibi malum est; maxime autem malorum; quæ est mors; idque necessitate quadam nature non minore; quam quæ fertur lapis deorsum.

Resp. i. Quod contra rectam rationem non est, non est jure aut justè factum, nisi tantum negative; unde omnis juris & justè facti positivè fundamentum primum esse non potest. 2. Nec verum, jure illa omnia fieri, neque contra rectam rationem, quæ aliter velle facere non possumus. *An mutare potest Æthiops cutem suam; qui Paradus liventes maculas suas; etiam nos poterimus benefacere, edoceri male facere.* Jer. 13. 23. An ideo quæ facimus mala omnia, illa jure & justè facimus, non contra rectam rationem: quia natura aliter velle facere non possumus? 3. Neque sequitur, si jure & justè unusquisque vitam & membra sua titeatur, illud ideo esse juris naturalis fundamentum primum. 4. Falsum quoque, maximum malorum esse mortem; nam. 1. Mors malum triste est, sed malum turpe omni malo tristi deterius est. Hinc illud Job: 26. 21. *Ne respicias ad iniquitatem, ut hanc eligas præ afflictione.* Rom. 3. 8. 2. Malum etiam pejus est mala conscientia, quam mors ipsa; *Nulla pœna gravior pœna conscientia.*

----- Prima hæc est ultio, quod se
*Judice nemo nocens absolvitur; improba quamvis
 Gratia fallacis Pratoris vicerit urnam.
 Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
 Quas & Seditius gravis invenit, & Rhodamantius,
 Nocte dieque suo gestare in pectore testem.*

Vir

Vir iniquus (inquit Pytsân. apud Stob.) *plus malipatur affectus conscientia, quam ille, qui corpore castigatur, & flagris ceditur.* Hinc tale argumentum; quod multis rebus post poni debet, illud non est primum fundamentum & mensura juris naturalis, & justè facti; ast conservatio vitæ & membrorum multis rebus post poni debet; ergo &c. *Pejus est, injuriâ afficere, quam affici: quippe quod illud cum vitio fiat, & sit vitu conjungera perabile.* Arist. in Eth. *Detrahere aliquid alicui, & alterius incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ possunt corpori accidere, aut rebus externis.* Cic. in off. denique 5. *Quod ait, ferri unumquemque ad appetitionem ejus, quod sibi bonum est, & ad fugam ejus, quod sibi malum; id est, ad appetitionem vitæ, & fugam mortis necessitate naturæ non minore, quam lapis fertur deorsum; tum contra naturam hominis est, qui agit ex προαυπίσιν; tum experientiam in αὐτοπόνοικ, aliisque qui sæpe ob levem causam vitam suam periclitantur.*

Impiæ hujus Philosophi Assertionis προῶρον ἁδ-δ est; *homines plerisque Deum existere, scire non posse.* Vide Cap. 12. Ass. 1. *Hominem per essentiam non distingui à bratis.* Vide Cap. 16. Ass. 3. *Præter sensum, imaginationem, & imaginationum seriem nullum humano animo inesse motum.* Vide ibid. Ass. 4. *Hominem animâ immortali non esse præditum.* Ibid. Ass. 16. &c. *Morientis hominis nihil restare, præter cadaver.* Ibid. Assert. 17. *Animam hominis nihil significare præter vitam ejus.* Ibid. Ass. 20. Proinde homines per naturam suam non esse capaces status & felicitatis sublimioris, quam bestias.

Ad

Ad Art. 8.

*An jus ad finem det jus ad media
necessaria?*

Affirmat Hobbes; adeoque cum unusque jus habeat se conservandi, etiam unumquemque jus habere utendi omnibus, & agendi omnem actionem, sine quâ conservare se non potest.

Verum quæro; an velit axioma hor; *jus ad finem dat jus ad media necessaria*, verum esse absolute & in thesi; an verò tantum in hypothesis; hoc est, de mediis tantum ad meam conservationem necessariis? Deinde an obtineat in utroque statu, naturali, & civili; an vero naturali tantum? Si absolute & in thesi; cum medium fingi possit ad finem obtinendum necessarium, quod suâ naturâ in honestum est: nam (v. gr.) in tali statu quis fingi potest constitutus, ut aut fame moriendum sit, aut furtum, mendacium, perjurium &c. committendum ut aut moriendum, aut contra conscientiam veritas Evangelica abneganda sit, quæritur, quid tunc faciendum? Si neget tali casu aut furtum, aut mendacium, aut perjurium committendum, aut veritatem Evangelicam abnegandam; sequitur, non absolute verum esse; *jus ad finem dat jus ad media necessaria*. Sin facienda dixerit, effato ejus Pseudo-Philosophico oppono Apostolicum: *Non est faciendum malum, ut eveniat bonum*, Rom. 3. 8. Nam ut intentio bona sit, finem & media oportet adhibere honesta & recta, quædam tamen suâ naturâ ita mala sunt, ut nunquam illis recte possimus uti; ut *furtum, perjurium, adulterium & consimilia*. Quam obrem Apostoli regulam firmam esse

esse oportet, *ut nuuquam mala faciamus, ut bona consequamur.* Rectè quidem censent Philopfi; *finem esse mensuram mediorum*, non tantum ratione *quantitatis*, sed etiam ratione *qualitatis*, sive *bonitatis*; hoc est, media eatenus esse bona, quatenus ad finem consequendum conducunt; verum hoc ita intelligendum est, quod bona sint in genere *boni utilis*: nam si media per se in-honesta sunt, nullius finis gratiâ expetenda sunt: quia quod in-honestum est suâ naturâ, nullius respectu bonum esse potest: nam ut ut actus aliquis moraliter bonus sit, plura requiruntur, quam bonitas finis, juxta illud; *bonum est ex integrâ causa, malum ex quolibet defectu.* Quod si etiam Princeps invaderet vitam hominis alicujus innocentis, procul dubio is, cujus vita innocentis ita invaditur, jus habet ad vitam suam conservandam non tamen sui conservandi causa occidendi Principem suum; quamvis unicum esset medium ad vitam suam tuendam necessarium. I *Sam.* 24. 7. Si vero in hypothese tantum hoc verum esse velit de mediis ad conservationem sui necessariis (uti præ se ferunt illa verba in ipso hoc art.) *Cum unusquisque se conservandi jus habeat, habet etiam jus utendi omnibus mediis &c.* Tum contrâ militant etiam instantiæ, jam allatæ. Et præterea conservatio vitæ & membrorum nunquam esse potest, aut debet, finis ultimus, sed semper est subordinatus, adeoque à fine superiore mensuram habet, consequenter mediâ honesta sunt, quæ moderatæ sui defensionis inserviunt: utique aliquo casu vita pro patriâ, veritate Evangelii exponenda est, post habita vitæ & membrorum suorum conservatione. Unde rectè Arist: *viri prudentis esse docet, bene consulere in iis, quæ sibi bona & utilia sunt; non singulatim quænam v. gr. ad bonam valetudinem,*
aut

aut robur; ἀλλὰ ποῖα πρὸς τὸ εἶναι Ζῆλον ὄλον;
sed universe, quæ ad bonæ beatæque vivendum condu-
cent. lib. 6. Et. c. 5. Rursus si obtinere vult suum
 axioma in quocunque statu, vel civili, vel naturali,
 vim suam quoque habeat adducta jam argumenta.
 Quibus hoc addo; fingamus aliquem in tali statu
 constitutum, ut (quod fieri potest) sese conservare
 non possit, nisi fallat fidem alteri datam; si ergo jus
 ad finem hoc est, ad vitam conservandam, dat uni-
 cuique jus agendi omnem actionem, sine quâ conser-
 vare se non potest; & medium necessarium, hoc ca-
 su fingitur, fidem fallere, aut non servare; sequere-
 tur, aliquo casu aliquem jus habere ad fidem non ser-
 vandam; puta si vita, nisi fides violetur, servari
 non possit; at lex naturalis est; *putis standum esse;*
 a. L. c. 3. Si ergo aliquo casu jus ad vitam tuendam
 dat jus ad fidem fallendam, sequitur aliquo casu aut
 legem naturalem de pacto servando non obligare;
 aut aliquem jus habere ad violandam legem natura-
 lem; et neutrum dici potest: quia *leges naturales*
sunt immutabiles, quod vetant nunquam licitum esse
potest: nunquam enim superbia, pactorum violatio
sive injuria, imhumanitas & licita esse potest. Art. 29.
 c. 3. Quod vero dicit. l. cat. item art. 27. *Leges*
nature ubique & semper obligare in foro interno, non
externo, hoc est, quoad actiones, nisi cum secure pre-
stari possunt, ipsi Ethnici solo conscientie impulsu
dictis, & factis condemnarunt. Quo facit lauda-
tum illud Reguli, qui Carthaginem rediit, cum ne-
que ignorabat, se ad crudelissimum hostem, atque
exquisitissima supplicia proficisci, quod fidem servan-
dam putabat. Cic. 3. off. Finge item aliquem in ex-
 tremo vitæ discrimine constitutum, unde non nisi
 extraordinario & miraculoso Dei auxilio liberari
 possit

possit (hoc enim posse fieri, & fieri non raro, extra dubium est) hic habemus finem, sc: vitæ conservationem; medium unicum & necessarium; sc: miraculum; aut ergo jus ad finem non semper dat jus ad media necessaria; aut Deus negando miraculosum auxilium injuriam ei faceret, illi non suppeditans illud, ad quod jus in tali statu constitutus habere fingitur, quodque à nemine, quàm à Deo impetrare potest; quod falsissimum: quia Deus nemini tenetur, adeoque injuriam facere potest. *Rom. II. 35.* Procul dubio etiam unusquisque jus habet conservandi res suas, etiam minimas, etiam arcendæ alapæ, aut mali similis; si ergo jus ad finem, dat jus ad media necessaria, tum unusquisque vel ob res minimas & alapam &c. jus haberet interficiendi invasorem, si si res suas aliter tueri, non posset, aut alapam evitare. Quod manifestè est contra præceptum *charitatis, æquitatis, humanitatis*, cuius homini debet: *Matt. 5. 39, 40, 41.* Si denique obtinere vult tantum in *stâtu naturali*, nihilominus non est universaliter verum: nam ne dicam jam de tali statu; quod sit purum putum figmentum, sequitur etiam, aut in tali statu nihil esse in se & naturâ suâ in honestum, quod falsum esse, ipse videtur agnoscere, *annot: ad art. 10.* Aut quæ sua natura in honesta & mala sunt, esse faciendâ, unicuique, si ad sui conservationem necessaria esse judicaverit: quod, ut ante dixi, dicto Apostolico repugnat. *Rom. 3. 8.* Quæ regula semper, & ubique obtinet, ut quæ fundamentum habet in rectâ ratione.

Obj. Frustrâ jus ad finem is habet, cui jus ad omnia media necessaria denegatur. Resp. Quamvis ad omnia media necessaria, sive honesta sint, sive in honesta (finis enim bonus media per se mala bona reddere-

reddere nequit) jus non habeat; per se patet, non ideo jus ad finem frustra habere: jus enim ad vitæ suæ conservationem & habet, & retinet ille, qui v. gr. vitam pro Christo, pro patria exponit, licet jus non habeat ad Christum abnegandum, patriam suam prodendam, ut vitæ suæ consulat.

Ad Artic. 9.

*An unusquisque jure naturali iudex sit
mediorum ad sui conservationem.*

Cum Art. præced. dixisset; *Jus ad finem conferre jus ad media necessaria*; jam hoc Art. contendit, *Vnumquemque jure naturali iudicem esse mediorum ad sui conservationem.*

Hinc liquet; quæ per *media necessaria* intelligat, ad quæ jus habere docet unumquemque, qui jus habet ad finem; nempe non tantum, quæ revera talia sunt; sed quæ unusquisque talia esse judicaverit, adeoque nihil referre, an revera in se necessaria sint, nec ne; sed *talia habenda esse, quæ singuli ut talia judicaverint*; ut disertè docet *Art. seq.*

Hoc autem iudicium contendit singulis competere in *statu naturæ* tantum, non *Civitatis*: in hoc enim statu omne iudicium in temporalibus & spiritualibus translatum esse à singulis in Imperantes, ita quidem ut omni iudicio singuli in iis, quæ spectant non tantum imperium & obedientiam civilem, verum etiam Religionem penitus destituti, in omnibus simplici & cæcâ obedientiâ obedire teneantur iis, qui in Civitate summum obtinent imperium, exceptis pauculis; v. gr. *in Regno Dei naturali, si directè impere- tur, Deum contumeliâ afficere, vel prohibeatur colere.*

Q

Cap.

Cap. 15. c. 18. In Regno Dei per pactum novum, negare providentiam Divinam, & idololatria, sive Deos alienos colere. In ceteris, inquit, rebus omnibus obediendum erat. Et siquidem Rex, vel Sacerdos habens summum imperium jussisset aliquid aliud contra legem, peccatum erat illud ejus; qui summum habebat imperium, non subditi. Cap. 16. a. 18. In Regno autem Dei per pactum novum, unicum esse articulum, ad salutem necessarium; nempe, Jesum esse Christum. Cap. 18. a. 6. Ideoque quoad hunc art. solum, judicium suum retinere subditos; in reliquis absolute obediendum esse: quippe quod doctrinae reliquae, quae hodie controvertuntur, vel ad jus regnandi spectent, vel de quaestu sint, vel Philosophicae; quales esse censet quaestiones de libero arbitrio, de justificatione, de modo recipiendi Christum in Sacramentis. De quibus vide supra Cap. 8. & 10.

Quantum ad praesentem quaestionem, 1. Quaero, quid hic intelligat illa phrasi (*jure naturali*) cum dicit, *jure naturali* unumquemque in statu naturae judicem esse eorum, quae ad sui conservationem faciunt? An quod tantum *jure naturali* permixtum est, & liberum? sed tum manifeste legem cum *jure* confundit contra a. 3. c. 14. Nam quod hic diceret *jure naturae* permixtum esse, illud a. 1. c. 2. expresse docet, imperatum esse per legem naturalem. An vero *jus naturale* hic illi est, quod *jure naturali* praecipitur? Sed. (a. 7. hujus cap. & art. 1. c. 14.) *Ius & Legem differre*, docet, ut contraria, ita quidem ut *Lex vinculum*, *Ius Libertas* sit. 2. Nego; unumquemque judicem esse mediorum ad sui conservationem in statu naturae, exclusivè ad statum civilem: in omni statu homini frui licet iudicio suo (ne exuere cogatur naturam suam humanam, & rationalem) etiam in statu Civitatis, praesertim in iis quae
hujus

hujus vitæ conservationem, & imprimis animæ suæ salutem æternam concernunt: est enim *conservatio sui* (ipso docente) *juris naturalis fundamentum primum*. Art. 7. Hujus cap. Et alibi ipse scribit; *Sensibus, experientie, & rectæ rationi homini Christiano renuntiandum non esse*. Lex. c. 32. p. 173. *Judicium* quidem absolute *supremum αὐτοκρατορικὸν* in omni statu solius Dei est, ad nos loquentis vel intus per dictamen conscientiæ, & rectæ rationis. Rom. 2. 14, 15. vel foris in S. Script. & per S. Script. intus in animis nostris per Spiritum suum Sanctum. Et *publicum imperatorium* in statu civili, sed supremo illi subordinatum, quoad res civiles summorum in unaquaque Civitate Imperantium. *Publicum* vero *antecefforium* quoad res spirituales, sed *ministeriale* sub Christo immediatè, publicorum Ecclesiæ Ministrorum. Interim *privatum, subsequens, discretio-* nis *judicium* etiam in statu civili singulis nentiquam denegandum est, imprimis in iis, quæ conscientiam tangunt. De quo vide supra latius cap. 6. per totum. Discrimen illud *judicii privati & publici* in statu naturæ, seu Anarchiâ locum non habet; quia omne *judicium* ibi *privatum* est, nullum *publicum*. 3. Si unusquisque *jure nature* *judex eorum* est, quæ ad sui conservationem pertinent, sanè pacto aut lege civili omne illud *judicium* privativè a singulis in Imperantes transferri non potest: nam (ut docent Jcti) *Jus nature* non potest tolli à *jure civili*: *civilia enim non possunt tollere naturalia; quamvis juris naturalis effectus & officia impedire possint*. Vide Mynsing. ad Inst. l. 1. de legit. agnat. tut. Tit. 16. Et magis, quod ipse statuat, *unumquemque in statu anarchiæ jure seipsum contra vim defendendi retinere*. a. 7. c. 5. Et 4. cum statuat, illa media necessaria esse, quæ unusquisque talia esse *judicaverit*, sive revera talia sint, sive non; quæ

(cum dicat, *jus ad finem conferre jus ad media necessaria*) si quis vanâ gloriâ, aut falsâ virium æstimatione, aut alio aliquo pravo affectu impulsus, errans in judicando circa media ad sui conservationem, in damnum alterius innocentis adhibeat medium, quod ad sui conservationem necessarium judicat, & tamen revera non est; v. gr. Si quis superiorem se aliis existimans, omnia sibi licere soli putat, & vult, & præcæteris honorem sibi arrogat, an non sit peccaturus saltem in Deum, & leges naturales violaturus? procul dubio: nam 1. lex naturæ est, *ut quisque se præstet commodum*, per art. 8. c. 3. Et 2. *in ratiocinatione falsa omnis consistit legum naturalium violatio*, per art. 1. c. 2. annot. Verùm hinc sequitur; quempiam aliquo casu jus habere ad aliquid, quo fruens peccaret contra legem naturalem, hoc est cum jus nihil aliud sit, quam libertas. (per a. 7. hujus cap.) habere libertatem peccandi. 5. Denique ipse docet; leges naturales præcipere, *ut nemo judex sit in propria causa; sed Arbitrum aut Judicem esse eligendum, ad dirimendam controversiam; si qua oriatur inter homines*; cap. 3. a. 21. Quare aut non semper, & absolutè unusquisque est judex mediorum ad sui conservationem; aut datur jus aliquod naturale contra rectam rationem, seu leges naturales; quod falsum & absurdum est.

Ad Art. 10.

*An jure naturali omnia sint omnium; &
an mensuræ juris sit utilitas?*

Quantum ad primum; *natura*, inquit, *dedit unicuique jus ad omnia, hoc est, in statu merè naturali,*

rurali, sive antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quaecunque & in quoscunque libebat, & possidere, uti, frui omnibus, quæ volebat & poterat.

Statuit ergo, in statu suo naturali homicidia quævis, & quosvis concubitus, rapinas, mendacia, perjurya, fraudes, & similia abominanda esse licita, & (quod magis est) omnia illa in isto hominum statu justè fieri, & jure naturæ; & per consequens rectæ rationi consentaneè, aut saltem non contrariè: quod enim contra rectam rationem non est, id jure & justè factum esse, nec aliud juris nomine significari. Att. 7. hujus cap. Nec mirum, cum præcepta decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, falso testimonio illi sint leges civiles tantum, nec aliter leges naturales, quàm implicitè, hoc est, quatenus legis naturalis est, pactis standum esse. Cap. 6. a. 16. & c. 14. a. 9.

Ejusmodi igitur hic status naturæ fingitur; in quo non tantum rapinæ, cædes, perjurya quævis, sed & vagi & incestuosi concubitus quilibet liberi sunt unicuique & liciti, & quidem jure naturæ; atque in quo (quod revera monstruosum est, naturæ & pietati inimicum) idem respectu ejusdem fiat & pater & filius, mater & uxor, quodque de Junone Virgil. Jovis & soror & conjux. Quæ ne fierent, incestuosi concubitus (Levit. 18.) à Deo tam severè fuerunt prohibiti. Talis ergo hic status naturæ fingitur, in quo homines ipsis brutis deteriores sunt, ut quæ solo naturæ instinctu memoratos coitus avehantur, teste Avicennâ l. 9. de Hist. animal. c. 47. Unde meritò Halicarn. homines incestuosos brutis deteriores vocat.

Et hæc quorsum tendant, ut intelligatur, notanda sunt illa illius verba; in statu naturali, hoc est, ante pacta unicuique licebat facere quaecunque, &c. Unde

cum Principem nemini ullo pacto obstrictum esse velit (neque enim tenetur is, cui summum imperium est, legibus civilibus, neque cuiquam civium. sc. 5. a. 7. & c. 6. a. 14.) sed subditos tantum sibi in modum, de non resistendo voluntati summi Imperantis; *jure naturali* soli Principi jus erit in omnia in statu societatis civilis, hoc est, cum ille solus manere intelligatur in statu nature naturali, hoc est, nemini ullis pactis sit obstrictus, licebit illi soli facere illa omnia in statu Civitatis, quæ singulis licere contendit in statu nature, quæque statim enumeravimus, idque *jure & jure*, sc. si liber licet; prout olim Cambysi regi roganti, num liceret sibi jure sororem suam in matrimonio habere, responderunt Consilarii sui; nullam se legem, quæ id licet, invenire potuisse; sed aliam invenisse; jus esse Regi, quicquid placuerit. Idem dixisse, feruat, Juliam Augustam, cum Caracallam privignum suum ad stuprum invitaret; licet, inquit, si libet; an nescis, te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Ex cum mensura juris illi in statu suo naturali statuatur utilitas propria (in calce hujus art.) licebit Principi (quod & docet impurus Machiavellus) utilitatis propriæ causâ promissa, & fidem datam fallere & revocare. Quæ tantum abest, ut dissimulet Noster, ut disertè doceat. Cap. 5. a. 8. c. 6. a. 13-20. & alibi variis locis.

Fatemur quidem, sano sensu dici posse; *jure naturali omnia esse omnium*; seu naturam omnia omnibus dedisse; hoc si intelligatur partim negative: quia natura divisionem rerum non fecit, partim positive: quia natura omnibus potestatem fecit utendi quævis re, ad vitam necessariam, ejusque dominium capiendi, priusquam ab alio est occupata. Verum *jus tale omnium in omnia* (ac ille fingit in statu hominum naturali) ut nempe unicuique liceat quælibet facere in quem-

quemlibet, possidere, uti, frui, quæ vult & potest, tanquam in summo gradu injurium & impium abominamur, & absolute rejicimus.

Nam 1. aut jus illud in omnia singulis competit in illo statu in foro externo, seu soli, hoc est in foro civili; aut in foro interno, seu poli; hoc est in foro Divino, sive conscientie. Prius dici non potest; quia est contra hypothesein: loquimur enim de statu naturæ ante Societatem civilem, in quo statu forum civile esse, repugnat. Nec posterius dici potest: quia dominium illud in omnia, quod Deus homini largitus erat in statu primævo ante lapsum (Gen. 1. 28. *Implete terram, eamque subjicite vobis: & dominamini in pisces maris, &c.*) in Adamo amissimus, recuperantque in Christo soli fideles. I Cor. 3. 21, 22. *Et mundus, & præsentia, & futura, omnia (in Christo) vestra sunt.* Quamvis ex concessione & indulgentia Divinâ infideles rebus quibusdam, ad hanc vitam necessariis, uti possint. 2. Omnium Theologorum, Ictorum, & Philosophorum calculo juris naturalis præcepta sunt; *Honestè vivere; neminem ledere; suum unicuique jus tribuere*; de quibus graviter Cicero; *illud, inquit, natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus; neque hoc solum naturâ, sed & legibus populorum constitutum est, ut non liceret sui commodi causa nocere alteri.* Atque hoc exigat ipsa nature ratio, quæ est lex Divina & humana, cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volunt vivere) nunquam committet, ut alienum appetat, & id quod alteri detraxerit, sibi assumat. Etenim multo magis est secundum naturam celsitas animi & magnitudo; item comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ. Et incestuosi coitus (de quibus Levit. 18.) adeo pugnant cum naturali honestate, ut

de Chananæis , illos frequentantibus , dicat Deus , terram , quam inhabitabant , ita pollutam esse , ut occulto quodam fastidio & nausæa eos non amplius ferret. Et homicidium , quo alius læditur in vitâ suâ , omnium consensu ut justum sit 1. fieri debet auctoritate publicâ , qualis nulla est in statu naturali : *omnes enim homines naturâ æquales esse , statuit ; omnem inæqualitatem , quæ nunc est , à lege civili introductam esse.* a. 3. c. 1. Et 2. causa debet esse gravis ac justa ; at quis dicat , talem ei esse , *cui voluntas lædendi est ab inani gloriâ , & falsâ virium æstimatione.* C. 1. a. 4. Ergo omnia illa , quæ Hobbes in statu naturæ unicuique in unumquemque licita esse statuit , his juris naturalis præceptis aperte contraria sunt. An licitum esse unicuique dici potest *jure naturali* , quod tam apertè *juris naturalis præceptis* contrarium est ? 3. Porro si in statu naturæ omnia ita sunt omnium , ut liceat unicuique jure naturali facere quæcunque & in quoscunque libet , sequitur etiam in statu belli (siquidem illa in statu naturæ jure fieri dicuntur : quia status ille est status belli uniuscujusque contra unumquemque) omnia illa in hostes licita esse , & jure fieri , quæ ille in statu naturæ contendit licita esse unicuique in unumquemque , sc. *innocentes occidere , spoliare , fallere , pejerare , scortari &c.* Ast hæc in bello illicita esse , docet Baptista milites illum interrogantes , *quid faciemus ? Neminem , inquit , concutite , neque dolo opprimite ; & contenti estote stipendiis vestris.* Luc. 3. 14. Quare ipse fatetur , *in bello quidem nationis contra nationem modum quendam custodiri solere ; sed negat , locum hoc habere in bello omnium adversus omnes , qualis est status naturæ meræ.* Cap. 5. a. 2. Sed non quæritur , quid fieri soleat , sed debeat. Et cum ita se habeat natio ad nationem , ut unusquisque se habet ad unumquemque in statu na-

tutæ

turæ (utrique enim ut tales considerati sunt extra statum Societatis civilis) intelligi nequit, licita esse & *jure facta* omnia illa, quæ supra enumeravimus, in bello uniuscujusque cum unoquoque in statu naturali, quæ in bello nationis contra nationem illicita esse, & injuriâ fieri, & S. Script. testatur, omnium gentium consensus docet, atque ipse quodammodo fateri videtur. 4. Denique ipse statuit, leges naturales præcipere *gratitudinem, humanitatem, misericordiam, æquitatem, modestiam, quæ neque dividi, neque communiter haberi possunt, sorte dividenda esse.* Ex *jure naturali*, antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent, *etiam jus acquiri primâ occupatione*, Cap. 3. de C. Quæ aut falsa sunt, aut fatendum, non ita omnia esse omnium in statu merè naturali, ut unicuique liceat facere quæcunque & in quoscunque libet, & possidere, uti, frui omnibus, quæ vult & potest; aut in statu naturæ illa esse licita, quæ ipse contra nominatas leges naturales esse fatetur; quod contradictorium est.

Sequitur alterum, quod ad calcem hujus art. ex præcedente concludit; *An in statu naturæ mensura juris sit utilitas?*

Sic statuit Novitius noster Philosophus; adeoque *in statu naturali jus omne utilitate propria metiendum esse.*

An ergo in illo hominum statu nulla honestatis, æquitatis, charitatis habenda est ratio? atque id tantum prosequendum est mihi, non quod honestum, æquum, decorum; sed quod mihi utile esse & commodum judicavero? Itane ergo omnis honestas, charitas, humanitas exuenda aliquando, ut pecorum ritu utilitatis propriæ causâ unus alium devoremus vivum? Vel saltem talis fingenda hypotheſis, ut

nempe inde evincas postea; jure omnia illa posse in subditos suos Imperantes, quæ hic singulos in se invicem posse in statu naturæ comminisceris, modo utilitatis propriæ causâ faciunt, quicquid faciunt?

Fatemur quidem, non contra rationem facere, qui in actionibus suis etiam propriæ utilitatis rationem habet, nihilque agit, nisi quod sibi expedire intelligit, (nam etiam omne honestum facienti quodammodo utile) juxta illud Pythagoræorum; *Ea facias, quæ tibi non noceant. Illa perficias, quæ tibi postea molestias non excitent.* Et juxta Arist. *Ipsi nobismet maximè volumus bona, etiam ut simus, & ut bene simus.* 2. Magn. Moral. c. II.

Verum utilitatem propriam mensuram statuere omnis juris naturalis, quasi nihil esset honestum, nisi quatenus utile nobis; & nihil utile, nisi in ordine ad vitam & membra corporis, à Religione Christianâ, naturâ hominum rationali, & omni sanâ Philosophiâ quàm maximè alienum est. Nam ut optimè Lactant. lib. 5. *In omnibus videmus animalibus, quæ sapientia carent, conciliatricem sui esse naturam: nesciunt enim, quia malum est nocere; homo vero, quia scientiam boni & mali habet, abstinet se à nocendo etiam cum incommodo suo.* Et de Socrate Cicero; *illum solitum diras imprecari caputibus eorum, qui commodi ab honesto studebant facere divortium.* Et multis probat; nihil esse utile, quod idem non honestum; nec quia utile honestum; sed quia honestum utile 3. off. Et Lib. I. de Legib. quasi rectâ in hanc Hobbesii temerariam opinionem invehèretur; *Si, inquit, utilitate omnia metienda sunt, negliget leges, easque perumpet, si poterit is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore.* Et postea; *ubi beneficus, si nemo alterius causa benignè facit? ubi gratus, si non ipsum, cui referunt gratiam, ipsi cernunt grati? ubi sancta amicitia, si non*

non ipse amicus per se amatur toto pectore? qui etiam deserendus, & abjiciendus est desperatis emolumentis & fructibus. Ex Arist. Vir bonus, inquit, omnia propter honestum facit, & amici causa suum commodum negligit. Et hominem improbum esse, ait, qui omnia sui ipsius causa agit. Neque permittit S. Script. utilitatis propriae causâ ab honesto recedere. Pl. 15. 4. Et si juravit in damnum suum, tamen non mutat. Omnia utilitatis propriae causâ agere, est execranda illa *philantia*, omnium scelerum fons & origo, non tantum in Sacris (2 Tim. 3. 2.) verum etiam inter gentiles sanioribus Philosophis damnata, ut liquet ex cit. unde multis locis S. Script. ab illâ revocatur. 1 Cor. 10. 24. Nemo, quod suum est, quaerit, sed quisque quod alterius est. 1 Cor. 13. 5. Caritas non quaerit, quae sua sunt. Phil. 2. 4. Ne sua quisque spectare, sed unusquisque etiam quae aliorum sunt. Huic philantiae qui non renuntiat, verè Christianus nec esse, nec haberi potest. Siquis, inquit Dominus, vult pone me venire, abdicet semet ipsum. Si dicas; honestatis quidem rationem habendam esse, sed non nisi ab utilitate frudeatur; hoc est, conducatur ad conservationem vitae & membrorum; tum respondeo, rationem virtutis & honesti nequaquam ab utilitate pendere: virtus enim (ut rectè Cicero Tusc. q. 1. 4.) est affectio animi, separata etiam utilitate laudabilis.

Obj. Quoniam, inquit, quaecunque quis voluerit, ideo bona sibi videntur, quia ea vult, possuntque vel conducere ad sui conservationem, vel saltem conducere videri (judicem autem an vere conducant, nec ne preced. art. ipsum constitimus; ita ut habenda sint pro necessariis, quae ipse talia judicat) & per art. 7. jure naturae fiunt, quae necessario conducant ad tuitionem propriam vitae & membrorum, sequitur, omnia habere,
& fa-

Et facere in statu naturæ omnibus licere.

Resp. Hæc argumentatio nititur hypothesibus supra refutatæ; *sui conservationem esse fundamentum omnis juris & justæ facti. Jus ad finem dare jus ad quævis media necessaria. Media necessaria esse, quæ quisquetalia esse judicaverit.* Et præposterum est, quod ait; *quæcunque quis voluerit, ideo bona sibi videntur: quia illa vult.* Nam non ideo, quæcunque quis voluerit, ea bona sibi videntur, quia illa vult; sed vult illa, quia bona sibi videntur: nam voluntas non fertur in bonum, nisi ut tale ab intellectu apprehensum, & præmonstratum.

Annotat ad verba (*in statu naturæ meræ*) hoc, inquit, *ita intelligendum est, quod quis fecerit in statu merè naturali, id injurium quidem homini nemini esse: non quod in tali statu peccare in Deum, aut leges naturales violare impossibile sit: nam, inquit, injustitia erga homines supponit leges humanas, quales in statu naturali nullæ sunt.*

Resp. 1. Injurium homini est, quicquid in damnum illius fit contra leges; atque leges naturales obtinere in statu naturæ, atque contra illas damnum homini inferri posse, ipse non negat; ergo aliquid, quod quis fecerit in statu mere naturali, injurium homini esse potest: nam *injuriam* (quod hic supponit) *in pacti violatione adæquatè consistere;* atque *injustitiam omnem supponere leges humanas,* postea refutamus. 2. Quod dicit; *in statu naturæ peccare in Deum, & leges naturales violare, non esse impossibile;* verissimum est, sed hisce illius hypothesibus repugnans. 1. *In illo statu omnia licere facere & habere.* An peccare dici potest, qui facit, quod licitum est jure naturæ? 2. *Leges naturales non esse leges propriè et accuratè loquendo.* Cap. 3. a. 33. Nam ubi non est lex, ibi non est peccatum; ergo ubi non est lex propriè dicta, ibi nec peccatum propriè dictum esse potest.

Quæsti

Quæst. *An non sequatur ex Hobbessii Hypothesibus, in statu naturali jure filium occidere patrem suum?*
Affirm.

Nam si extra civitatem quilibet à quolibet jure spoliari & occidi potest. Ut docet hic, & c. 8. a. 10. & c. 17. a. 10. Ergo etiam Pater à Filio.

Hunc ictum ut declinet respondet hic in annot. *Filium in statu naturali intelligi non posse. Quare? quia, inquit, simulac natus est, in potestate est, & sub imperio patris, vel matris, vel ejus, qui præbet ipsi alimenta; ut cap. 9. demonstratum est.*

Ast ibi docet (a. 1.) cum imperium supremum indivisibile sit, & ad generationem concurrant mas & foemina, impossibile esse, id solâ generatione acquiri; adeoque dominium in infantes originaliter matris esse, non patris, nisi pacto aut lege civili aliter statuatur. *Ib. a. 2. 3. 6.* Unde sequitur, si non matris, saltem patris respectu, filium intelligi posse in statu naturali. Proinde si extra Civitatem quilibet à quolibet jure spoliari & occidi potest (quod docet loc. citt.) etiam jure naturali filium posse occidere patrem suum. Quid immanius?

Ad Art. 11.

Jus omnium ad omnia inutile esse.

Cum hætenus Adversarius, præmissis hypothesibus quibusdam, partim ambiguis, partim falsis & absurdis, *statum suum naturalem* (in quo *jus est omnium in omnia*, id est, in quo *jure naturali omnia* absolutè sunt libera & licita) adstruere conatus fuerit; jam hoc Art. docet; *jus tale omnium ad omnia minimè utile hominibus fuisse: effectum enim*

enim ejus juris eundem pene esse, ac si nullum omnino jus existeret. Quamquam enim quis de re omni poterat dicere, hoc meum est; frui tamen eâ non potuisse propter vicinum, qui equali jure & equali vi prætendebat idem esse suum. Sc.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Sed esto, vel inde probò, statum illum hominum naturalem, atque jus illud omnium in omnia (quale Hobbes statuit) esse monstruosum, & planè Chimæricum, & implicare contradictionem. Nam 1. si inutile est jus illud nature, tum non pene tantum, sed planè nullum est; nisi Deum, dicas, per naturam homini jus aliquod largitum esse, quod usu omni & utilitate caret; quod cum sapientissimo Dei consilio, qui nihil facit frustra, consistere nequaquam potest. 2. Ulterius, cum in statu natura mensuram juris esse statuit utilitatem. Art. præc. Quis non videt, jus illud omnium in omnia in statu naturali nihil esse, ut cuius (ipso fatente) nullus est usus? 3. Accedit, cum juris naturalis fundamentum primum sit, ut quisque vitam & membra, quantum potest, tueatur. Art. 7. id juris naturalis esse dici nequit, quod juri isti fundamentali è diametro adversatur, cujusmodi est, quod ad conservationem vitæ & membrorum est inutile non tantum, sed in summo gradu perniciosum & noxium: nam status ille nature status belli est, & quidem uniuscujusque in unumquemque. Art. 12. Et bellum conservationi hominum adversum est. Art. 19. Et falsum est, quod dicit; vicinum equali jure, & equali vi prætendere idem suum esse, quod aliqui prius occupavit: nam (omnium calculo) jure naturali semper melior est conditio possidentis.

Ergo multo rectius instituunt, qui divisionem bonorum inter homines juris naturalis esse docant: quia
recte

recte rationi consentanea est; quodque dicitur, *jura naturali omnia esse communia*, partim negative intelligendum esse: quia natura illam rerum divisionem non fecit, quæ jam inter homines obrinet; partim positive, hoc sensu: quatenus natura omnibus potestatem fecit utendi quavis re ad vitam necessariam, priusquam ab alio fuit occupata. Vide Becan. *Tract. de jure & justitia. cap. 5.* Et Andr. Rivet. in 8. *præc. Desol.*

Ad Art. 12.

An status hominum extra Civitatem bellum sit omnium adversus omnes, atque tale, in quo alter jure invadit, alter jure resistit? Item belli & pacis definitio.

Statum hominum extra Societatem civilem, seu Anarchiam, bellum fore, & statum humano generi pernitiosum, quavis tyrannide deterior, extra controversiam est. Jud. 17. 6. *Temporibus illis non erat Rex in Israele, quisque quod bonum erat in oculis suis faciebat.*

Sed quod hic docet: in illo hominum statu bellum esse omnium adversus omnes, atque ejusmodi, in quo jure omnium in omnia alter jure invadit, alter jure resistit, nullo modo admittendum censemus.

Nam 1. injuriosus est, qui invadit rem aliquam ab alio prius occupatam: quæ enim nullius sunt, qualia sunt, quæ omnibus communia sunt (effectus enim juris omnium in omnia idem pene est, ac si nullum omnium jus existeret: ut ipse ait art. præ.) sunt primo occu-

occupantis; & semper melior est conditio possidentis. Vide Grot. de I. b. l. 2. c. 2. n. 8. & l. 1. c. 2. n. 1. sub finem. 2. Si alter jure invaderet, & alter jure resisteret, tum bellum unquam ab utrâque parte justum esse posset; quod falsum: nullum enim bellum inter homines ex vitio non nascitur; aliud ex voluptatum cupiditate; aliud ex avaritia; aliud ex honorum, aut imperii nimio studio; uti recte Plutarch. in Stoic. contradiſt. Hinc S. Jacob. ait; unde bella & pugnae inter vos? nonne ex voluptatibus vestris, quæ militant in membris vestris? Cap. 4. v. 2. Et quis dicat, non minus in statu naturæ jure invadere. cui voluntas lædendi est ab inani gloria, & falsâ virium suarum æstimatione; quam jure resistit, cui res suas, et libertatem contra hunc invasorem defendendi incumbit necessitas? art. 4. 3. Omne bellum justum est vel defensivum, vel recuperativum, vel offensivum, de quâ distinct. vide Besold. Synops. Pol. l. 2. c. 12. §. 17. Sed ob defensionem bellum susceptum dici nequit ab eo, qui rem ab altero jure possessam invadit; nec etiam recuperativum, nisi antea res illa ab invasore fuerit possessa, eique injuste adempra; nec etiam dici potest justæ offensionis, ut quod injuriam gravem nobis nostrisque illatam præsupponit; ast ille nullam injuriam cuiquam fieri posse contendit in statu suo naturali, Art. 10. hujus cap. in annot. 4. Denique si in bello omnium adversus omnes alter jure invadit, & alter jure resistit, tum in bello tali omnes sunt innocentes: nam innocentes sunt, qui, quod faciunt, jure faciunt; & cum in tali bello necesse sit homines occidi, tum qui in illo bello occiduntur omnes innocentes sunt. Proinde aut falsum est, in statu hominum naturali alterum jure invadere; & alterum jure resistere; aut in tali statu jure licet homines quosvis innocentes occidere. Et cum statuat, id jure posse

Prin-

Principes in statu regiminis in subditos suos, quod hic ait singulos jure posse in singulos in statu naturæ sequeretur, Imperantes jure subditos quosvis innocentes occidere posse; quod certè omni æquitati, humanitati, mansuetudini, quæ homines decent, & verbo Dei quam maxime contrarium est: nam *Magistratus non sunt terrori bonis*. Rom. 13. 3. Imo quod ipse Deus non vult, nec potest ob suam justitiam & bonitatem, id multò minus jure possunt homines (nam procul dubio non minus creationis & conservationis nostræ Auctori in nos licet, quam homini cuiquam in alium hominem) sed Deus homines absolutè innocentes occidere nec vult, nec potest salvâ suâ justitiâ & bonitate: nam mors per se est malum quid; Deus autem, qui solus bonus est *Matt. 19. 17.* auctor mali esse non potest, non tristis etiam, nisi quatenus poenæ rationem habet, & ob peccatum immittitur. Quo argumento Orthodoxi adversus Socinianos rectè concludunt; Deum hominem non condidisse mortalem. *Maccov. 1. comm. c. 45.* Quin ipse Hobbes Deum negat *gloriam quærere in morte peccatoris. c. 4. a. 9.* ergo, inquam, multò minus in morte innocentis. Unde colligimus, nulli hominum licitum esse hominem alium innocentem occidere; quod tamen sequeretur, si in bello, quod fingit omnium adversus omnes in statu naturæ, alter jure invaderet, alter jure resisteret.

Sequitur expendenda belli ac pacis definitio Hobbesiana; Bellum, inquit, quid est, præter tempus illud, in quo voluntas certandi per vim verbis factisve satis declaratur? Tempus reliquum pax vocatur.

Ast hæc non tam belli, quam Latrocinii definitio est: plura enim ad bellum requiruntur; ut. 1. *Justa auctoritas.* 2. *Sufficiens causa & gravis.* 3. *Justus finis.* Illa est auctoritas publica, quæ nulla est extra

R

soci-

societatem civilem : nam omnis auctoritas ibi privata est, per art. 3. & 9. Ista injuria gravis aut propulsanda, aut vindicanda; aut quicquid fit in hoc statu naturæ injurium homini nemini est, per art. 10. Hic pax retinenda vel consequenda : suscipienda enim bella sunt, ut in pace sine injuria vivamus. Cic. I. offic. aut qui paci operam dare dici potest ille, cui voluntas lædendi est ab inani gloria, & falsâ virium suarum æstimatione? five (ut hic loquitur) cui proclivitas ad laceffendum inest ab inani sui æstimatione? Non ignoro, etiam à Cicerone bellum dici certamen per vim, verum nomenclaturâ belli latius sumptâ, ut quodvis bellum etiam injustum comprehendat; sed hoc loco bellum ab Adversario non indifferenter, sed ut justum spectatur: contendit enim, in bello hoc omnium adversus omnes alterum jure invadere, alterum jure resistere. Bellum ergo definiendum est, quod sit actio hostilis ad injuriam gravem aut propulsandam, aut vindicandam à Magistratu vi armisque contra hostes, pacis retinendæ aut consequendæ causâ legitime suscepta, & administrata. Alth. pol. c. 35. n. 1. Liebenth. Coll. pol. Exerc. 14. th. 2.

Neque accuratè satis tempus reliquum Pax esse dicitur: nam Pax (siquidem à pactione seu paciscendo derivatur) etiam pactum seu foedus includit. Hinc de Bocho Salust. Nobis neque bello neque pace cognitus. Et Cic. de Senect. Cum Senatus sententia inclinaret ad pacem & foedus faciendum cum Pyrrho. Non negamus tamen, sæpe nomen Pacis latius sumi; quo sensu idem Cicero inquit; Pax est tranquilla libertas. Verum hic consideratur, prout bello opponitur, eaque bellum finitur. Uti quidam bellum dictum volunt, quod bellum, hoc est bonum sit; nimirum quia ad pacem habendam comparatum est.

Ad

Ad Art. 13.

Bellum conservationi hominum adversum esse.

Bellum quam parum idonea res sit ad conservationem vel generis humani, vel uniuscujusque hominis, omnium consensu experientia multis exemplis tum antiquis, tum recentioribus luculenter demonstrat; *nulla salus bello.* Quo argumento olim Cræsus à Cyro captus pacem bello prætulit; *quod pacis tempore filii sepelirent patres, in bello contra patres sepelirent filios.*

Quod si ita est, ergo *status* ille hominum (quem Hobbes fingit) *naturalis*, cum in eo vigeat bellum omnium adversus omnes, talis est status, qui hominum conservationi quam maxime adversus est, ut in quo homines sese conservare minimè possunt. Verum hoc figmentum illud de *statu hominum naturali* penitus evertit.

Nam quæro, utrum homo eâ conditione sit creatus ac natus, ut in tali statu constituatur? Si sic; tum Deus per hominis creationem auctor foret talis hominum status, in quo sese conservare non possunt, sed tanquam truces belluæ sese mutuo devorarent; quod quam maximè à Dei sapientiâ & bonitate, atque ipsâ etiam naturâ hominum rationali alienum est: nam *candida pax homines, trux decet iræ feras.* Si esse dicas ab innatâ homini malitiâ, ortâ ex lapsu primi parentis; tum 1. ejus rei alicubi mentio erat faciendâ. 2. & quod statui hominum extra societatem civilem necessario adhæreat bellum omnium adversus omnes, non statui illi per se, sed potius innatæ hominum pravitati tribuendum erat. 3. nec quæ nativæ illi in nobis pravitati ita necessario adhæ-

rent; qualia sunt; *quosvis innocentes occidere*; *spoliare*; item *fallere*, *pejorare*, & similia, non dicenda erant *jure & justefacta*: quia aliter fieri non possunt.

Addit porro, bellum in statu naturæ conservationi hominum adversum esse: quia *bellum illud sua naturâ est sempiternum*. Sed (ni fallor) hæc manifestè implicat contradictionem: nam quî suâ naturâ sempiternum esse potest bellum illud, quod adeo adversum est conservationi generis humani, ut (quod hic ipse dicit) *pro miraculo haberi debeat; si quis, quamvis fortissimus, annis & senectute conficiendus sit* sive quoposito genus humanum necessario brevi tempore penitus interire debeat; nisi dicas, etiam genere humano sublato, bellum tamen hominum contra se mutuo suâ naturâ manere sempiternum. Sed dicit, *bellum illud sua natura esse sempiternum: quia præcertantium equalitate victoria nulla potest finiri*. Resp. Quamvis nulla victoria bellum illud unquam finiri posset; tamen hominum omnium morte tandem brevi necessario finiri deberet. Quare multò rectius dixisset, tale bellum sua natura non esse sempiternum, ut quod necessario, hominibus ferro & gladio in se mutuo sævientibus, seseque mutuo trucidantibus, debet finiri aliquando.

Concludit tandem; *quicumque igitur manendum in eo statu censuerit, in quo omnia liceant omnibus, contradicit sibi metipso*. Nam unusquisque naturali necessitate bonum sibi appetit, neque est quisquam qui bellum istud omnium contra omnes, quod tali statui naturaliter adhæret, sibi existimat esse bonum. Atque ita evenit, ut mutuo metu, è tali statu exeundum & querendos socios putemus; ut si bellum habendum sit, non sit tamen contra omnes, nec sine auxiliis. Resp. I. Status hominum, in quo omnia licent, purum putum figmentum est, in præcedd. fatis superque refutatum.

tatum. 2. Nec capio, quí ille hominum status naturalis dici queat, qui ita naturæ humanæ contrarius est, ut homines naturali necessitate inde sibi exeundum putent. 3. Et si naturali necessitate homines societatem civilem tanquam sibi bonum appetunt; quí supra docuit, ex accidente esse, quod homines societate gaudeant, *Art. 2.* Non enim ex accidente esse dici potest, quod homines naturali necessitate tanquam bonum sibi appetunt. Quod híc de *mutuo hominum metu* iterum inculcat, de eo vide ad *Art. 2.*

Ad Artic. 14.

An jure natura liceat cuique alium in potestate suâ existentem cogere ad cautionem præstandam futura obedientia?

Hoc affirmat absolutè; atque inde concludit, *in statu hominum naturali potentiam certam & irresistibilem conferre jus regnandi, imperandique in eos, qui resistere non possunt.*

Art. 1. Talis potentia excessus evertit figmentum illius status: æqualitas enim omnium hominum fingitur illi *statui* essentialis; & inæqualitas omnis, quæ nunc est, à lege civili introducta esse. Absurdè ergo jus regnandi in ejusmodi *statu* dicitur conferri eo, quo posito *status naturæ* non est. 2. Si irresistibilis potentia confert jus regnandi, ergo ubi talis potentia excessus non obtinet, neque ibi obtinet jus regnandi. Cum igitur natura omnes homines sint inter se æquales, per *Art. 3.* ergo *non fuit unicuique jus regnandi in omnes ipsi naturæ cœvum*, contra quod scribit, *Cap. 15. 4. 7.* 3. Jus regnandi in bruta convenit homini

mini naturâ. *Gen.* I. 26, 28. & 9. 2. *Pf.* 8. 718, 9. *Jac.* 3. 7. non tamen propter excessum virium: multæ enim bestix sunt viribus homine superiores; sed (uti loquitur August.) *propter potentiam rationis, & liberæ voluntatis, non corporis*; uti colligitur etiam *Gen.* I. *cit.* 4. Item Angeli omnibus hominibus potentiâ superiores existunt; nec tamen propter istum potentiæ excessum jus regnandi obtinent in omnes homines: ergo à jure regnandi potentia irresistibilis sepeari potest, argumento, non à potentiâ solâ, sed aliunde jus regnandi derivari. 5. Sane *robore solo primas tenere*, sive (ut loquitur Arist.) *πρωταγωνισεῖν ἡριώδες ἐστὶ*, *ferinum est*. Et certe indignum est, id conferre jus regnandi hominibus in alios homines, quod feris belluis magis, quam hominibus convenit.

Sed quo argumento probat, in statu naturali potentiam irresistibilem conferre jus regnandi in eos, qui resistere non possunt? *Quia*, inquit, *jure naturali licet unicuique alium in sua potestate existentem, (hoc est qui resistere non potest) cogere ad cautionem præstandam futuræ obedientiæ, ni velit potius mori.* Quod hoc pacto colligit; *quærentur*, inquit, *socii vel vi vel consensu; vi, quando pugna victor victum sibi servire cogit metu mortis, vel vinculis inditis; consensu, quando societas initur mutæ opis causa, consentiente utraque parte sine vi. Potest autem victor victum, vel fortior debiliorem ad præstandam cautionem futuræ obedientiæ, ni velit potius mori, cogere.* Argumentum videtur hujusmodi; quo quis alium jure cogit ad præstandam cautionem futuræ obedientiæ, illud ipsum illi confert jus regnandi; sed illud est potentia certa & irresistibilis, quâ victor victum in potestate suâ habet. Probat: quia medium est, quod ipse mi-

hi ju-

hi judico necessarium esse ad mei conservationem; & jus ad finem dat jus ad media necessaria, per art. 8. Cum enim, inquit, jus protegendî nosmetipsos à periculo nostro, atque periculum ab æqualitate profectum sit, magis rationi consentaneum est, certiusque ad conservationem nostram, utendo præsentî commodo comparare nobis ipsis securitatem quaesitam, accepta cautione, quam cum adoleverint (infantes) convaluerint (infirmi) & è nostra potestate se receperint, eandem dubio certamine postea repetere conari.

Resp. 1. Non semper jure victor victum cogit ad præstandam cautionem futuræ obedientiæ, nisi justam habuerit bellandi causam. Neque simpliciter & in omnibus absolute: id enim esset contra juris naturalis fundamentum primum, quod ille statuit conservationem uniuscujusque suam: nam quo jure quis à me exigit, quod præstans peccarem contra juris naturalis fundamentum primum? etenim quid conservationi meæ, imprimis æternæ saluti; aut (si mavis) animi mei tranquillitati, ac voluptati, quæ est ex conscientia benefactorum, magis adversatur, quam simplex illa, & in omnibus absoluta & cæca obedientia; nec illa necessaria est ad securitatem victoris; unde injuriosus foret victor, qui sua securitate non contentus à victo extorqueret cautionem tam absolute in omnibus obedientiæ. Unde rectè olim Isocrates ad Philippum; *Barbari hætenus edomandi sunt, quantum satis erit, ut tuam regionem in tuto colles.* Et Salust. de Romanis veteribus; *Majores, inquit, religiosissimi mortales nihil victis eripiebant præter injuriæ licentiam.* 2. Præsupponit etiam, suspicionem damni ab alio imminentis alios lædendi jus dare. De quo vide *Sharrock in Hypoth. Eth. p. 95. &c.* 3. Nec illa membra immediatè opposita sunt; *socios queri vel vi, vel consensu*: nam societas paterna *consensu*

sensu aut pacto non contrahitur : nam *omnes homines cum sint nati infantes ad societatem , pacto ineundam , inidonei sunt.* c. 1. a. 2. in annot. neque etiam *vi* : non enim hic pugna intercedit , qua parens victor victum à se infantem servire sibi cogit. Neque parens dici potest , jure filium , ni velit potius mori , cogere posse ad præstandam cautionem futuræ obedientiæ , nisi absolutè jus vitæ necisque parentibus in filios tribuendum censeas ; quod non permittit *5097*.

4. Nego etiam , illud jus regnandi conferre , quo quis alium jure cogit ad obedientiam : legibus enim , minis , poenis Principes subitos suos cogunt ad obedientiam ; non tamen leges , minæ , poenæ jus regnandi conferunt , sed præsupponunt. Aliud est *jus imperii* , aliud ejusdem *usus & exercitium* ; quamvis ergo potentæ excessus necessarius sit Imperanti ad imperii sui usum & exercitium ; illum tamen potentæ excessum illi jus regnandi conferre , negamus.

Ad Art. 15.

Naturam dictare querendam esse pacem.

Querendam esse pacem , inquit , quatenus habendæ ejus spes aliqua affulserit ; ubi haberi ea non potest , querenda esse belli auxilia , rectæ rationis dictamen est , hoc est *lex naturæ*. Et (c. 2. a. 2.) hanc esse docet *primam & fundamentalem legem naturæ*. Quod expendemus inferius *ad loc. cit.*

L O C U S X.

De Providentiâ, & Regno Dei.

C A P. XVIII.

*De Providentiâ Dei circa actiones
humanas.*

Universi mundi *creationem* excipit *Providentia Dei*, quâ mundum universum potentissimè & sapientissimè gubernat; non tantum in S. Scriptura, verum etiam ipsa natura adeo palpabilis & manifesta, ut qui illam diffiteatur aut neget, & conscientix suæ, & ipsi sensui repugnare videatur. *Fata regunt orbem, certa stant omnia lege*: nam si Deus est, mundus regitur Providentia; & *indigne de Deo sentire*, hîc ipse fatetur Adversarius, qui otium ipsi attribuentes, mundi generisque humani regimen eidem auferunt (quæ olim Epicuri fuit, & Luciani execranda opinio.) Nam ut omnipotentem esse fateantur, si tamen inferiora hæc non curet, locum habet apud illos tritum illud: quod supra nos, nihil ad nos. Cumque nihil sit, propter quodcum ament, aut timeant, illis certè est, tanquam non existeret. De C. c. 15. a. 14. Quocirca nulla in hoc nobis est cum illo controversia; verum de *Providentia Dei speciali circa actiones humanas*; quæ cum vel *realis* sit, omnium creaturarum communis; vel *moralis*; qua homines regit convenienter eorum naturæ rationali præceptis & minis; hoc cap. quid doceat de *Providentia Dei reali circa actiones humanas*, producimus; quid de *moralis* in seqq. Hic autem?

I. *Bonas cogitationes negat in hominem à Deo inspirari*

spirari vel infundi, malas à Diabolo, cum Pelagianis.
 Lev. c. 2. p. 8.

Resp. Ea est necessario omnium hominum à Deo, tanquam causâ primâ, dependentia, ut quàmvis integri essent omnes, nullâque peccati originalis labe infecti, nullæ tamen in homine & ab homine cogitationes bonæ esse possent, nisi dependenter à Deo, qui tanquam causa prima omnia & in omnibus operatur. Prov. 21. 1. *Cor Regis in manu Jehovæ, ut rivi aquarum, quocunque vult inclinat illud.* Act. 17. 28. *In Deo vivimus, movemur, & sumus.* Phil. 2. 13. *Operatur in nobis & ipsum velle, & ipsum agere.* Nunc autem cum tanta post lapsum sit hominis corruptio, ut omne figmentum cogitationum cordis ipsius tantummodo malum sit omni tempore, Gen. 6. 5. *Et ex ejus corde egrediantur cogitationes improbæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, maledicta.* Matt. 15. 19. & tamen nonnunquam bonæ cogitationes in hominum animis exoriantur, illæ proculdubio à Deo, ejusque Sp. S. in iis producuntur: *Non enim nos idonei sumus ex nobis ipsis ad (NB.) cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis; sed quod idonei sumus, id ex Deo est.* 2 Cor. 3. 5. Et de Labano dicitur, *quod veniens Deus ad illum in somnio nocturno dixerit ei: Cave tibi, ne loquaris cum Jacobo, sive bonum, sive malum.* Gen. 31. 24. Ecce bona illa cogitatio Labani, de non lædendo Jacobo, dicitur ibi à Deo illi immissa fuisse. Hinc illa Davidis precatio: *O Jehova Deus Abrahami, custodi hoc in seculum, figmentum cogitationum cordis populi tui, & dirige cor eorum ad te.* Salomoni quoque filio meo *da cor perfectum ad observandum præcepta tua.* 1 Chron. 29. 18, 19. Vide etiam Matt. 10. 19, 20. 2 Petr. 1. 21. Si desideras in hâc materia vocabulum *infundi*; ecce illud, Joël. 2. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem*

omnem carnem. & Tit. 3. 6. *Ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis, & renovationem Sp. S. quem (NB.) effudit super nos copiose per J. Christum.* Vide etiam Ps. 45. 3. *Si vocabulum inspirari; ecce & illud, 2 Tim. 3. 16. Omnis Scriptura divinitus est inspirata.* Et mirum, hic illum negare a bonas cogitationes a Deo in hominem inspirari, vel infundi, qui alibi scribit; *Gratias & virtutes a Sp. S. hominibus impertiri.* L. c. 45. p. 307. *Crede animi actum esse, non a Deo jussum, sed factum.* Ib. c. 26. p. 136. *Et Deum etiam voluntatem suam revelasse hominibus per (NB.) inspirationem, seu afflatum divinum.* C. c. 15. a. 3. *An Deus hominibus inspirans suam voluntatem, iis bonas cogitationes non inspirat, vel infundit?*

Malas autem hominum cogitationes illis a Diabolo inspirari, docet exemplum Judæ proditoris, in cujus cor Diabolus immisisse dicitur, ut proderet Jesum. Joh. 13. 2. atque Ananiæ, *cujus cor Satanus implevisse dicitur; ut mentiretur in Sp. S. Act. 5. 3.*

II. *Male distingui contendit, inter actionem ipsam, ejusque anoniã, sive incongruitatem cum lege; Deumque non rectè causam actionis dici, non anoniã.*

Deum malarum actionum humanarum causam esse dicendam; homines autem, qui fieri jubent, illarum auctores.

Facti auctorem esse, qui fieri jubet; causam autem, per cujus vires factum est. Lev. c. 46. p. 322.

Unde concludit, *Deum quidem non esse auctorem peccatorum hominum, eorum tamen quã talium causam esse: nam quæ facimus, inquit, ea viribus a Deo datis omnia facimus.*

Resp. 1. *Cum Deus sit omnium causa absolute prima, procul omni dubio etiam ab illo sunt omnes omnium hominum actiones quã tales, sive bonæ sive*

sive malæ : nam *in illo vivimus, movemur, & sumus.* Act. 17. 18. Actionum tamen hominum malarum quæ talium nec auctor nec actor aut causa esse potest : quippe quas execratur, odit, & punit. Ps. 5. 6. verum causa earum qua talium sunt solus Diabolus & homines : nam *Deus tentari malis non potest, nec ququam tentat ; sed unusquisque tentatur, dum à propriâ concupiscentia abstrahitur, & inescatur.* Jac. 1. 13, 14. 2. Nullæ actiones hominum malæ & peccaminosæ tales sunt intrinsecè in se & suâ naturâ ; verum illarum omnium malitia moralis extrinsecè in illas derivatur ab imperio & voluntate legislatoris, ut earum vitiositas in incongruitate cum lege formaliter consistat. 1 *Job.* 3. 4. quod negare non potest, qui ipse, *Omnem actionem natura sua adiaphoram esse,* scribit ; quodque *actio aliqua justa vel injusta sit, à jure imperantis provenire. Ante imperia justum & injustum non extitisse ; Reges legitimos, quæ imperant, justa facere imperando ; quæ vetant, vetando injusta.* C. c. 12. a. 1. Quidni ergo inter actionem ipsam, ejusque anomiam distinguere liceat ; ut Deum omnium actionum humanarum causam esse doceamus, non earum anomix ; quod pluribus demonstratum videas à Twisso *in Vind. contra Armin. lib. 1. part. 2. Sect. 15. p. m. 519. &c.* 3. Si facti auctor est, qui fieri jubet ; causa autem per cujus vires factum est ; tum auctor peccati primi non fuisset homo, sed solus Diabolus, cujus jussu & suasu ille peccatum illud perpetravit. Neque Hobbes, qui causa est operum suorum Philosophicorum, auctor eorum nominandus esset, quod tamen fit in inscriptione Tract. de Cive ; sed ille (quisquis fuerit, ater an albus) cujus suasu & impulsu scripsit. *Author* dicitur, qui est *αὐτογράφος*, operis ipsius factor ; unde Poëtæ, alii- que operum conditores, eorum *authores* esse dicuntur.

Cur: *Valla l. 4. c. 32.* Unde Deus, si causa esset hominum peccatorum qua talium, quod hic ille publice scribere non erubescit, etiam author illorum dicendus esset; hominesque peccare *fatis authoribus.* Quod absit.

Obj. *Dicere facti omnis, & legis causam esse Deum, & incongruitatis causam esse negare, est quasi quis, cum duas lineas duxisset, rectam & curvam, ambas se fecisse diceret; sed ab alio factam esse earum incongruitatem.*

Resp. Simile illud plane dissimile est: nam ducens duas illas lineas, causa per se est non minus lineæ curvæ qua talis, quam rectæ; proinde etiam incongruitatis utriusque; sed Deus, quamvis etiam ab eo sit hominis actio mala, quatenus est motus illius naturalis, tanquam à causa primâ, non minus quam lex, non tamen illius actionis anomix causa dici debet: quia illius actionis malæ qua talis non est causa per se, sed per accidens; uti impellens equum claudicantem, claudicationis equi non est causa per se, sed solus equus claudicans.

C A P. XIX.

De Regno & Fœdere Dei.

Providentia Dei realis, qua omnes creaturas potenter gubernat & moderatur, est *Regnum Dei*, quod *universale*, & *potentiæ* dicitur; cui subiectæ sunt omnes creaturæ, animatæ & inanimatæ, rationales & irracionales; Ps. 103. 19. *Jehova in calis stabilivit solium suum, & Regnum ipsius in omnia dominatur.* *Moralis* autem *Providentia* Dei, quâ *moralis modo* (præceptis & minis) gubernat creaturas ratio-

rationales, est *regnum Dei speciale*, sive *per pactum*: nam quamvis Deus absque pacto intercedente Regnum hoc suum in creaturas racionales exercere potuisset; non tamen absque pacto intercedente exercere voluit, ut constat ex revelatione; & quamvis non exerceat nisi intercedente pacto; neque exercere posset, nisi omnipotens esset, jus tamen regnandi in creaturas suas Deo non est aut à pacto isto, aut à solâ suâ potentia irresistibili; verum à solâ sua *ἐξουσία* atque *ὐπεροχῆ*, quæ non est sola Dei omnipotentia, aut unum aliquod attributum essentiz divinæ; sed perfectio summa, ex omnibus Dei attributis resultans, eaque omnia simul complectens; quod infra demonstramus. *Pactum* seu *foedus* Dei cum hominibus vel *legale* est, sive *operum*, cujusmodi est, quod primum Deus iniit cum primo homine, atque in illo cum toto genere humano, ut illius principio & capite, cujus summa est: *Fac hoc & vives, nisi feceris mortem morieris*. Vi cuius pacti omnes adhuc homines naturaliter obligati sunt ad obedientiam Deo Creatori suo præstandam juxta opus legis inscriptum cordibus omnium. *Rom. 2. 15.* Atque hoc idem est, quod in Horeb Deus Israelitis in memoriam revocavit, *Exod. 19. & 20.* non ut eo justitiam obtinerent; sed (ut loquar cum August. de Sp, & Lit. c. 9.) *infirmi- tatem suam* intelligentes, *ad Dei misericordiam per fidem* in promissum Sponsorem *confugientes sanarentur*, vel *foedus* Dei cum hominibus est *Euangelicum* seu *gratis* in Christo Mediatore. *Providentiæ Dei moralis*, in *Regno Dei per pactum legale*, subsunt etiam omnes, si qui sunt (velint nolint) Athei, uti statim demonstramus *ad Assert. 2.* *Pactum*, seu *foedus Euangelicum* statim post lapsum initium sumpsit à prima illa promissione *Euangelicâ* de femine *Mulieris caput Serpentis contrituro*, *Gen. 3. 15.* Hinc ab illo

tem-

tempore Regnum gratiae, quod est Ecclesia D. N. J. Christi, qui solus est, semperque fuit Rex & caput Ecclesiae suae, Ps. 2. 6. & 45. & 72. & 110. Col. 1. 18. Hebr. 13. 18. Quod Regnum Christi pro diversa ejus œconomia vel veteris est, vel novi Testamenti. Sed præter Regnum Dei universale, & speciale per pactum legale, & Euangelicum hac in terra, est etiam Regnum gloriae in cœlis, modo ibi inchoatum, sed consummandum novissimo die. Quid ille?

1. Negat, propriè loquendo Regno Dei subjici corpora inanimata, & irrationalia. De Cive c. 15. a. 2. Lev. c. 31. p. 167.

Verum etiam corpora inanimata, & irrationalia omnia, & quicquid est in rerum natura, subjici Regno Dei, clamat ubique S. Script. etiam locis ab ipso citatis; Ps. 97. 1. *Jehova regnat, exultat terra.* Et Ps. 99. 1. *Dominus regnavit, expavescunt populi: is qui sedet inter Cherubim, moveatur terra.* Item 1 Chron. 29. 11, 12. *Tua est, o Jehova, majestas, & potentia, & decor, & aternitas, ac gloria, imo omnia in caelo & terra: tuum est, Jehova, regnum, & tu es is, qui se extollit supra omnia in caput. Nam divitiae & gloria coram te sunt, & tu dominaris in omnia, & in manu tua sunt vires & potentia: in manu tua, inquam, est magnificare & confirmare rem quamlibet.* Adde Ps. 103. 19. & 24. 1. & 93. 1. Sed fatetur, Deum homines universos ita per potentiam regere, ut nemo possit quicquam facere, quod ille factum nolit, resque omnes creatas subjici potentiae Divinae; verum negat, hoc esse propriè & accuratè loquendo regnare. Ac si non propriè & accuratè loqueretur, Spiritus S., cum Deum in omnia regnare testatur loc. cit. Sed, inquit; regnare non dicitur, qui agendo, sed qui loquendo, præceptis & minis regit; quod falsissimum esse, tum locis citatis liquet, quibus Deus per po-
ten-

rentiam, agendo regnare dicitur, tum quod nauclerus navem, auriga currum propriè & accurate loquendo regere dicuntur, qui tamen non loquendo, præceptis & minis, sed agendo regunt. *Arte citæ, veloque rates, remoque reguntur; Arte leves currus.* Fatemur quidem, aliud esse Regnum Dei, quo per *potentiam agendo*, & aliud quo *loquendo*, præceptis & minus regit; quorum hoc *providentia Dei moralis* appellatur Theologis, uti illud *realis*; negamus tamen, *regnum Dei universale*, seu *potentiæ* non esse propriè & accurate loquendo *regnum*. Unde intelligitur, frivolum esse Adversarii argumentum, quo probare conatur, *corpora inanimata, & irrationalia* non esse habenda pro subditis in Regno Dei; *quia licet potentiæ divinæ subjiciantur, præcepta & minas non intelligunt*: hinc enim sequitur quidem, non subjici illa *providentiæ Dei morali*, qua morali modo, præceptis & minis, regit creaturas rationales; non autem non subjici illa propriè *providentiæ Dei reali*, seu *regno Dei universali*; quocirca illi adhuc probandum restat, *providentiam Dei realem* non esse propriè & accurate loquendo *regnum Dei*: nam & nec infantes, nec mente capti, præcepta & minas Dei intelligunt, quos nemo dicit, ideo non esse in regno Dei propriè & accurate loquendo. Vide Gen. 17. 7, 12. Matth. 19. 14. 1 Cor. 7. 14.

II. *Etiam subditos in regno Dei*, negat, esse *Atheos*, qui Deum esse non credunt, tum qui Deum esse credentes, tamen hac inferiora regere non credunt.

Soli igitur, inquit, in regno Dei censendi sunt, qui ipsum & Rectorem omnium rerum esse, & præcepta hominibus dedisse, & pœnas in transgressores statuisse agnoscunt; cæteros non subditos, sed hostes appellare debemus. Locis Assert. præc. citatis.

Et cum statuat (de C. c. 14. a. 17. in annot.) *Homines*

hominibus in voluptatibus, vel divitiis, vel honoribus perquirendis continuo occupatos (cujusmodi certè plerique homines sunt) *item homines, qui rectè ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant; denique insipientes omnes, in quo numero Athei sunt; scire non posse, Deum existere, aut hæc inferiora regere; sequitur, præter corpora omnia inanimata, & irrationalia* (de quibus Assert. præced.) *etiam maximam hominum partem* (secundum Hobbesium) *Regno Dei non subjici. Quo quid Divinâ Maj. ejusque Regno indignius?*

Resp. I. Maximam hominum partem, imo ullos inveniri, negamus, qui *ex animo & corde credunt, Deum non esse, aut non regere hæc inferiora; quamvis non deesse fateamur, qui hoc negant conatu & opere, juxta illud;*

*Insipiens in corde suo, non est Deus, inquit;
Dixit; at hoc nullus credidit insipiens.*

*Insipiens negat esse Deum si nemo; quis ergo
Atheus est? nullum qui cupit esse Deum.*

Plura vide supra cap. 12. 2. Et quamvis talia hominum monstra in rerum natura existerent, negamus tamen, non fore illos, velint nolint, subditos in Regno Dei. Nam 1. omnes creaturæ ratione præditæ à Deo dependent non tantum in genere *entis*, sed etiam in genere *moris*. 2. Si Athei non essent in Regno Dei, quia Deum non esse credunt, præcepta ejus nulla agnoscunt, neque minas metuunt, tum Regnum Dei in homines penderet ab ipsorum hominum voluntate & arbitrio, & *precarium* tantum esset Dei in homines *imperium*, de quo Alexander M. apud Curtium, *mori præstare, ajebat, quam precario Imperatorem esse. Quid ergo indignius de Regno Dei in hominibus*

mines dici potest, quam Dei in homines imperium ab eorum consensu dependere? rectè ipse paulò ante; *velint nolint homines, Deus est Rex universæ terræ; neque si sint, qui existentiam ejus vel providentiam negaverint, ideo solio suo excutitur.* 3. Ipse statuit, jus regnandi in Regno naturali Deo esse à solâ suâ potentiâ irresistibili, & obligationem ad obedientiam procedere ab imbecillitate humanâ, *Art. 5. & 7. Cap. 15.* at hæc locum habent non minus in Atheis, quam aliis. 4. Atheismus est crimen læsæ Maj. divinæ, per *art. 19. ejusdem cap. & a. 18. c. 16.* at crimen læsæ Maj. non committitur, nisi à subditis, per *a. 20. c. 14.* 5. Athei propriè loquendo peccare possunt contra Deum, contra rectam rationem, seu leges naturales, quæ sunt leges Dei Rectoris & Legislatoris supremi; at sic nemo peccare contra Deum potest, qui non est subditus in Regno ejus. 6. Effectus imperii est *obligatio & coactio*; cogi autem Atheos à Deo posse, non negabit, qui illos regi fatetur à potentiâ ejus, *hoc art. Obligari* etiam eos imperio Divino probatur: nam si non obligantur imperio Divino, erit quia illud non agnoscunt; idque vel quia illud agnoscere non possunt; aut quia nolunt; aut quia non curant: non primum, *Rom. I. 19.* non alterum, quia imperium Dei in homines plane absolute est, & independens; non tertium: quia nullo jure negligentia subditorum derogare potest imperio legitimè imperantis. 7. Subditus, omnium Ictorum & Politicorum calculo, ille dicitur vere & propriè, qui in alicujus territorio domicilium suum habet; at terra, in quâ domicilium suum habent Athei, est territorium Dei Regis supremi. *Jehova est terra & quod implet eam, orbis habitabilis & habitantes in eo. Ps. 24, 1.*

Obj. *Non esse Atheos in Regna Dei: quia præcepta*

cepta ejus nulla agnoscunt, neque minas metuunt.
 Resp. 1. Negatur consequentia, ut liquet in infantibus, & mente captis. 2. Et contrarium disertè testatur Apost. de gentibus cunctis, quos Atheos vocat, Eph. 2. 12. *Cum gentes, inquit, quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex: ut qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, una testimonium red-dente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese tuò accusantibus, aut etiam excusantibus.* Rom. 2. 14, 15.

Inst. Sunt hostes, non subditi appellandi. Resp. Non sunt *à subsara*, quenquam simul hostem esse, & *subditum* in Regno alicujus; qui committunt crimen læsæ Maj. sunt simul hostes & subditi; ita omnis peccator est subditus in Regno Dei, & tamen etiam qualis (hoc est, peccator) hostis Dei: *quoniam quod sapit caro inimicitia est adversus Deum.* Rom. 8. 7. Jac. 4. 4. Jud. 5. 31. 2 Sam. 12. 14. Ps. 66. 3. & 83. 3. Rom. 15. 10.

III. *In Regno Dei naturali regnandi, & puniendi eos, qui leges suas violant, jus Deo esse contendit à solâ sua potentia irresistibili.* De civ. c. 15. a. 5.

Regni Divini naturalis jus, quo Deus illos, qui leges naturales violant, affligit, non ab eo derivari, quod eos creaverit, neque à pacto, neque à peccato; sed ab eo, quod potentia Divinæ resistere impossibile est. Lev. c. 31. p. 167.

Cui consentaneum est, quod tradit (art. 14. c. 1.) In statu hominum naturali potentiam certam & irresistibilem jus conferre regnandi imperandique in eos, qui resistere non possunt; adeo ut omnipotentia ab ea causa, omnium rerum agendarum jus essentialiter & impediatè adhareat. De quo vide cap. 17. in exerc. ad illum art.

Non negamus, jus regnandi Deo competens consistere etiam in omnipotentia ejus; sed in eâ solâ consistere. Nam 1. *potentia*, supponit *intellectum* & *voluntatem*; *intellectus* est facultas dirigens, *voluntas* imperans, *potentia* exequens. Deus igitur, ut pote ipsa sapientia, omnisque sapientia, rationis, & æquitatis fons & origo, nihil exequitur per potentiam suam, nisi quod secundum sapientissimum suum consilium sanctè & justè decrevit; non ergo jus regnandi Deo est à solâ suâ potentia irresistibili. 2. Ostendimus ad *art. 14. c. 1. supra cap. 17.* potentiam solam irresistibilem jus regnandi conferre non posse; quod præter dicta ad *illum art.* etiam inde colligitur; quod homo post lapsum peccato suo exciderit jure domini, quod ante lapsum obtinebat in reliqua animalia, non tamen ratione multorum animalium potentia irresistibili. 3. Jus regnandi, (omnium Politicorum judicio) in tribus consistit; in *ordinando*, *judicando*, & *vindicando*; nec dissentit Hobbes (*de Cive c. 6. a. 4. & seqq.*) Ad *primum* pertinet jus leges condendi, easque promissis & minis sancienti; nec sine ratione ad hanc rem sapientiam requirunt Icti; imo quamvis legum ferendarum potestas pertineat ad eum solum, qui summum habet in Civitate imperium, non posse tamen sine consilio sapientum leges dari. *Besold. Syn. pag. 61.* Ad *alterum* de factis subditorum secundum leges judicare, eosque pro re natâ vel absolvere, vel condemnare. Ad *tertium* jus puniendi transgressores. Jus ergo leges ferendi, & secundum leges judicandi Deo potissimum convenit ratione sapientia suæ; sanctio legum quoad promissiones Deo est ab immensâ suâ & liberali benignitate; quoad comminationes à justitiâ; puniatio à justitiâ vindicante, & simul à potentia irresistibili. 4. Jus regnandi Deo est à sua *ὐνιποσχῆ*, ast hæc non est unum ali-

ali-

aliquid attributum Dei, sed perfectio absoluta ex omnibus Dei attributis resultans, eaque omnia simul complectens. *Exod.* 34. 6, 7, 8. *Deut.* 32. 3, 4. *Pf.* 29. 2. & 145. Proinde omnia & singula Dei attributa aliquid conferunt ad obedientiam & religionem erga Deum nobis ingenerandam; Misericordia ejus, *Pf.* 130. 4. benignitas erga nos, *I Cor.* 6. 20. *Rom.* 12. 1. Auctoritas & potestas Dei præcipientis, *Jac.* 4. 12. *Jer.* 18. 6. ejus Sanctitas, *I Petr.* 1. 15. Justitia, *Deut.* 4. 24. *Hebr.* 12. 29. Præter hæc secundariò æquitas & utilitas rerum præceptorum, *Rom.* 2. 15, in quâ elucet Dei sanctitas & bonitas. Quod in illâ obedientiâ consistat nostra perfectio & beatitudo, *Deut.* 32. 47. ipsius Dei perfectionis & beatitudinis argumentum. Præterea merces & promissiones, *2 Cor.* 7. 1. in quibus Dei misericordia & gratia; & miseria, quæ incurritur ab iis, qui Deo in omnibus obedire detrectant, (*Deut.* 28. 16. *Hebr.* 12. 29.) in quo ipsius justitia elucet. 5. Id fundat in Deo jus regnandi, seu ab eo proficiscitur obligatio obedientiæ Deo præstandæ, ratione cujus à nobis Deo debetur laus, honor, & cultus, adeoque à nobis est amandus, timendus, spes omnis & fiducia in ipso solo collocanda est; sed illa à nobis Deo debentur non tantum ratione omnipotentis ejus, sed etiam bonitatis, aliorumque attributorum essentis Divinæ; quod ipse Adversarius, sui (ut videtur) oblitus, paulò post agnoscit, *Att.* 9. quando bonorem Deo debitum consistere docet in opinione Divinæ potentis conjunctæ cum bonitate, quam tres affectus consequi, ait: Amorem, qui ad bonitatem, spem & timorem, qui ad potentiam referuntur. Sic etiam de cultu Dei Philosophatur, ut quem nihil aliud esse docet, quam actum externum, honoris interni signum; & cultum, qui verbis & factis constat (art. 10.) consistere

sistere docet in tribus: quorum primum est *laus*, sive *prædicatio bonitatis*; secundum *μαγάλυσις*, sive *prædicatio potentia*; tertium *μακαρισμός*, *prædicatio felicitatis*. Fluit ergo obedientia Deo præstanda non à solâ omnipotentiâ Dei. 6. Majoris momenti est sapientia in Regno administrando, quam potentia, ut liquet *Eccl. 9. 15, 18.* ergo magis rationi consentaneum est, à sapientiâ, quam à potentia jus regnandi procedere; unde non immeritò Aristoteles: *Quod si quis esset, qui reliquos omnes homines sapientiâ superaret, illum fore dignum, cui omnes mortales imperium deferrent.* 7. Cum quaeritur, unde Deo sit jus regnandi in homines, non quaeritur de *potentiâ physicâ*, qua Deus possit aliquid efficere; sed de *qualitate morali*, unde sit, quod jure possit? at constat, id à sola potentia irresistibili non esse. 8. Omnes creaturæ, ratione præditæ, à Deo dependent non tantum in *esse reali*, verum etiam in *esse morali*; sed illud, ratione cujus creaturæ à Deo dependent, est Dei ipsius *primitas*, & *independentia*; jus ergo regnandi, Deo competens, etiam in illius *primitate*, & *independentia* consistit. 9. Inde Deo est jus regnandi, unde dignus est habere imperium; ast illud non est sola illius potentia; sed *ἐξουσία* ejus, & *ἐπιροχή*, sive eminentia naturæ Divinæ, quam pulchrè tribus complexus est Themistius; nempe *αἰδιότητι βωῆς, περιουσία δυνάμεως, καὶ τῷ μὴ διαλείπειν ὑποκίβν ἀνθρώπων*; *eternitate vitæ, exuperantia potentia, atque eo, quod non desinat hominibus benefacere.* *Orat. 16.* Denique norunt omnes distinguere *jus* ab illius *usu* & *exercitio*; hoc propriè est à Dei omnipotentia, illud ab illius *ἐξουσίᾳ*.

Obj!

Obj. Jus omne in alios vel à natura est, vel à pacto; à natura jus regnandi in alios derivatur eo ipso, quod à natura non sit sublatum; cum enim per naturam jus esset omnibus in omnia, unicuique erat jus in omnes regnandi ipsi naturæ cœvum; causa autem, quare inter homines id abolitum fuerit, alia non erat præter mutuum metum &c. Quod si quis cæteros potentia instantum anteisset, ut resistere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuissent, ratio, quare de jure sibi à natura concessio decederet, nulla fuisset. Mansisset igitur ei jus domini in cæteros omnes propter potentia excessum. Iis igitur, quorum potentia resisti non potest, & per consequens Deo omnipotenti jus dominandi ab ipsa potentia derivatur.

Resp. 1. Non probat hoc argumentum, quod probandum erat; nempe à sola Dei omnipotentia jus, de quo agimus, derivari; nec sequitur, quia hoc jus regnandi in homines Deo non est à pacto, sed à natura; ideo esse à sola illius potentia irresistibili. 2. Et absurdum est, à natura jus regnandi derivari eo ipso, quod à natura non sit sublatum; quasi in Deo jus illud regnandi fuisset, antequam in Deo à natura esset derivatum. 3. Multa etiam absurda & falsa supponit. 1. Per naturam jus esse omnibus in omnia; de quo vide *cap. 17. ad art. 10. c. 1. de Civ.* 2. Et quia per naturam omnibus jus est in omnia; ideo etiam unicuique jus esse in omnes regnandi: jus enim domini in res aliquas non infert jus regnandi in personas, quæ in easdem res idem jus habent; sed potius æquales habendi essent omnes, & sui juris, neque ullus in alios imperium sibi arrogare jure posset. Imo implicat contradictionem, eundem hominem respectu eorundem hominum simul dominum & subditum esse. 3. Causam, quare jus omnium in omnia, seu jus regnandi utriusque in unumquemque, fit

sublatum, aliam non esse præter mutuum metum. De quo vide *cap. 17. ad art. 2. c. 1. de Civ. 4.* Omnes homines natura esse inter se æquales, vide *ibid. ad art. 3.* Et 5. à jure regnandi hominis alicujus in alios homines procedere consequentiam ad jus regnandi Dei in creaturas rationales, atque idem esse utriusque juris fundamentum.

Objicit sibi; *At Deus peccatorem punit, vel etiam interficit, quia peccaverat; videtur ergo jus puniendi Deo esse à peccato hominis.* Difficultati huic sic occurrit; *etsi, inquit, ideo punias, quia peccaverat; non tamen dicendum est, non potuisse Deum eundem justè affligere, vel etiam occidere, etsi non peccasset. Neque sequitur; si voluntas Dei in puniendo peccatum antecedens respicere posset, ideo affligendi vel occidendi jus non à potentia Divina dependere, sed à peccato hominis.*

Resp. Fatemur non sequi *quia Deus peccatorem punit propter peccatum, ideo jus puniendi in Deo esse à peccato hominis.* Qui error est Remonstr. in *scriptis Synod. ad Rom. 9. 21. In Apologia pag. 54. Armin. disp. priv. thes. 27. de dominio Dei.* Et in *examine thesium Franc. Gomari de prædest. ad thes. 27.* Sequi tamen contendimus, saltem peccatum esse conditionem antecedentem, sine qua Deus homines punire nec vult, nec salva sua natura potest. *Non delector morte marientis, dictum domini, Ezech. 18. 32.* Vide etiam *Rom. 1. 32. & 5. 12. & 6. 23.* non enim Deus per potentiam suam irresistibilem affligit, vel interficit homines, nisi convenienter suæ sapientiæ, sanctitati, justitiæ, bonitati &c. *Deut. 32. 4. Exod. 34. 6, 7.* Unde illud apud Mosen Maimonidem; *Et sic dixerunt verè sapientes magistri nostri; non est mors absque peccato, & non sunt castigationes absque delicto.* Neque sequitur; *quia homines affligendi, vel occidendi*

dendi jus Deo non est ab eorum peccato, ideo illud à sola illius potentia derivari.

IV. *Causam, quare bonis mala, & malis bona contingant, unicam esse, docet; quod jus regnandi & puniendi Deo sit à potentia irresistibili.* Ibid. art. 6. Lev. c. 31. p. 168.

Quaestio, inquit, ista disputationibus antiquorum nobilitata (quare bonis mala, & malis bona contingant) eadem est cum hac nostrâ: quo jure Deus bona & mala hominibus dispenset? Et difficultate sua non solum vulgi, sed etiam Philosophorum, &, quod majus est, sanctorum hominum de Divina providentia fidem vacillare fecit, Ps. 73. 1, 2. &c. Et Job quam acriter cum Deo expostulabat, quod justus cum esset, tantis tamen calamitatibus affligeretur? Solvit, inquit, difficultatem hanc in casu Jobi Deus ipse viva voce, & jus suum argumentis non à peccato ejus, sed à potentia propria desumptis confirmavit. Job. 38. 3. &c. cum cap. 42. 7. Addit dictum Servatoris Job. 9. 3.

Fatemur, quaestionem propositam disputationibus Antiquorum esse nobilem; demus etiam, eandem illam esse cum nostrâ: quo jure Deus bona & mala dispenset hominibus? Hanc autem quaestionem difficultate sua non solum vulgi, sed etiam Philosophorum fidem de providentia Dei vacillare fecisse, mirum non est: quoniam luce verbi Dei caruerunt; verum sanctos Dei homines, quibus verbum Dei alluxit, cum difficultate hâc colluctasse, magis admirandum. Veruntamen Philosophi gentiles, si ductum rectæ rationis fuissent sequuti, nec veritatem in injustitiâ detinuis- sent, Rom. 1. 18. quoniam & Deum esse, & providentia ejus omnia gubernari certis rationibus cognoverunt; ut videre est apud Cic. de Natur. Deor. inde ad animarum immortalitatem assurgere potuissent, & ad penas & præmia post hanc vitam, uti & multi fe-

erunt. Vide Plutarchum *Tract. de serâ Numinis vindictâ*. De Socrate dubitare non sinunt egregiæ illæ orationes, quas sub cicutæ ipsius haustum ipsum pronuntiasse legimus apud Platonem & Xenephontem. Sancti autem homines, quam primum ingressi fuerunt Sanctuarium Dei, longè aliter hæc de re senserunt; nimirum *nec bonis malè, nec malis bene esse posse* etiam in hac vitâ; quod nec fugit quosdam inter gentiles Philosophos; præclare hæc de re Seneca *lib. 2. de Divina providentiâ*. Sapientissimi Regis iudicium hac de re legere est *Eccl. 8. 12, 13, 14*. Quantumvis enim non negemus cum Stoicis, injurias & afflictiones, quæ in hac vitâ bonis obtingunt, *ἀπλῶς* esse mala, si in se spectentur; & bona fortunæ, quæ obtingunt malis, in se spectata esse bona; non tamen mala ista bonis, & bona ista malis revera mala sunt & bona. *Rom. 8. 28. Jac. 1. 2, 12. Rom. 5. 3, 4, 15. 1 Petr. 1. 6. Prov. 2. 12. Hebr. 12. per totum. 1 Cor. 11. 32. Ps. 119. 71. cum Ps. 69. 23. & 5. 6. &c. Jer. 12. 3*. Et Regius Vates, cum dñi cum hac difficultate colluctasset, tandem hac ratione sese expedivit, *Ps. 73. 17. ad finem*. Plura vide apud Plessæum *de Verit. Relig. Christ. c. 12. & 13. Maccov. loc. tom. c. 46*.

Jobus, fateor, quandoque infirmitatem suam in gravissimis suis tentationibus verbis tanto Viro indignis prodidit; sed (quod hîc Adversarius ait) *acriter illum cum Deo expostulasse, quod justus cum esset, tantis tamen calamitatibus affligeretur*, non legitur; imo contra peccatorem se esse, non semel confessus est, & veniam peccatorum suorum à Deo precatus; etiam ubi acerrimè de calamitatibus suis conqueritur. *cap. 7. 20. & 9. 2, 3. & 13. 23, 26*. At in disputatione cum amicis suis talem se non esse defendit, qualem ipsum esse, illi ex ipsius calamitatibus colligebant; *justitiam cause suæ, non personæ defendit*.

Quin

Quin revera malis bene, & bonis malè esse non posse, ipse Job disputat *cap. 21.* Ergo quod bonis in hac vitâ mala, & malis bona contingant, non est (ut hac Assert. contendit Adversarius) ex eo, quod jus regnandi & puniendi Deo sit à potentia irresistibili; cum (ut jam demonstravimus) nunquam bonis malè, aut malis benè revera esse possit; & quod ejusmodi castigationes Dei meretur, etiam in bonis reperitur.

Obj. 1. *Solvit difficultatem hanc in casu Jobi ipse Deus viva voce, & jus suum argumentis non a peccato ejus, sed à potentia propria desumptis confirmavit, cap. 38. v. 3. & seqq.* Resp. Deus loco citato Jobo ante oculos ponit Majestatem suam in operibus suis admirandis elucentem, quo Jobum ad humilitatem, & peccatorum suorum agnitionem magis provocaret. Vide c. 39. 35, 36, 37. & a. 42, 6. & simul in illo reprehendit, quod ipsius justitiam & potentiam non pro merito agnovisset; quod fecit Deus, non ut justitiam suam in illo affligendo, argumento à potentia sua irresistibili desumpto assereret, aut jus affligendi innocentes sibi esse à potentia sua irresistibili; sed ut os Jobi comprimeret, ne ob calamitates suas omnipotenti Deo obmurmuraret.

Obj. 2. *Quod Servator noster in casu ejus, qui cæcus natus erat, interrogantibus discipulis, an ipse peccasset, quod nasceretur cæcus, an parentes; respondit; neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestarentur opera Dei in illo. Job. 9. 3.* Resp. Dictum hoc Servatoris ad rem non facit: rectè enim Servator dictum hoc opposuit Discipulis suis, qui malè colligebant, cœcum hunc vel parentes ejus præ cæteris gravioris alicujus criminis reos fuisse, quod homo ille cœcus natus esset. Non dicit ergo Servator, eos ab omni peccato fuisse immunes, Deoque jus esse hunc

hunc miserum hominem ita affligendi sine intuitu peccati à sola sua potentia irresistibili, sed ut opera Dei manifestarentur in illo, quod & factum, ubi Christus ei visum miraculosè concessit.

Objicit sibi Rom. 5. 12. *mortem intrasse in mundum per peccatum.* Respondet: *quanquam hoc dictum sit, non sequitur, quin Deus jure suo potuerit homines & morbis & morti obnoxios fecisse, etiamsi nunquam peccassent: quemadmodum cætera animalia mortalia fecit & morbosa, etiamsi peccare non possint.* Resp. Certè inde sequitur, nec calamitates suas Jobo, nec cæcitatem cæco nato evenisse citra peccatum. Cumque constet ex Sacris, per peccatum mortem in mundum intròisse, & non constet, mortem in mundum introire potuisse, etiamsi homo non peccasset, temerarius est, qui tamen hoc citra Scripturam definire præsumit. Nec sequitur: *cætera animalia Deus mortalia fecit & morbosa, etiamsi peccare non possint; ergo Deus jure suo potuit homines morbis & morti obnoxios fecisse, etiamsi nunquam peccassent.* Nam 1. quod cætera animalia sint morbis & morti obnoxia, est à peccato hominis, Rom. 9. 20. 2. Alia est ratio hominis, alia aliorum animalium: hæc enim ob defectum rationis nec peccati aut virtutis capacia sunt, nec proinde juris aut injuriæ. Nec Dei bonitas, sanctitas, & justitia permittere videtur, ut homines conderet morti & morbis obnoxios: mors & morbi enim sunt malum quid; Deus autem auctor mali non est; alia ratio est, cum ob peccatum immittuntur: quia tum rationem pœnæ habent. Quod adversus Socinianos probatum videas apud Maccov. 1. comm. 6. 45. pag. m. 423.

V. *Obligationem obedientiæ Deo præstandæ in Regno Dei naturali procedere contendit ab imbecillitate humana.* Ibid. art. 7.

Quod

Quod si, inquit, jus regnandi habeat Deus ab omni-
 potentia sua, manifestum est, obligationem ad præ-
 standam ipsi obedientiam incumbere hominibus propter
 imbecillitatem. Institutum suum probat hoc modo:
 Omnis obligatio oritur vel ex pacto, vel à naturâ; a
 obligatio, quæ ex pacto oritur, hic, ubi jus imperandi
 nullo intercedente pacto à naturâ oritur, locum habere
 non potest.

Resp. 1. Notum est ex revelatione, Deum cum
 primum hominem creasset, pactum seu fœdus iniisse
 cum eo, & posteris ejus, quod Theologis fœdus le-
 gale, seu operum appellatur; quo pacto Deus homi-
 ni leges præscripsit, quæ sunt eadem illæ, quas na-
 turæ appellamus; & summatim continentur in De-
 calogo; sanxit eas minis & promissionibus; formula
 hujus fœderis exstat Gen. 2. 17. Lev. 18. 5. *Fac hoc
 & vires; si non feceris morte morieris.* Vi cujus pacti
 omnes adhuc homines naturaliter obligati sunt ad
 obedientiam Deo præstandam, ut liquet Rom. 3. 19.
 falsum ergo, in Regno Dei naturali obligationem,
 quæ est ex pacto, locum habere non posse. Fate-
 mur tamen, homines ad obedientiam Deo præstan-
 dam non minus obligari potuisse, quamvis nullum
 ejusmodi pactum intercessisset; leges etiam naturæ,
 & obligationem ad obedientiam & observationem
 earum sub ratione fœderis naturaliter hominibus non
 innotescere. 2. Neque sequitur, si obligatio præ-
 standæ Deo obedientiæ est à naturâ, ergo à solâ im-
 becillitate humanâ. Vide ad *Affert. præc.*

Obj. Obligatio omnis, quæ à natura oritur, vel
 fit, quando libertas impedimentis corporeis tollitur,
 vel quando tollitur spe & metu; juxta quam infirmior
 potentiori, cui resistere se posse desperat, non potest non
 obedire; à secundo hoc obligationis genere nascitur,
 hoc est, à metu, sive imbecillitatis propriæ conscien-
 tia,

ria, quod in Regno Dei naturali ad obediendum Deo obligamur.

Verum 1. non hic probat, quod erat probandum; sc. solum, aut præcipuè à potentiâ irresistibili, seu imbecillitate humanâ obligationem illam procedere. 2. Hoc argumentum manifestè principium petit: assumit enim sine ulla probatione, quod in questione est; nempe obligationem obedientiæ Deo præstandæ, ut sit naturalis, procedere à spe & metu, hoc est, à sola imbecillitatis propriæ conscientia. 3. Hic nullam libertatem agnoscimus, aut concipere possumus præcedaneam, quæ per obligationem tolleretur, magis quam independentiam quandam creaturæ intelligere possumus præcedaneam, quæ tolleretur per creationem. 2. Siquidem spes & metus sint actus obedientiæ Deo debitæ, quî dicit, obligationem ad obedientiam Deo debitam ab iis proficisci? Quod si dicat, reliquos actus obedientiæ à sola spe & metu proficisci; spem vero & metum à sola imbecillitate humana, aut omnipotentia Dei, tum supponit, quod erat probandum.

Instat annot. ad hunc art. *Si cui, inquit, durum hoc videbitur, illum rogo, ut tacita cogitatione considerare velit, si essent duo omnipotentes, uter utri obedire obligaretur; constitebitur credo, neutrum neutri obligari; ergo homines Deo subiecti sunt, quia omnipotentes non sunt.* Addit dictum Christ. ad Paulum (Act. 9.) *ne contra stimulum calcitraret; quo obedientiam ab illo exegisse videtur, quod ad resistendum satis virium non haberet.*

Resp. 1. Ineptissimum argumentum, ut quod procedit ab hypothesi absurda & impossibili. 2. Et ex qua sequitur, non magis neutrum neutri, quam alterum alteri obligandum esse: quia in utroque fundamentum juris regnandi esset, puta potentia irresistibi-

istibilibis; & simul fundamentum obligationis ad obedientiam, sc. imbecillitas propter utriusque omnipotentiam, seu potentiam irresistibilem. 3. Negatur etiam consequentia: nam simili modo probabo, homines Deo subjectos esse, non tantum propter omnipotentiam ejus, sed ὁ ἀπειροχλίω; nempe, si duo essent infinitæ perfectionis, neuter neutri obligabitur; hoc si verum est, verum etiam est, homines ideo Deo subjectos esse, quod non sint infinita perfectione præditi. Dictum Servatoris ad Paulum ad rem non facit: nam 1. hoc argumento Christus Paulum non tam ad obedientiam adhortatur, quam à persecutione Ecclesiæ dehortatur. 2. Non ibi assignatur fundamentum obedientiæ, sed motivum tantum ad eam, à damno desumptum, quod sibi crearet Paulus, si Christum in Ecclesia sua persequi perseveraret.

VI. *Ab Abráhamo docet demum Regnum Dei per pacta initium sumere.* De Cive c. 16. a. 1. Leviath. c. 40. p. 219.

Superstitione, inquit, cæteras gentes occupante, placuit Divinæ Majestati ex genere humano unum, per quem ad verum sui cultum homines edoceret, evocare Abrahamum: illi se supernaturaliter revelare, & cum illo atque illius semine inire celeberrimum illud pactum, quod appellatur pactum & fœdus & Testamentum antiquum. Is igitur religionis veræ caput est, & ab eo Regnum Dei per pacta initium sumit. l. cit. de Cive.

Faretur tamen, in initio mundi regnasse quidem Deum non solum naturaliter, sed etiam per pactum super Adamum & Evam, ut videatur nullam voluisse obedientiam præstari sibi, præter illam quam dicitur ratio naturalis, nisi per pactum, id est, ex ipsorum hominum consensu. Sed quoniam, inquit, pactum hoc statim irritum factum est, neque unquam post renovatum,

novi

non est inde Regni Dei (de quo hoc loco agimus) deducenda origo. Ibid. a. 2.

Agnoscit ergo, ante Abrahamum pacto Deum regnasse supra Adamum & Evam; attamen pactum Dei cum Abrahamo initum ut omnium primum spectari debere: quia pactum cum Adamo & Eva statim irritum factum est, & postea nunquam renovatum.

Resp. 1. Obedientia quam dicitur ratio naturalis, est ipsa illa, quam Deus, in Regno per pactum super Adamum & Evam, ab ipsis, & omnibus hominibus postulavit; hanc ergo si Deus ante Abrahamum sibi voluit pacto præstari ab Adamo & Eva, atque omnibus hominibus; qui negari potest, Deum ante Abrahamum pacto supra homines regnavisse? nam quamvis illud pactum, ante lapsum cum Adamo initum, & in illo cum toto genere humano, statim per illius inobedientiam irritum factum sit eatenus, quod jam per illud nemo justificari & salvari possit, & ut per illud homines justificarentur, & servarentur nunquam postea renovatum; vi tamen illius omnes adhuc homines naturaliter obligati manent ad obedientiam, quam dicitur ratio naturalis, Deo præstandam. Vide ad *Affert. præc. 2.* Et manifestum est, per *verbum suum Propheticum* regnavisse etiam Deum supra homines primos ante lapsum in statu innocentiae, & post lapsum etiam supra ipsos, eorumque posteros quosdam ante tempora Abrahami: neque enim iis defuerunt revelationes Propheticae, & leges quaedam Divinae positivæ, ut videre est, *Gen. 2. 3. 4. 6. 9. Jud. v. 14, 15.* Quin ipse fatetur (*Lev. c. 35. p. 190.*) *ab ipsa creatione mundi Deum in omnes homines regnavisse non modo naturaliter sive jure omnipotentiae, sed etiam in quosdam homines, quibus voce imperavit.* Sic regnasse super Adamum,
illi

illi imperantem, ne comederet de arbore cognitionis boni & mali, &c. Rursus ita regnavisse Deum etiam in Noachum & familiam ejus; qui quanquam octo tantum essent personæ, fuisse tamen Regnum Dei proprie dictam. Jam quæro, quale tum temporis fuerit Regnum illud Dei, ante tempora Abrahami, supra primos homines, eorumque posteros, in quos ipse facetur, ita Deum regnasse per verbum suum Propheticum? dici non potest, illud Regnum Dei fuisse naturate, cum illud ipse definiat, quod sit, in quo regnat Deus tantum per dictamina rectæ rationis, de Cive s. 15. a. 4. Si Propheticum; tum falsum (quod docet hæc suâ Assert.) Regnum Dei propheticum demum initium coepisse à pacto, quod Deus iniit primum cum Abrahamo. 3. Pactum illud celeberrimum, quod Deus iniisse legitur cum Abrahamo & semine ejus (Gen. 17.) est idem illud, quod Deus longè antea statim post lapsum Adamo revelavit in Paradiso celeberrimâ illa promissione de semine Mulieris (Christo Gal. 4. 4.) caput serpentis (Diaboli) contrituro. Gen. 3. 15. cum Rom. 16. 20. Hebr. 2. 14. 1 Joh. 3. 8. Cujus promissionis respectu statim fides Abelis commendatur, Gen. 4. 4. Hebr. 11. 4. Et temporibus Sethi, cum Enoch nasceretur, ex eadem fide coeptum dicitur invocari nomen Jehovæ, Gen. 4. 26. atque Enoch per eandem fidem, quam demonstravit verâ pietate & cultu juxta verbum Dei revelatum, Deo placuisse legitur, Hebr. 11. cum Gen. 5. 24. Et Noachus ejusdem promissionis intuitu Evangelizasse dicitur eum (Christum) qui judicaturus est vivos, & mortuos: 2 Petr. 2. 5. Nam quod docet Hobbessius, pactum Dei cum Abrahamo in eo solo consistere, quod Abrahamus in hoc pacto promiserit pro se & posteritate sua Deo obedire illi, qui ipsum alloquutus erat & ex alterâ

T

partē

parte Deus pactus fuerit , dare Abrahamo terram Canaan in possessionem æternam , quam falsum sit , ex eo luculenter apparet , quod de Semine Abrahami , ejusque ex illo pacto justificatione per fidem absque operibus differit *Apost. Rom. 4. & Gal. 3.* Quocirca Deus cum Abrahamo & semine ejus pactum illud celeberrimum (quod respectu ejusdem , prout post Christum natum dispensatur sub N. T. , appellatur *pactum & fœdus* , & *Testamentum antiquum*) non primùm inivit ; sed jam pridem in Paradiso Adamo , statim post lapsum , revelatum , & ab eo ejusque posteris , Abele , Setho , Enocho , Noacho &c. fide receptum , cum illo renovavit , omniaque fœderis illius beneficia magis clarè & distinctè exposuit , novoque sigillo circumcisionis ob signavit. 4. Et cum alibi doceat , *Regno Dei naturali* non subjici , seu (quod idem est) ad obedientiam , quam dicitur ratio naturalis , non obligari Atheos : quia præcepta Dei nulla agnoscunt , neque minas metuunt , *de C. c. 15. a. 3.* & neminem summum imperium in nos habere posse , quod non sit ei nostro consensu delatum , ac proinde Atheos propriè loquendo in Deum peccare non posse : quippe qui dicent , se voluntatem suam Dei voluntati nunquam subjecisse , ut quem ne esse quidem opinati fuerint. *C. c. 14. a. 19.* miror , hîc illum scribere ; præter obedientiam , quam dicitur ratio naturalis , Deum nullam velle præstari sibi obedientiam nisi per pactum , hoc est , ex ipsorum hominum consensu ; ut quo aperte significat , Deum obedientiam , quam dicitur ratio naturalis , præstari sibi velle , nullo pacto , aut hominum ipsorum consensu intercedente ; quod manifestè contradictorium est iis , quæ modo *ex c. 14. & 15. de C.* citavimus.

Quod *l. cit. s. 1.* ex Josepho refert de Abrahamo ;
quod

quod post diluuium, unum esse Deum creatorem universi, primus docuerit; de eo vide supra c. 7. Ass. 9.

VII. Pactum, inquit, quod modo supernaturali cum Abrahamo pactus est Deus, pro lege Divinâ habere obligati non fuerunt Israëlitaë, nisi quia in filios & servos suos summam habuit Abrahamus potestatem. Lev. c. 26. p. 136.

Quod eò adducit, ut probet; causam, quare Divina supernaturalia prædicantibus aliquando & alibi obediendum obligemur, unicam esse, si ea, quæ prædicant, pro legibus haberi jusserit Civitas. Ibid. De quo vid. supra cap. 4. de S. Script. Assert. 2. 4. 5. 6. & cap. 6. Exercit. 2.

Resp. 1. Quibus pactum, quod Deus modo supernaturali cum Abrahamo pactus est, à Deo revelatum est, ut non tantum ab Abrahamo, sed etiam ipsis servandum, illi pactum illud pro lege Divinâ habere obligati fuerunt, non ob potestatem aliquam politicam, quam in ipsos habebat Abrahamus, sed quia hoc illis ita à Deo fuit revelatum; sed Israëlitis, posteris Abrahami, illud pactum cum Abrahamo & femine ejus ita à Deo fuit revelatum, ut non minus ab illis, quam ab Abrahamo servandum: dixit enim Abrahamo Deus; *hoc est fœdus meum inter me & te, & sementium post te, quod (NB) servabitis*; Gen. 17. 10. nempe non tu Abraham servabis tantum, & servari à femine tuo post te curabis, pro summa, quam habes in filios & servos tuos, potestate; sed quod ego Deus vester pro illa, quam in vos habeo, potestate à te & posteris tuis servari volo & jubeo.

2. Quomodo nos Verbum Dei, à Prophetis & Apostolis nobis scripto revelatum, fide Divina recipere obligamur; eodem modo olim posteris Abrahami Verbum Dei, à Deo per Abrahamum tanquam Prophetam revelatum; & ad se traditione non scripta delatum,

tum, fide Divina recipere obligati fuerunt: nam quoad fidem eadem ratio olim fuit Verbi Dei non scripti, & solâ traditione quasi per manus ad posteros Abrahami delati, ac nunc est Verbi Dei scripti per Mosen, Prophetas, & Apostolos; sed nos Verbum illud Dei scriptum fide Divinâ recipere obligamur; non quia Moses, aut Prophetæ, aut Apostoli, per quos à Deo verbum illud nobis scripto revelatum est, aut alius homo summam in nos habent potestatem; sed quia certi sumus & persuasi ex eodem Verbo per Sp. S., verbum illud, per Mosen, Prophetas & Apostolos nobis scripto revelatum, esse Verbum, quod ipse Deus loquutus est. Vide supra cap. 4. de S. Script. Auctor. Assert. 1. & 4. Ergo nec posterius Abrahami pactum illud, quod modo supernaturali cum Abrahamo pactus est Deus, pro lege Divinâ habere obligati fuerunt: quia Abrahamus, per quem illud ipsis revelatum fuit, supremam in illos habebat potestatem; sed quia certo scire potuerunt, illud sibi servandum à Deo ipso per Abrahamum tanquam Prophetam revelatum fuisse; non minus quam nos idem scire possumus de scriptis *quatuordecim* Prophetarum & Apostolorum. 3. Et quâ Israëlitæ, posterius Abrahami, potuerunt obligari, pro lege Divinâ recipere illud pactum, summâ illa, quam Abrahamus tantum dum viveret in filios & servos suos habebat, potestate?

Obj. Gen. 18. 18. *benedicende sunt in eo dsc. ad quem locum responsum videas supra cap. 10. pag. 99. & cap. 6. p. 62.*

VIII. In pacti hujus institutione ait, Deum solum alloquutum fuisse Abrahamum: neque omnino quaquam pactum fuisse cum familia ejus, neque ad hunc femine, nisi quatenus voluntates eorum intelliguntur

guntur in voluntate Abrahami comprehensæ esse. Lev. c. 40. p. 219.

Resp. 1. In hujus pacti institutione Deus quidem solum Abrahamum alloquutus fuit *immediatè*; at tamen *mediatè* per Abrahamum, tanquam Prophetam, etiam alloquutus fuit totam ipsius familiam, quæ etiam ideo pactum illud ratum habuit, & tanquam verbum ipsius Dei fide recepit, atque in ejus rei signum sese circumcidi passæ fuit; ut in S. Script. mediatè per Prophetas & Apostolos nos supernaturaliter alloquitur Deus, & nos verbum illud, tanquam à Deo prolatum, fide Divina recipere solemus, atque in ejus rei signum baptizari. 2. Habet homo unusquisque voluntatem suam peculiarem & propriam, quæ intelligi nequit in alterius hominis voluntate contineri, nisi quatenus voluntatem suam voluntati sui Imperantis in omnibus, quæ non sunt contra obedientiam Deo debitam, submittere obligatur; verem voluntates subditorum ita comprehendi in voluntate Imperantis, ut subditi necessariò, absolutè & simpliciter, cæcà obedientiâ velle dicantur, quicquid ille voluerit, & contra S. Script. est, Dan. 3.; & 6. Exod. 1. Att. 5. & contra quod ipse negare non audet; casus sc. dari; quibus subditi tementur non obedire Imperantis voluntati. Vide de Cive cap. 16. a. 7. Et 3. si voluntates totius familiarum Abrahami ita in illius voluntate comprehensæ fuerunt; tum mirum, Saram Abrahami uxorem contra illius voluntatem velle potuisse, Hagarani ancillam suam cum filio Ismaële foras expelli; & Saram in voluntate mariti sui non voluisse illam domi retinere. Gen. 21. 10, 11. Et 4. quæ voluntates posterorum Abrahami, qui tum necdum nati erant, sed demum diu post illius obitum nascituri, in illius voluntate ita comprehendi poterunt? aut cum jam

nati essent, eorum voluntates ita comprehendi in voluntate Abrahami jam dudum mortui?

Urget hinc etiam locum ex Gen. 18. *Affert. preced. cit.* vide ergo loca ibi allegata.

I X. *In illo pacto Deum Abrahami significare contendit, non simpliciter Deum; sed Deum illi apparentem. De Cive c. 16. a. 4.*

Cum Abrahamus, inquit, etiam ante pactum agnovisset Deum mundi creatorem & Regem (neque enim de existentia, neque de providentiâ Dei unquam dubitavit) quomodo superfluum non erat, quod obedientiam sibi naturâ debitam voluerit Deus pretio & per contractum acquirere, promittendo Abrahamo Regnum terræ Chanaan hac lege, ut acciperet eum pro Deo suo, cum jure naturali id jam ante esset? Illis itaque verbis (ut sim Deus tuus & seminis tui post te) non intelligitur satis fieri huic pacto ab Abrahamo, sola agnitione potestatis, & dominii, quod Deus habet in homines naturaliter hoc est, agnoscendo Deum indefinitè, quod rationis naturalis est; sed oportere eum agnoscere definite illum, qui dixerat illi (Gen. 12. 3, 4.) Egrede de terra tua. Et (Gen. 13. 14.) Leva oculos &c. Qui apparuit ei sub specie trium virorum Cœlestium. Gen. 18. 1. Et (Gen. 15. 1.) per visionem: & (v. 3.) per somnium, quod fidei est. Hinc colligit Deum Abrahami significare non simpliciter Deum, sed Deum illi apparentem.

Resp. I. Deum esse mundi creatorem & Regem ante pactum agnovit Abrahamus vel per rationem naturalem, vel per traditionem à Majoribus, vel per revelationem supernaturalem; si per rationem naturalem, aut traditionem, quum tum (ut tradit hinc art. I.) Abrahamus post diluvium primus novit & docuit, unum esse Deum creatorem universi? Nam & ratio naturalis omnibus inest hominibus; & illa traditio à majoribus illos præsupponit prius agnovisse, Deum

Deum esse univ[er]si creatorem & Regem. Si per revelationem supernaturalem; ergo jam tum ante pactum cum Abrahamo, ille Deum agnovit non tantum indefinite, ut mundi creatorem & Regem, verum etiam definite illum, qui ipsi apparuit, modoque supernaturali sese ipsi revelavit; ergo cum Abrahamus vi pacti demum obligatus esset, Deum agnoscere Deum suum, tum Deus Abrahami non significat Deum ipsi apparentem. 2. Quid significet *Deus Abrahami & seminis ejus*, liquet ex similibus phrasibus, passim in Sacris occurrentibus. v. gr. 2 Sam. 7. 24. Jer. 31. 33. Exod. 3. 18. & 5. 3. 2 Sam. 23. 1, 2. Ps. 33. 12. Act. 13. 17. Hof. 8. 2. Zach. 13. 9. 1 Reg. 8. 28. Matt. 27. 46. Ps. 91. 2. Es. 43. 1. Levit. 20. 26. Quibus locis Deus illorum *Deus* esse dicitur, quos singulari favore complectitur, quamvis nunquam modo supernaturali illis apparuerit, uti Abrahamo; Deus ergo *Abrahami, ejusque seminis Deus* appellatur: quia Abrahamum, ejusque semen ex speciali & gratuito favore in populum suum adoptavit, quem in promisso Messia per fidem justificare & servare voluit. Abrahamus ergo Deum agnovit esse *suum Deum*, quando illum, ejusque specialem illum & gratuitum favorem in promisso Messia vera & indubitata fide tanquam suum recepit. Vide Rom. 4. per totum. 3. Nec verum; pactum, quo obedientiam sibi natura debitam, Deus postulavit ab Abrahamo, esse supervacaneum; nisi Deus intelligatur illud cum illo iniisse ea lege solum, ut Deum agnosceret definite illum qui illi apparuit: nam quamvis à natura Abrahamus, omnesque homines satis obligati sint ad obedientiam præstandam Deo univ[er]si Creatori & Regi; voluit tamen Deus hîc pactum illud accedere; non ut eo Abrahamus *passive* magis obligaretur ad obediendum Deo; quasi

ad illud à natura non satis obligatus esset, verum ut agnosceret etiam Deum esse sui Redemptorem, suam justitiam & salutem, obligationem illam suam ad obediendum Deo *active* magis agnosceret, reciperetque, Deique promissis fide receptis ad obedientiam illam, ad quam alioqui a natura satis obligatus erat, alacrius Deo præstandam magis excitaretur, & juxta illius foederis promissiones Spiritu regenerationis donatus etiam ex pacto revera præstaret. 4. Et quis intelligat, indefinitè tantum Deum cognoscere, qui agnoscit illum universi Creatorem & Regem, quasi præter Deum universi Creatorem & Regem, qui Abrahamo apparuit, esset alius verus Deus, etiam universi Creator, & Rex. Deus ille universi Creator & Rex, est definitè ille verus Deus, qui apparuit Abrahamo, *Deut. 6. 4.* Et 5. infideles, quibus aliquando Deus modo supernaturali apparuisse legitur, ut Cainus, Abimelechus, Laban, Bileam, Caphphas, uxor Pilati &c. agnoverunt etiam, Deum fuisse definitè illum, qui sic ipsis apparebat; quod si ergo in eo solo fides Abrahami sita fuisset, quod definitè agnoverit Deum esse illum, qui ipsi apparuit, quid tum in fide Abrahami singulare fuit, quod non etiam fuit in fide quorundam infidelium? Vide *supra cap. 7. Affer. 21.*

Denique præterire non possum. 1. Quod dicat (verbis supra allegatis) Deum (Gen. 18. 1.) *Abrahamo apparuisse sub specie trium virorum celestium*: nam illorum trium unus tantum fuit verus Deus, nempe ille, qui cum Abrahamo sermonem habuit de delendâ Sodoma, & solus ibi Jehova appellatur. *v. 17. 20. 22. 26.* 2. Quod dicat, Deum apparuisse Abrahamo *per visionem & per somnium*, quod fides est; cum aperte doceat (*c. 15. v. 3.*) modum illum, quo Deum audimus per revelationem immediatam, per
visio-

visionem aut per *somnium*, non esse *fidem*, sed *sensum*. Quae manifesta contradictio est.

X. *Leges*, quibus *Abrahamus* tenebatur, negat, alias fuisse, praeter *leges naturales*, *cultum rationalem*, & *circumcisionem*. Ibid. a. 5.

Leges Abrahamae à Deo, vel ab *Abrahamo* familiae suae positae, tunc vel post, *seculares* vel *sacras* (excepto mandato de *circumcisione*, quod in ipsa *pacta* continetur) nullas legi. Ibid.

Resp. 1. *Quintum* (*Art. praec.*) docuit, ea lege à Deo promissam fuisse *Abrahamo* hereditatem terrae *Chanaan*, ut agnosceret Deum pro Deo suo, hoc est, Deum agnosceret non indefinitely tantum, quod rationis naturalis est, sed definite illum, qui ipsi apparuerat? nam lex illa non est aut *circumcisio*, aut *lex* aliqua *naturalis*, aut *cultus rationalis*; sed (ipso fatente) *religionis* & *fidei*. 2. Praeterea agnoscit (*Annot. ad art. 17.*) expresse cavisse Deum per pactum *Abrahami*, ne ipsum colerent per *imagines*, uti *exterae* gentes; sed Deum per *imagines* colere *cultum rationalem* esse docet, ubi Deus regnat tantum per *rationem naturalem*, si jussu *Civitatis* fiat. Ergo (ipso fatente) praeter *leges naturales*, & *cultum rationalem* (qualis secundum illum est; Deum per *imagines* colere, si fiat jussu *Civitatis*) & *circumcisionem* habuit *Abrahamus* expressam legem de non colendo Deo per *imagines*. 3. Innotuit procul dubio *Abrahamo* etiam praecipuum de sanctificando *Sabbatho* de quo *Gen. 2. 3.* *Quintum* (*Art. 10.*) praecipuum illud, ipse docet, obligare ex vi pacti initi cum *Abrahamo*; aut praecipuum illud qui reducatur ad unam earum legum, ad quas solas *Abrahamum* hic obligatum fuisse ait. 4. Neque ignorare potuit *Abrahamus* celeberrimam illam promissionem de *semine Mulieris* caput *Serpentis* contrituro, *Gen. 3. 15.* ut

quod semen fuit veræ fidei & religionis ab initio mundi, quod ipsum futurum erat Semen illud Abrahami, (quod est Christus, Gal. 3.) in quo omnes gentes essent benedicendæ; habuit ergo etiam Abrahamus præceptum de credendo in futurum Messiam; aut hæc nec *lex naturalis* est; nec *cultus rationalis*, aut *circumcisio*. 5. Neque eò referri potest *lex illa ceremonialis de discrimine ciborum*, aut politica de *pænâ homicidæ*, Gen. 9. 4, 6. quæ Abrahamum latere non potuit, & ad quam haud dubiè non minus Abrahamus & posterius ejus obligati fuerunt, quam Noach & filii ejus. 6. Habuit etiam Abrahamus præter leges illas, ab Adversario enumeratas, præcepta quædam specialia; ut de *egrediendo ex Chaldaea*, & *relinquendâ patriâ*; & de *immolando filio suo unigenito Isaiico*, quæ etiam præter moralia quædam generalia, etiam ceremonialia & typica in se continebant. 7. Atque altaria & sacrificia illius temporis arguunt, præter *leges naturales*, & *cultum rationalem*, & *circumcisionem*, Abrahamum, ejusque posteros tunc temporis alias habuisse leges, iis à Deo impositas: nam nisi illa sacrificia à Deo ipso instituta & mandata fuissent, cultus ille Deo gratus esse non potuisset, sed *ἱεροδρόσκεια* fuisset, in Sacris toties damnata; vide *Jes. I. Matt. 15. Coll. 2.* 8. Denique ipse (hoc cap. a. I.) scribit; *hominibus sine speciali auxilio effugere Atheismum & superstitionem pene esse impossibile: quia ut Deum rectè colant, obstat imperfectus usus rationis, & affectuum vehementia.* Nisi ergo Abrahamus præter *leges naturales*, & *circumcisionem* alias habuit leges, quæ aut *Atheismum* aut *superstitionem* effugere illi fuisset possibile?

XI. *Pactum Dei cum Abrahamo* (Gen. 17.) *Isaaco* (Gen. 26. 3, 4.) & *Jacobo* (Gen. 28. 14.) *idem per Moysen ad montem Sinai renovatum esse*, docet,
cum

cum toto populo Israëlitis, hæc formulâ (Exod. 19. 5.) si audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum (nimirum initum cum Abrahamo, Isaaco, et Jacobo) eritis mihi in peculium ex cunctis populis etc. Respondit autem omnis populus simul (v. 8.) Cuncta que loquutus est Dominus faciemus.

Etiam hodiè quidam Theologi cum clariss. Cocæo statuentes, *Decalogo fœdus gratiæ contineri*, etiam cum Hobbefio fateri coguntur; idem fœdus, quod olim Deus pepigit cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, eorumque semine, à Deo renovatum esse per Moſen cum populo Israëlitis ad montem Sinai; nam Decalogo contineri fœdus Dei cum Israëlitis ad montem Sinai, negari non potest; neque à Cocæi discipulis, fœdus gratiæ contineri in fœdere cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo. Verum hos copiosè, & eruditè refutatos videas à clarissimo Leydeckerò *in sua veritatis lib. 4. controv. 3.*

Resp. Pactum illud Dei per Moſen cum Israëlitis ad montem Sinai, quodque ibi servandum in se receperat omnis populus, non est pactum idem, quod longè antea Deus iniverat cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, eorumque semine; sed *pactum legale* fuit, quod Deus ante lapsum primum iniverat cum Adamo, & in ipſo cum toto genere humano; quod Deus ad montem Sinai populo Israëlitis in memoriam revocare voluit, non ut per illud justitiam obtinerent, sed ut inde reatum & ἀδυναμίαν suam intelligerent, atque ita justitiam in promisso Sponsore, juxta pactum Adamo, post lapsum in Paradiso primum revelatum, *Gen. 3. 15.* & postea cum Abrahamo ejusque Semine renovatum, *Gen. 17. 7, 8.* quærere compellerentur, *Rom. 3. 19, 20. & 8. 3, 4. & 10. 3, 4. Gal. 3. 19, 14.* Etènim Moſes *pactum* illud *legale* cum Israëlitis ad montem Sinai à pacto Dei cum

cum Abrahamo, Isaac, & Jacobo, eorumque femine aperte distinguit, Deut. 5. 2, 3. *Jehova Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horebo; non cum patribus nostris (Abrahamo, Isaac, Jacobo) pepigit Deus fœdus istud; sed nobiscum; similiter Apostolus, illud pactum Dei cum Israelitis in Horebo legem appellans, & pactum Dei cum Abrahamo, ejusque femine promissionem; Gal. 3. 16, 17. 18. Abrahamo vero dicta sunt promissiones, et semini ejus; non dicit, et seminibus, ut de multis; sed ut de uno, et semini tuo, qui est Christus. Hac autem dicit, pactum à Deo prius sancitam, respicientem in Christum, lex, quæ quadringentis et tringinta post annis extitit, non facit irritam, ut evanidam reddat promissionem: nam si ex lege est hereditas, non jam est ex promissione; atqui Abrahamo per promissionem largitus est Deus hereditatem. Vide etiam Rom. 4. 13, 14. & 10. 5, 6. Enimvero pactum Dei in Evangelio revelatum, ex quo fideles omnes gratis in Christo justificantur & salvantur per fidem, est idem illud pactum, quod olim Deus pactus est cum Abrahamo, ejusque femine, ut liquet Rom. 4. & Gal. 4. ait Jeremias illud à pacto legali, quod olim Deus in deserto Israelitis in memoriam revocavit, quodque illi irritum fecerunt, diserte distinguit, cap. 31. 31--34. *Ecce dies venturi sunt (dictum Jehova) quibus pangam cum domo Israelis, et cum domo Juda fœdus novum: non (NB.) quale fuit fœdus, quod pepigi cum patribus eorum, quo die prebendi manum eorum, ut educerem eos à terra Egypti: nam ipsi irritum fecerunt fœdus illud meum. Sed hoc erit illud fœdus, quod pangam cum domo Israelis post dies hos; Indam legem meam intimo eorum, et cordi eorum inscribam eam; et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus etc.**

Obj. Quod Deus idem pactum (nempe cum Abrahamo

hamo

homo omnium initium) renovatus per Moſen cum toto populo Iſraelis, dixerit: ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Exod. 3. 6. Reſp. Pactum legale, quod Deus in deſerto per Moſen populo Iſraelis in memoriam revocavit, non deſtruit pactum illud, quod Deus antea in paradifo poſt lapſum Adamo primum revelavit. Gen. 3. 15. & poſtea cum Abrahamo, ejuſque ſemine renovavit; ſed eidem ſubſervit & ſubordinatur eo modo, ut diximus, & Apoſtolus declarat locis cit.

XII. In Scripturis Regnum Dei ubique fere ſignificare vit, Regnum proprie dictum; nempe Regnum, quod conſtitutum eſt conſenſu populi Iſraelici, qui Deum in Regem ſuum ſibi paſſo elegerunt. L. c. 35. p. 190.

Reſp. 1. Nihil falſius, quam ubique in Scriptura Regnum Dei ſignificare Regnum, quod conſtitutum eſt conſenſu populi Iſraelici; nam Regnum Dei proprie dictum fuit, quo Deum longe ante pactum cum Iſraelitis, ipſe regnaſſe fateor ſupra Adamum, Noachum & familiam ejus, & ſupra Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, eorumque filios & ſervos. Et Regnum Dei proprie dictum intelligitur, cum in pre- catione Dominicâ dicimus: quia tuum eſt Regnum, quod de Regno Dei, olim per conſenſum populi Iſraelici conſtituto, intelligi nequaquam poteſt: ut quod dudum à Romanis everſum, non amplius exiſtit in rem naturâ; nec de Regno illo Dei ſupra Iſraelitas intelligi poteſt Regnum Dei, de quibus agitur ſequentibus locis. 1 Petr. 2. 9. Rom. 6. 14. Matt. 3. 2. & 5. 3, 20. & 7. 21. & 12. 28. & 21. 43. & 11. 12. Matt. 4. 26, 30. Luc. 17. 20, 21. & 9. 62. Job. 3. 3, 5. Rom. 14. 17. 1 Cor. 4. 20. Col. 1. 13. & 4. 11. Apoc. 12. 10. ut loca illa inſpicienti manifeſtum eſt. 2. Nec verè dicuntur Iſraelitæ elegeriſſe Deum ſibi in Regem: contra Deus legitur illos, ſibi ele-

elegisse in populum suum; consensus illorum non fuit antecedens, Regnumque Dei in ipsos constituens, quasi precarium fuisset Dei in illos imperium; sed consequens; Deut. 7. 6. *Te elegit Jehova Deus tuus, ut sis ei populus peculiis ex omnibus populis, qui sunt in superficie terræ; non quod plures essetis &c. sed eo quod diligit Jehova vos.* Vide etiam Deut. 4. 37. & 10. 15. & 14. 2. 1 Reg. 3. 8. Ps. 33. 12. Is. 41. 8, 9. Jer. 33. 24. Ezech. 20. 5. Act. 13. 17. confer Job. 15. 16.

XIII. *Omne Regnum Dei Regnum civile esse, docet.*

Negat, *Regnum Dei Propheticum esse propriè Regnum gratiæ; aut Regnum gratiæ, quod tale dicitur Theologis, esse propriè Regnum, sed metaphoricè ita appellari.*

Propriè autem Regnum Dei in S. Script. nihil aliud significare contendit, quam potestatem Dei supremam in subditos aliquos, eorum consensu acquisitam; potestatem autem illam esse politicam & civilem, qua Deus populum suum regit per suos Legatos, Proreges, aut Vicarios, hoc est, Reges & principes. Lev. c. 35. p. 190. 191. 192.

Resp. I. Imperia Regum & principum hujus mundi respiciunt tantum actiones subditorum suorum externas; ad actiones internas intellectus & voluntatis non pertingunt, illas neque cognoscunt, neque iis leges ponunt, neque puniunt illas; at Deus regit non tantum hominum actiones externas, sed & internas, iisque leges præscribit, eas novit & punit, si exorbitent; nec eas regit tantum per dictamina rationis naturalis, sed maximè etiam per verbum suum Propheticum, Rom. 7. 7, 14. Sequitur ergo præter Regnum civile, quo Deus homines regit per Reges & Principes, Prov. 8. 15. aliud esse Regnum Dei, quod sibi soli reservavit, à Regnis politicis distin-

stinctum. 2. Reges & Principes subditis suis leges præscribunt, earumque observantiam iis præcipiunt, poenasque statuunt delinquentibus; non autem eorum potestate est, corda subditorum flectere ad obedientiam; ast Deut Rex talis est, qui non tantum voluntatem suam Verbo suo per Prophetas & Apostolos nobis revelavit, normam vitæ nostræ, & media ad æternam salutem per Christum obtinendam continentem; verum etiam efficaci Sp. S. operatione ad obedientiam flectit corda electorum; *Phil. 2. 13.* atque hoc Regnum Dei est, quod *Regnum gratiæ* appellatur, à Regnis hujus mundi *δὲ δὲ πασῶν* distinctum, *Iob. 18. 36.* Regnumque Dei dicitur non metaphorice arbitrio tantum Theologorum, sed proprie juxta loca S. Script. innumera.

3. *Regnum Dei gratiæ* nihil est aliud, quam *Ecclesia militans*; at Vicarius, Legatus, Prorex, per quem Ecclesiam suam regit Deus, non est Rex, aut Princeps aliquis politicus; sed solus Christus, Angelus ille fœderis, unicum caput Ecclesiæ suæ, Rex Regum, & Dominus dominantium. *Pf. 2. 6. Eph. 1. Matt. 28. 18.* Omnis potestas, quâ homines aliqui gaudent in Ecclesiâ Christi, est tantum ministerialis sub Christo, nulla dominans, *Matt. 20. 25, 26. Luc. 22. 25, 26. I Petr. 5. 3.* sed potestas Regia & Imperatoria, omnisque potestas politica est dominans. Non ergo Reges & Principes sunt in Regno Dei Prophetico Dei Legati, Proreges, aut Vicarii, nec usquam in Sacris ejusmodi titulis leguntur insigniri, ac proinde *Regnum Dei Propheticum* non rectè appellatur *Regnum civile*.

Nec obstat, quod dicit, *Regnum proprie significare potestatem Dei supremam, consensu subditorum acquisitam; potestatem autem illam esse politicam & civilem, qua Deus populum suum regit per suos legatos &c.*
 proin-

proinde *Regnum Dei*; quod *gratia* dicitur à Theologis, non esse propriè *Regnum Dei*. Nam. 1. non omne *Regnum* propriè dictum pendet à consensu subditorum; v. gr. imperium patris in filios est *Regnum* propriè dictum (familia enim est parvum *Regnum*) at hoc non consensu filiorum, sed jure generationis acquiritur. 2. Omne *Regnum Dei* est absolutum, & independens; quare, ut Deus in homines *Regnum* habeat propriè dictum, ab illorum consensu non dependet; velint nolint homines, Deus Opt. Max. jure creationis Rex est universi generis humani. 3. Consensus ille hominum aut est *Regnum Dei* antecedens, aut consequens; *Regnum Dei* nullum dependet à consensu hominum antecedente, ut dictum; consensus consequens, quo homines *Regnum Dei* in se agnoscunt, eique se *avoxo- xpitus* subjiciunt, necessario requiritur, ut aliquis verus subditus sit in *Regno Dei* Prophetico; & quia consensus ille non est in hominum ipsorum potestate, sed à gratiâ Sp. S., ideo *Regnum* illud *Dei* Propheticum *Regnum gratia* appellatur.

Objicit etiam, quod *Regnum Dei* *Regnum* propriè dictum fuerit sub Noacho, Abrahamo, Mose, & Sacerdotibus usque ad electionem Sauli in Regem, hoc est, eorum consensu constitutum; quod etiam probari, ait, iis S. Script. locis, quibus locus *Regni Dei* terra esse dicitur, Ies. 24: 23. Mich. 4: 7. Ezech. 20: 23, 37. Luc. 1: 32, 33. *Regnum* ergo *Dei*, inquit, propriè, non metaphorica significatione sumitur in Scripturis; atque ex his concludit, *Regnum Dei* *Regnum* esse civile. Resp. 1. Sub Noacho, Abrahamo, Mose &c. *Regnum Dei*, quatenus *gratia* fuit, atque spirituale, nequaquam fuit *Regnum* civile. 2. Supponit etiam, *Regnum Dei* in terrâ esse non posse, nisi sit civile. 3. Et quasi cum electam *Dei* Ecclesiam *Regnum Dei* appellamus, & *Regnum* civile esse negamus, nos diceremus, tum *Regnum Dei* impropriè sumi,

mi. 4. Et quasi etiam Regnum propriè dictum nullum esse posset, nisi ubi summa potestas super cives per ipsorum suffragium sit acquisita, quod quam falsum sit, modo monstravimus. 5. Et qui, quod hic ait de Regno Dei propriè dicto, quod fuerit sub Noacho, & Abrahamo, congruit cum eo, quod alibi docet, nempe *regimen Dei nomen Regni demum sortitum esse primum à pacto Dei cum populo Hebraeo ad montem Sinai?* De Cive c. 16. a. 9.

Affertionis hujus *πρώτον Ἰούδ*; *Omne Regnum propriè dictum pendere ab hominum consensu antecedente; ut ex dictis liquet. Item; neminem pacta inire posse cum Divina Maj., neque illi voto obligari, hoc est, Deum acquirere non posse supremam potestatem consensu hominum, nisi quatenus visum illi est, per Script. S. substituere sibi aliquos homines, qui auctoritatem habeant vota & pacta ejusmodi expendendi, & acceptandi, tanquam illius vicem gerentes. Art. 12. c. 2. quod inferius expendemus.*

XIV. Proregem in populo Dei primum fuisse Moysen, contendit, & post eum summos Sacerdotes singulos usque ad electionem Regis Saul, quando regnum illud abolitum est.

Ideo Regnum illud Sacerdotale appellari (Exod. 19. 5.) & Sacerdotium regale (1 Petr. 2. 9.) propterea quod summam potestatem post Deum in illo Regno habuere Sacerdotes.

Fuisse enim Regnum illud ex pacto Sacerdotale, id est, Regnum Dei per Sacerdotem. L. c. 35. p. 191. 192. De Cive c. 16. a. 13. 14. 15.

Resp. 1. Quasi tempore Moysis, Josue &c. summa potestas post Deum in illo Regno fuisset in Aarone summo Sacerdote, Eleazaro &c. non in Mose, Josua, &c. Aut Moses, Josua, reliquique, qui post illos in illo populo summam potestatem civilem habuerunt, fuissent simul summi Sacerdotes; id quod

esse debuisset, si verum est, quod ex loc. cit. illâ Assert. dicitur. Sed nemo (teste Josepho *Antiq. Jud.* 13. 19.) ante tempora Maccabzorum in illo populo Princeps simul, & pontifex fuit. 2. Procul dubio etiam populus Israël *Regnum Sacerdotale*, & *Sacerdotium Regale* fuit tempore Mosis, & post electionem Regis Saul tempore Regum; & tamen ipse fatetur, vivente Mose summam potestatem post Deum tunc non fuisse penes Aäronem summum Sacerdotem; sed Mosen ipsum; neque post electionem Sauli Regis tempore Regum, fuisse illam penes Sacerdotes, sed Reges. C. c. 16. a. 16. Ait quidem, *necessarium esse, ubi unus homo instituit Reipubl. futurae formam, illum unum Regnum pro suo tempore moderari, quod instituit, & habere potentiam omnem in praesens, quam aliis tributurus sit in futurum*; proinde quamvis non Aäron Sacerdos summus; sed Moses primus in illo populo Regnum sub Deo habuerit, tamen ex pacto Regnum Sacerdotale fuisse à morte Mosis, usque ad electionem Regis Saul. Verùm cum Regnum illud *Sacerdotale* nominetur, cum Moses summam in Regno illo sub Deo habebat potestatem, non Aäron Sacerdos summus; qui ex illâ Regni illius nomenclatura probari potest, post mortem Mosis summam sub Deo potestatem in illo populo fuisse penes summos Sacerdotes singulos, usque ad electionem Regis Saul? Nec Moses, sed Deus ipse illius Reipubl. formam instituit; neque Josua, aut Eleazar suam, quam habuerunt, potestatem a Mose, sed ipso Deo acceperunt. Neque apparet, formam regiminis post mortem Mosis à Deo immutatam fuisse, ut antea omnis potestas suprema spiritualis & temporalis fuisset in Mose, neutra in summo Sacerdote Aärone, & mortuo Mose omnis illa potestas fuisset in Sacerdote summo Eleazaro,

neu-

neutra in Josuâ, qui tamen in locum Mosis successisse dicitur, Num. 27. 28. Dent. 3. 28. & 31. 3. 7, 14, 23. Jos. 1. & colligitur Exod. 17. 14. 3. Nec *Regnum Sacerdotale*, aut *Sacerdotium Regale* (ut S. Petrus, illud Regni illius elogium apud Mosen invertens, loquitur) ex vi vocis magis significat Regnum Dei per Sacerdotem, quam Sacerdotium Dei per Regem; proinde ex illo Regni illius elogio non magis concludas, à tempore Mosis ad electionem Regis Saul, in Regno illo summam potestatem fuisse penes Eleazarum, & qui illi successerunt Sacerdotes summos, quam penes Josuam, reliquosque ejus successores. Notat illud elogium *Regnum constans ex Sacerdotibus & Regibus*, quæ explicatio consentanea est Chaldaicæ paraphrasi, quæ habet: *vos eritis mihi Reges & Sacerdotes*. Nec (quod hic supponit) concedimus; Deum nempe illâ Regni illius appellatione quicquam de formâ regiminis politici in illo populo statuere voluisse.

XV. *Post electionem Sauli in Regem, Regnum Dei per pactum in terris nullum fuisse*, ait Lev. c. 44. p. 290.

Resp. Etiam post electionem Sauli in Regem passim apud Prophetas Deus populum Israël appellat *populum suum*, seseque *Deum illorum*; nempe ex pacto olim à Deo cum Abrahamo & semine ejus inito; quo *federe sempiterno* Abrahamum ejusque posteros elegit *in populum suum*, ut esset *Deus Abrahami*, ejusque *seminis post illum in sempiternum*, Gen. 17. 7, 8. Quocirca si Deus ex illo pacto cum Abrahamo & semine ejus sempiterno, etiam post electionem Sauli in Regem, passim apud Prophetas populum Israël appellat *populum suum*, seseque *Deum illorum*; atque ex illo eodem pacto regnavit supra Abrahamum ejusque posteros usque ad electionem Sauli in Regem,

ut ipse docet, *de Cive* c. 16. a. 1. quidni etiam, post electionem illam Sauli, ex eodem pacto regnasse credi debet supra eisdem Israëlitas? nam Deus ex illo pacto illorum Deus esse voluit *in sempiternum*: quamvis enim Israëlita à Samuele Regem supra se statui postulantibus, Deum rejecisse dicantur, ne Regnaret supra ipsos, *1 Sam.* 8. 7. non tamen Deus, Regem ejusmodi, qualem postulabant, illis concedens, eo abdicavit se Regno & imperio suo, quod ex pacto cum Abrahamo & semine ejus supra illos haberé voluit sempiternum. *Jer.* 31. 36. 37. *Rom.* 11. 1. 2. Et expresse leguntur pii Judæi, etiam post tempora Sauli, Deum ex pacto in se Regem devote agnovisse; *Jes.* 33. 22. *Jehova vindex noster, Jehova legislator noster, Jehova Rex noster, ipse servabit nos*; & ut talem in precibus suis invocasse, *Ps.* 5. 3. *Attende voci clamoris mei, Rex mi, & Deus mi.* Vide etiam *1 Chron.* 17. 14. & 28. 5. & 29. 23. *2 Chron.* 9. 2. *Matt.* 8. 12. quibus locis etiam post tempora Sauli populus Dei speciali modo *Dei Regnum* appellatur, & Judæi *fili Regni*.

XVI. *Regnum Dei, cujus restituendi causa Christus à Deo Patre missus est, à die judicii, docet, demum inepturum esse.* *De Cive* c. 17. a. 5. *Lev.* c. 44. p. 290.

Necdum in hoc mundo existere, neque incepisse à resurrectione Christi: nam, inquit, si Regnum Dei incepisset à resurrectione Christi, quam causam habent Christiani precandi hodie; Adveniat Regnum tuum? *Ibid.* p. 296.

Resp. 1. Testatur Apost. (*1 Cor.* 15. 24. 25.) *Christum novissimo die traditurum Patri Regnum suum; hostes Regni Christi tum omnino abolendos esse; atque Christum ab illo tempore, quo ascendit in caelos, regnasse, & regnaturum esse, usque dum omnes inimicos suos*

suos supposuerit pedibus suis. Quæ sane omnia, Christum ante diem iudicii semper hæc in terrâ Regnum habuisse, atque etiamnum habere, necessario præsupponunt, confer Ps. 110. 1, 2. Et 2. quod Christus dicebat Discipulis, (*amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei veniens in virtute.* (Marc. 9. 1.) de Regno Dei, demum novissimo die futuro intelligi nullo modo potest: nam quamvis post resurrectionem Christi vixerint discipuli sui omnes, meritò tamen Christus dixit potius, *aliquos eorum, quam omnes Regnum Dei visuros esse veniens in virtute*: quia non omnes Christi discipuli tam diu vixerunt, ut Regnum illud Dei, post resurrectionem Christi prædicatione Apostolorum ex Judæis & gentilibus longè latèque per omnes Regiones instauratum, ita in virtute venisse videre potuerint. Neque (quod fingit) *illa Christi verba intelligi possunt dicta esse de Christi transfiguratione*: nam transfigurationem illam Christi, ipse tradit, discipulis apparuisse in visione, aut somnio; ast hæc de Regno Dei Christus dixit Apostolis, quod *visuri illud essent veniens non in visione, aut somnio, sed in virtute.* 3. Etiam Christus interrogatus a Pharisæis, quando venturum esset Regnum Dei; non dixit eis; demum novissimo die; sed, *non veniet Regnum Dei ita ut observari possit; neque dicent ecce hæc; aut ecce illic: ecce enim Regnum Dei intus habetis*; fuit ergo jam tum in terrâ illud Regnum Dei, quod Hobbes contendit, demum incepturum novissimo die. 5. Quin ipse (quod miror) alibi totum illud tempus V. T. appellat *Regnum Dei per pactum vetus*; tempusque ab incarnatione filii Dei usque ad novissimum diem, *Regnum Dei per pactum novum.* De C. c. 16. 17. 18. Qui hoc; si post electionem Sauli in Regem, Regnum Dei

DE REGNO

.. in terris nullum fuerit, nec futurum unquam sit ante novissimum diem ? 5. Et quamvis credamus, Regnum Dei, de quo disputamus, semper in mundo fuisse, atque etiamnum esse, non tamen frustra quotidie precamur; *Adveniat Regnum tuum*; quia non ante novissimum diem Regnum illud Dei in plenâ suâ gloria & Majestate adventurum esse credimus, ejusque incrementum hâc in terra indies magis magisque fieri exoptamus.

XVIII. *Regnum Christi negat esse Ecclesiam, quæ est in terra.* L. c. 44. p. 290.

Ostendimus ad *Ass.* 15. etiam post electionem Sauli in Regem, semper Deum in V. T. *Regnum ex pacto* habuisse; pioſque Judæos illud Regnum Dei supra se semper devotè agnovisse, eumque ut Regem talem supra sese piè invocasse, quod Regnum Dei tunc esse non potuit præter Ecclesiam illius temporis. Et multa exstant in V. T. vaticinia Prophetarum de Messia ut Rege, ejusque Regno, ab adventu ejus in carnem, hâc in terrâ futuro. Ita de Filio suo loquens Deus Pater inquit; *Ego inungens Regem meum præfeci Zioni monti sanctitatis meæ*; & alloquens Filium suum, *Pete à me, & dabo gentes in possessionem tuam, & fines terræ jus possessionis tuæ.* Ps. 2. 6, 8. Ubi per *montem sanctitatis Dei*, supra quem Filius Dei à Patre unctus esse dicitur in Regem, quid aliud intelligas præter Ecclesiam N. T. ut cujus typus olim fuit templum Dei, super montem illum extructum, quò Ecclesia Israëlita ad cultum Dei convenire solebat ? ex per *gentes & fines terræ*, quos Filio suo dare pollicetur in possessionem, quam eandem Ecclesiam, prædicatione Evangelii per totum terrarum orbem ex Judæis & gentibus convocandam ? Nec Regno Christi post diem novissimum applicari potest illa ad Reges terræ admonitio de Rege illo J. Christo, ut Rege

Rege & Domino suo agnoscendo, osculando, & colendo. v. 10, 11, 12. Similiter Jer. 23. 5, 6. *Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quibus excitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, secundabiturque, & exercebit jus & justitiam in terra; diebus ejus servabitur Jehudab, & Israël habitabit secure; atque hoc nomen ejus est, quo vocabitur; O Jehova justitia nostra.* Ecce regnabit Rex, & exercebit jus & justitiam in terra, & quando regnabit Rex? an demum novissimo die in secundo suo adventu? non, sed ab illo tempore, quo Deus Davidi germen illud justum excitabit; quod factum, cum ex stirpe Davidis homo natus est. Quò facit etiam illa celebris apud Danielelem Prophetia, (Dan. 2. 44, 45.) *In diebus Regum istorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in secula non destruetur, & regnum ipsum populo alieno non relinquetur, comminuet & consummabit omnia illa regna: ipsum autem persistet in secula.* Hanc de regno illo, à Deo suscitando in diebus Regum illorum, prædictionem de Regno Messix intelligendam esse, in confesso est apud omnes Christianos, nec diffitentur Judæi, & res ipsa docet: quod dicatur, Regnum illud in secula duraturum esse, nec populo alieno relinquendum, sed in æternum constans & perpetuum fore; quod de nullo, præter Messix, Regno in hâc terrâ intelligi potest. Sed quando Regnum illud erit? illud Propheta prædicit suscitandum in diebus Regum istorum, nempe qui Alexandro M. successerunt, Reges Egypti & Asiæ, post eorum Regnum ab Augusto debellatum; vel si cum Judæis, multisque Christianis per Reges illos intelligas Imperatores Romanorum, sensus Prophetix erit; Regnum illud Messix in terra exstiturum, cum imperio Romano reliqua imperia subjecta essent, quod factum tempore Augusti Cæsaris. Cum ergo & imperium

Romanum jam dudum interierit, ejusque hodie non nisi nomen & umbra superfit; manifestum est, hâc Danielis Prophetiâ prædici Regnum Christi in hâc terrâ futurum esse ante novissimum diem à primo illius adventu in carnem. Et in N. T. multa legas de Christo Rege nato, *Matt. 2.* ejusque Regno jam tum appropinquante, *Matt. 3. 2. Marc. 9. 1.* imo jam tum præsentem, *Luc. 17. 20, 21.* Quin ipse Christus coram Pilato, se jam tum Regem esse, confessus est, non demum fore novissimo die; sed non Regem terrenum aut politicum, instar Regum hujus mundi, sed spirituales & cœlestem, dicens; *Regnum meum non est de hoc mundo.*, *Joh. 18.* Et de Regno Christi, ut ab illo, ab adventu suo in mundum, hâc in terrâ usque ad novissimum diem administrato, nimirum prædicando, docendo, pro illo moriendo, intercedendo, pugnando, illudque fidelissimè tuendo, atque hostes illius vincendo, &c. ait Apostolus, quod tandem, omnibus pacatis, illud Christus novissimo die resignaturus sit Patri suo, *I Cor. 15.* Quæ omnia de Christo ut Rege, ejusque Regno, nisi respectu electæ suæ Ecclesiæ hâc in terrâ, & de illâ, ante postremum ipsius adventum, intelligi minimè possunt. Quibus adde illa S. Script. loca, quibus Ecclesia hâc in terrâ *Regnum Dei*, & *Christi*, & *Regnum cœlorum* expressè appellatur. *Matt. 3. 2. & 4. 17. & 11. 12. & 12. 18. & 13. 11, 24, 31, 33. Marc. 1. 14, 15. & 4. 11. & 9. 1. Luc. 4. 43. & 7. 28. & 8. 10. & 10, 9, 11. & 13. 18, 20. & 19. 11. Iob. 3. 3, 5. 1 Cor. 15. 24. Col. 1. 13.* Et Christus Ecclesiæ caput, eaque Christi corpus esse dicitur, *Eph. 1. 22.* Vana ergo & temeraria nimis est illa Assertio Hobbesiana de Ecclesiâ hac in terrâ, quod non sit Regnum Christi.

Neque prætereundum, quod dicens, *Regnum Christi-*

Christi non esse Ecclesiam, quæ est in terra, credere videatur, tale esse Ecclesiam, quæ est in coelo, aut ibi aliquando futura: nam in coelo Ecclesiam esse, aut unquam fore, apertè negat variis locis. Nam hominum animas mori contendit simul cum eorum corporibus, demum novissimo die reproducendas. Vide supra cap. 16. Ass. 16. & seqq. Et locum, in quo vita eterna fructuri sunt fideles, non esse cælum, sed terram. Lev. c. 38. p. 209. De quo infra.

XVIII. Prophetas prædixisse fingit, Regnum Dei restituendum esse (novissimo die) quale olim fuit in populo Israëlítico sub Prorege Dei Mose usque ad tempus electionis Saul, quando abolitum est. Lev. c. 35. p. 192.

Omnia ergo Prophetarum vaticinia de Regno Messia intelligenda esse statuit de Regno demum futuro in postremo ejus adventu novissimo die, deque Regno mundano, terrenâ Majestate conspicuo; atque ejusmodi, quale olim fuit Regnum Dei in populo Israëlítico à tempore Mosis usque ad electionem Saul Regis. In quo partim sentit cum Judæis illis, qui etiam omnia de Regno Messia vaticinia Prophetarum de Regno mundano interpretantur; partim ab iis dissentit. 1. Quod multi eorum cum Mose ben Maimon felicitatem & delicias illius temporis spiritaliter exponant juxta illum Esaia locum; *repleta erit terra cognitione Tchovæ, sicut aquæ mare operientes &c. & omnes inquirent Dominum. Is. II. 9. & cum R. Hacadosch; Messiam per suam ipsius mortem stirpem Adami salvam facturum, & animas ab inferno liberaturum, quo nomine Iesum vocatum iri, id est, Salvatorem. Apud Pless. de Veritate Relig. Christ. c. 27.* 2. Quod Judæi veteres Regnum Messia futurum esse crediderint in primo illius adventu; hodierni autem unum tantum ejus adventum agnoscant futurum in

resurrectione mortuorum universali, ultimo mundi fine ac die, quos inter est Menasse ben Israël *lib. 3. de resurrex.* Hobbes autem, duplicem Christi adventum agnoscens, Regnum ejus demum incepturum doceat, in secundo illius adventu, novissimo die; idque mundanum ac politicum hâc in terrâ; atque ejusmodi, quale olim Regnum Dei fuit in populo Israëlítico à Mose ad Saulum Regem; deque ejusmodi Messîæ Regno Prophetas vaticinatos fuisse. Quod nescio utrum ante Hobbesium quispiam unquam somniaverit.

Resp. 1. Vaticinia Prophetarum de Regno Messîæ de illius Regno hac in terrâ post primum illius adventum intelligenda esse, manifestum est ex iis, quæ protulimus ad *Affert. præc. 17.* 2. Augusta nimis sunt & ampla Prophetarum de Regno Messîæ vaticinia, iisque innixa veterum Patrum fides & expectatio, quam ut illa de Regno aliquo hac in terra mundano intelligi possint. Sic (v. gr.) Micha de futuro Messîæ Regno vaticinatur; *quod in diebus ejus multæ gentes accessuræ sint ad montem Domini, seseque mutuo tanquam ad convivium invitaturæ; dicentes; Ascendamus in montem Jehovæ, & in domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus. Nam (ait Propheta) è Sione exhibit doctrina, & verbum Jehovæ Ierosolymâ. Qui judicem aget inter populos multos; & corripiet gentes validas in longinquum usque, hoc est ad fines usque terræ; & tudent gladios suos in ligones &c. nec discent amplius bellum; sed, sedebunt quisque sub vite sua, & sub ficu sua (securè & in pace) nemine deterrente. Sceptrum ergo Messîæ Regis non terrenum erit, & mandanum; sed spirituale, nempe tum prædicatio Evangelii; è Sione exhibit doctrina &c. tum prædicatio poenitentiarum; judicem aget inter populos multos, & corripiet gentes validas.*

Et

Et ne, quod tam magnificè de Regno Messia ad fines usque terræ dixerat Propheta, deque pace futura in diebus ejus, intelligeremus de Regno & pace securitateque terrena, sed spirituali, subdit postea; *Assur nihilominus veniet in terram nostram, & calcabit palatia nostra*; significans, non triumphaturum Israellem, more hujus seculi, in diebus Regni Messia, neque Ecclesiam immunem fore ab omni molestia, atque hostium persecutione. *Idololatria, inquit, evertetur, & Christus in Domini virtute regnabit, & erit pax nostra.* Mich. 4. & 5. Quæ omnia, Regnum Messia non mundanum aliquod Regnum, sed spirituale necessario fore, apertè demonstrant. Neque quod de sceptro, in diebus Regni Messia à Juda auferendo, Jacob Patriarcha prædixit, Gen. 49. 10. consistere potest cum sceptro & Regno ejusmodi Messia externo & mundano, quale Hobbes fingit Prophetas prædixisse futurum in diebus Messia Regis; neque quod de Messia Rege Prophetavit Zacharias, quod *venturus esset Rex justus, & salute præditus, pauper & insidens asino.* Zach. 9. 9. Et Jesaias, quod affligendus valde; *Jes. 53.* cum externo splendore Regni alicujus mundani. Quamvis enim Prophetæ, de Regno Christi vaticinantes, sæpe formulas loquendi usurpent, à rebus & regnis hujus mundi desumptas, tamen de Regno Dei restituendo in diebus Messia, quale fuit tempore Mosis & deinceps usque ad Saulum Regem, ne *ypocritæ* quidem in eorum Prophetiis; quin contra Micha (loc. cit.) Regnum Messia prædicit in pace & securitate simile fore Regno Salomonis. Mich. 4. 4. cum 1 Reg. 4. 25. Et illas Prophetarum loquendi formulas figuratè & spiritualiter intelligendas esse, nec diffiteri possunt Judæi, qui ipsi locum *Jes. 11. 6.* de Messia temporibus *ἀλληγορικῶς* intelligi volunt; ut Maimonides *lib. 2. 1.* ad il-

*ad illum locum; & ad eundem David Kimchi, apud Grot. de Verit. Rel. Christ. l. 5. c. 18. in annot. 2. & res ipsa loquitur: nam si ad literam intelligerentur, absurda multa, sibi que ac naturæ, legique Divinæ contraria importarent; uti fusè contra Judæos demonstratum ab Hoornb. l. 3. c. 2. Enimvero non aliter de futuro Messia Regno vaticinati fuerunt Prophetæ, quam ipse Christus illud esse & fore declaravit, ejusque Apostoli; sed Regnum suum Christus negavit esse aut fore mundanum, externa terrenaque Majestate conspicuum; Luc. 17. Joh. 18. confer supra cap. 7. ad Assert. 25. similiter illius Apostoli, Imo non semel Christus discipulos reprehendit, quod Regnum ipsius mundanum fore imaginarentur. 3. De Regno Dei in futuro seculo ait Apost. *Prædicamus sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis, à quibus diligitur.* 1. Cor. 2. 9. & 1 Cor. 15. 28. *Tunc Deus erit omnia in omnibus, docens Deum post resurrectionem universalem in fine mundi incomprehensibili atque ineffabili cum gloria immediatè regnaturum esse supra electos suos. Quæ certè de Regno Dei, quale olim fuit in populo Dei tempore Mosis, dici non possunt, ut quod tunc oculis visum, & auribus auditum fuit; nec à Deo ita immediatè, sed mediante Mose fuit administratum; neque tanta cum gloria.**

XIX. *Ejusdem Regni (quale olim fuit in populo Israëlítico sub Prorege Dei Mose) futuri novissimo die, promulgationem docet, factam esse ab Apostolis. Ibid.*

Resp. Regnum Dei, quod Apostoli promulgarunt, non fuit Regnum civile & mundanum, quale olim fuit Regnum Dei sub Mose; sed est Regnum omnino coeleste & spirituale, ut liquet Rom. 14. 17.
&

& *Eph. 6.* ubi Regni hujus hostes, ejusque armatura describitur spiritualis; & quale demonstravimus (ad *Aff. præc.*) olim prædixisse Prophetas; & prædicasse ipsum Dominum Jesum; vide *Luc. 17. 20, 21. Iob. 18.* Summa prædicationis Christi fuit; *Appropinquavit Regnum cælorum*; sed quâ tum appropinquare dici potuit Regnum, demum novissimo die futurum? & *Regnum cælorum* appellari, quod futurum erat Regnum terrestris & civile?

XX. *Ejusdem Regni restitutionem nos petere ait, in oratione Dominica; Adveniat Regnum tuum. Ibid.*

De hoc vide supra ad *Affert. 22. c. 7.*

XXI. *Regnum Dei cæleste dici contendit, non quod in cælo sit, aut aliquando futurum; sed propter Divini throni celsitudinem. Ibid.*

Mirum igitur, Regnum Dei, quod olim supra Israëlitas habuit sub Prorege Mose, nunquam in S. Script. cæleste appellari: nam non minus tum, quam unquam aliàs, fuit Divini throni celsitudo.

XXII. *Regnum Dei distribuens in naturale, & Propheticum, nullum nunc in cælis Regnum Dei gloriosum, aut Ecclesiam triumphantem agnoscit. De Cive cap. 15. a. 4.*

De quo infra disquiremus *cap. de Ecclesia*; vide interim paulò supra ad *Aff. 17.*

LOCUS XI.

DE LEGE DIVINA.

CAPUT 20.

*De Lege in genere, & speciatim de legum
naturalium Principiis.*

Lex est justitiæ regula, & norma juris & justè facti; quæ vel Divina est, eaque vel naturalis vel positiva; vel humana: hæc omnis derivatur & vim obligandi habet à lege Divina: nam (ut ait Apost.) non est potestas nisi à Deo; ideoque necesse est subjici non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, Rom. 13. 1, 5. Quod adeo verum est, ut ipse scribat Adversarius; Legem naturalem esse, ut legibus Civitatis obediamus, omnemque legem civilem etiam legem naturæ esse: ut quæ omnis vim obligandi habet à lege naturali de pacto servando. Lev. c. 26. p. 130. Quocirca si lex humana sive civilis propriè & accuratè loquendo lex est; patet, multò magis in se talem esse omnem legem Divinam tam naturalem, quam supernaturaliter revelatam: nam propter quod unumquodque tale est, illud ipsum est magis tale. Summa legis naturalis, sive moralis, (quam ipse Hobbes agnoscit Legem Divinam appellari, de Cive c. 4. a. 1.) habetur in Decalogo; cujus compendium est; Diliges Deum & proximum; Matt. 22. Hujus legis observantia quàm homini per naturam sit impossibilis, nedum facilis, liquet præter alia Rom. 8. 7. Quod sapit caro inimicitia est adversus Deum:

Deum: legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem. Atque ad sui exercitium obligare etiam, ubi securè præstari non potest, docet illud: non est faciendum malum, ut eveniat bonum. Rom. 3. 8. Ille è, contra

I. *Jus Legi opponit contrariè, ut jus Libertas, Lex vinculum sit.*

Jus libertatem esse ait, legibus non constitutam, sed relictam; quam primò restringit Lex naturalis & Divina, residuam restringunt leges civiles. Lev. c. 14. p. 66. & c. 26. p. 130. C. c. 14. a. 3.

Invenio, (inquit L. c. 26. p. 137.) voces Legem civilem, & jus civile à Scriptoribus promiscuè usurpari; quod fieri non debet: jus enim libertas est, lex obligatio.

Quasi in creaturis rationalibus concipiendâ esset libertas, seu potestas aliqua moralis, in genere moris à Deo independens, per legem naturalem & Divinam restringenda; non minus absurdè, quam si quis in omnibus creaturis potentiam aliquam conciperet, aut inclinationem naturalem, in genere entis à Deo independentem, per legem æternam Divinæ mentis restringendam. Et ego invenio jus & Legem etiam à Sacris Scriptoribus promiscuè usurpari, Exod. 24. 3. Ezech. 20. passim Ps. 119. 39, 108. Mal. 4. 4. Rom. 1. 32. & alibi. An hoc fieri non debet? Vah hominis arrogantiam! Plura vide supra cap. 17. ad art. 7. c. I. de Cive.

II. *Juris regulam & mensuram non esse, ait, legem aliquam; sed utilitatem propriam, sive conservationem vitæ et membrorum.*

Juris naturalis fundamentum primum esse, ut quisque vitam et membra, quantum potest, tueatur. L. c. 14. p. 66. C. c. I. a. 7.

Quod

Quod ad illum locum citatum fusè refutatum videas *suprà cap. 17.*

III. Unde *legem naturalem* definit, *dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda sunt ad vitæ membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam.* De Cive c. 2. a. 1.

IV. *Primam & fundamentalem legem naturæ, seu summam legis Divinæ esse docet; quærendam esse pacem, ubi haberi potest; ubi non potest, quærendam esse belli auxilia.* C. c. 2. a. 2. & c. 4. a. 3.

V. *Non obligare leges naturales, nisi quando securè præstari possunt; ubi ita præstari non possunt, obligare tantum in foro interno, hoc est, ad velle.* L. c. 15. p. 78. C. c. 3. a. 27. & c. 5. a. 2.

VI. *Proinde faciles esse observatu.* L. c. 15. p. 79. C. c. 3. a. 30.

De quibus postremis quatuor assertionibus mox in subjunctis exercitationibus.

VII. *Nullas agnoscit leges propriè dictas præter civiles.*

Nam leges naturales negat propriè & accuratè loquendo leges esse. Lev. c. 15. p. 79. & c. 26. p. 130. De Cive c. 3. a. 33.

Similiter leges omnes supernaturaliter à Deo in S. Scripturâ revelatas; nisi tales factæ sint à summam habente potestatem per leges civiles, variis locis c. 4. de S. Script. Auctorit. citatis.

Quin leges omnes tam scriptas, quam non scriptas vim suam à voluntate Civitatis habere disertè scribit. L. c. 26. p. 130.

Ergo in hac Philosophia omnium legum naturalium & Divinarum auctoritas & obligationis ultima analysis est in leges civiles; quasi major esset legum humanarum, quam Divinarum auctoritas; à qua contumelia *Verbum Dei in S. Script. revelatum supra*
(cap.

(cap. 4. de S. Script. auçt.) vindicavimus; ab eadem *leges naturales* (quas ipse agnoscit esse *Verbum Dei æternum*, nobis innatum de C. c. 14. a. 4.) mox in exercitt. vindicaturi.

VIII. Docet etiam, *in S. Script. mandata Dei inveniri, quæ consilia sunt, non præcepta, aut Leges; huc refert hæc: pœnitentini, Baptizimini, custodite mandata, credite Euangelium, venite ad me, vende omnia quæ habes, & sequere me.* L. c. 25. p. 126. & c. 42. p. 247. C. c. 17. a. 9.

Quasi mandata de *pœnitendo, custodiendis mandatis, credendo Euangelio, & veniendo ad Christum* non magis obligarent omnes Christianos; quam illos obligat præceptum illud singulare *exploratorium & convictorium* à Christo juveni illi arroganti datum; quod quatinvis etiam *Bellarminus* contendat consilium esse, non præceptum, de *Monach. l. 2. c. 9.* priora tamen omnia revera præcepta esse, & veras leges Divinas, ab omnibus, qui servari cupiunt, observandas, minimè dubitat. Et quasi ille in S. Script. mandata agnosceret, quæ per se præcepta essent aut leges, qui negat S. Script. à se vim legis habere, sed talem fieri, contendit, per leges civiles à summam habente potestatem, ut liquet *in Assert. c. 4. de S. Script. auctorit. enotatis.* De hæc *Assert. plura vide supra c. 7. Ass. 23.*

EXERCITATIO I.

Ad art. 1. cap. 2. de Cive,

Quid sit Lex naturalis; & an ea non sit consensus hominum; sed dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda aut omittenda sunt ad vitæ membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam?

Hanc suam legis naturalis definitionem ut tandem concludat, ita procedit; *de definitione, inquit, legis naturalis non consentiunt auctores, qui tamen eâ voce frequentissime in scriptis suis usi sunt. Falsum hoc: omnes enim illam in rectæ rationis dictamine sitam esse unanimi consensu statuunt, quamvis aliquando verbo tenus non nihil inter sese dissentire videantur, ut videre est apud Sharrock Hypoth. Eth. pag. 41. Ille tamen ut dissensum auctorum hâc in parte ostendat; Cæterorum, inquit, si quis quid factum dicat contra legem naturalem, ex eo probat alius, quod contra consensum factum sit omnium, vel sapientissimarum, vel eruditissimarum gentium. Alius, quod factum sit contra consensum totius generis humani. Ast nego, inde sequi, in definitione legis naturalis Auctores non convenire. Nam notum est jus (quod hîc nobis idem est, quod Lex) triplex vulgò statui ab illis, quos hîc designat, auctoribus; sc. Naturale, Gentium, & Civile; quorum illud (omisso jam jure civili, de quo hîc non disputamus) ab illis definitur; quod natura omnia animantia docuit; quo referunt maris & fœminæ conjunctionem, liberorum procreationem & educationem, se ipsum diligere, sese*
con-

conservare, declinare ea, quæ nocitura videntur, vim vi repellere, & similia; quod jus naturale appellant *primævum* seu *primarium*: in quo tamen agnoscunt se valde aburi vocabulo *juris*, cum illa enumerata sint potius affectus, & inclinationes naturales, quæ cum quibusque animantibus enascuntur, quas Philosophi *σοφίας φυσικᾶς* appellant: nam cum in brutis nulla sit ratio, nec etiam ullum jus esse potest, quamvis prædicta *juris naturalis* definitio ab aliis sano sensu explicari soleat. Quare *jus naturale* (homini sc. tale: de jure enim Deo naturali, de quo Voet. *de jure & justitia Dei*, hic non sagimus) rectius ab iisdem definitur, quod ex instinctu naturæ rationalis omnibus hominibus inter se commune est. Seu brevius, dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda aut omittenda sunt; sive (ut non malè alibi Hobbes ipse) quod Deus omnibus hominibus patefecit per verbum suum æternum ipsis innatum, nîm. *rationem naturalem*. c. 14. a. 4. Et sic Cicero *jus naturale* definit, quod sit ratio summa insita à naturâ, quæ jubcat ea, quæ faciendâ sunt, prohibeatque contraria. l. 1. de Legib. Atque hoc *jus naturale secundarium*, & *gentium primævum* appellari solet; sc. quatenus reliquæ sunt naturæ primævæ necdum à lapsu depravatæ, quæ pertinent, Religio erga Deum; amor parentum, patriæ; obligatio ad antiodota; servare pacta, stare promissis; neminem ledere, & similia. *Jus gentium* vero (strictè dictum, seu *secundarium*) defini solet, quod ex consensu populorum illis omnibus, aut fere omnibus commune est. Huc pertinent dominia; contractus, bella, fœdera, constitutiones Civitatum, &c. Hoc *jus* Livius *humanum* vocat, non quod nullo modo *naturale* sit, sed quod maxima hominum pars illud receperit; appellatur *jus gentium secundarium* eò, quod *jus naturale secundarium*, seu *gentium primævum* secutum sit:

hoc enim *jus gentium* non lege naturali ab initio, ac ultro judicante ratione ita fuit, sed usu exigente; ex humani convictus necessitate, discursu quodam practico rationis introductum est, ut loquitur Mynsing. *ad Institut. l. 1. tit. de jure & just.* Hoc ergo jus per se distinctam speciem juris non facit; sed aliàs ad *jus naturale*, alias ad *jus civile* refertur, ut monet idem Jurisconf. *Ibid.* item Amel. *cas. l. 5. c. 1.* Becan. *Theol. Schol. Tract. de Legib. c. 3. q. 1.* Quin Hobbes ipse, *legem naturalem dividi posse*, ait, *innaturalem hominum, quæ sola obtinet dici Lex nature, & naturalem civitatum, quæ dici potest Lex gentium; vidgo autem jus gentium appellatur.* c. 14. a. 4. Unde dico; si qui sunt, qui *legem naturalem* definiunt per *consensum omnium, vel sapientissimarum, vel eruditissimarum gentium; vel per consensum totius generis humani* (quos tamen ignoro, nisi quod Arist. virtutis regulam ponere videatur in judicio virotum prudentum, quatenus medium virtutis in quâlibet actione viri prudentis consilio docet definiendum esse; verùm hoc commodè, & menti Arist. consentaneè exponunt illius interpretes; nim. non hoc ita intelligendum esse, ac si in quâlibet actione viri prudentis consilium foret expectandum; sed ut indicetur; modum cujuslibet actionis, rectæ rationis dictamine, quam prudentes semper sequuntur, definiendum esse: sic enim se explicat Arist. ubi *prudentiam*, hoc est, rectam rationem normam statuit actionum moralium; *Eth. 6. c. 5.* & *virtutem* docet non solum rectæ rationi consentaneum, sed etiam cum rectâ ratione conjunctum habitum esse. *Eth. 6. c. 3.* Quin imo *prudencia* ipsi est veluti *ἀρχιτεκτων* cæterarum virtutum: *ut enim ipsa præscripserit, ita virtutes, & qui iis præditi sunt agunt.* l. 1. Mag. Moral. c. 35.) illos, inquam, aut per *legem naturalem* intellexisse

lexisse *jus gentium secundarium*, sive *jus gentium* strictè dictum, ut ex defn. *juris gentium* patescit; aut hoc pacto non voluisse definire *legem naturalem*, sed tantum à posteriori probarè, aliquid factum esse contra *legem naturalem*: quia factum est contra consensum omnium &c. prout Hobbes ipse hic non obscure agnoscit, dicens; *si quis quid factum dicat contra legem naturalem ex eo probat alius, quod contra consensum &c.* Nec præter rationem temerè ita concludunt; non enim credibile est, illud non esse rationi consentaneum, aut ab instinctu rationis naturalis non proficisci, quod omnium gentium & hominum consensu receptum & comprobatum est, juxta illud Hesiodi; *non etenim penitus vana est sententia, multi quam populi celebrant*; & juxta Heraclitum, τὰ κοινῆ φαινόμενα πῖσα; quocirca & inde *jus natura* meritò colligit Cicero; *in re, inquit, consensus omnium gentium jus natura putanda est.* Et dicere solitus fuit Socrates; *quod ab omnibus gentibus observatum est, id non nisi à Deo sancitum esse*; apud Xenoph. *de facris, & dictis Socr.*

Sed, inquit, non decetur, quis de sapientia, eruditione, & moribus omnium gentium judicabit. Resp. Quasi non unusquisque, qui qualicunque ratione & judicio pollet, ex historiis, experientiâ, aliorumque instructione eâ de re non facile judicare possit; atque ubi de consensu illo constat, non rectè colligeret, aliquid factum esse contra *legem naturalem*, quod factum sit contra illum consensum.

Sed, ait, probare aliquid esse contra legem naturalem, quod factum sit contra consensum totius generis humani, nullo modo recipiendum est. Quare? quia, inquit, alioquin impossibile esset cuiquam, exceptis infantibus & mente captis, contra *legem naturalem*

peccare. Nam, inquit porro, voce illâ (*genus humanum*) comprehendunt certè omnes homines ratione actu utentes: illi igitur contra eam vel non faciunt, vel faciunt non consentientes, ideoque excusandi sunt.

Resp. 1. Quasi aliquis in rectam rationem consentiens, contra illam facere non possèt; sive nemo peccare possèt contra conscientiam: notum est illud Medex; *video meliora proboque; deteriora sequor.* Vide etiam Rom. I. 32. & 7. 16. aut excusandus esset, qui ratione actu utens, in id quod ratio recta dicit non consentiens, contra eam facit: quin *in ipsa ratiocinatione falsa, sive in stultitia hominum officia sua erga alios homines ad conservationem propriam non videndum*, hïc ipse Hobbesius in annot. ad hunc art. omnem statuit consistere legum naturalium violationem.

2. Voce quidem illa (*genus humanum*) comprehenduntur omnes homines; sed non omnes & singuli, sed omnes indefinitè intelligi debent: nam ut rectè monet Arist. I. Pol. 5. *Quid naturale sit spectandum in his, quæ benè secundum naturam se habent, non in depravatis.*

Urget denique, quod iniquum sit, naturæ leges ab eorum consensu recipere, qui eas violant sæpius, quam observant; & non rarò accidere, totos populos summo consensu & contentione ea agere, quæ Scriptores illi contra legem naturalem esse libentissimè confitentur. Resp. verbis Andron. Rhodii; apud homines rectâ sanaque mente præditos immutabile est jus illud naturæ, quod dicitur; quod si his, qui morbido sunt distractoque ingenio, aliter videatur, nihil id ad rem pertinet: nam nec mentitur, qui mel dulce esse dicit, ideo quod ægrotis aliter videatur: nam (ut rectè etiam monet Porphyrius) quædam nationes efferatæ sunt, factæ in humanæ, ex quibus non oportet ab æquis iudicibus estimatione factâ humanæ naturæ convitium fieri.

fieri. Quibus consonum est illud monitum Chryso-
 (in Orat. Christum esse Deum,) ne ergo rerum dijudi-
 cationem ab illis mutuare, quibus corruptus est ani-
 mus.

Sed ille quo argumento probat suam, quam supra
 exhibuimus, definitionem legis naturalis? *Injuriâ*,
 inquit, *factum dicimus, quod rectæ rationi repugnat;*
at quod injuriâ factum est, contra legem aliquam fieri
dicimus; ergo lex est quædam recta ratio, quæ (cum
non minus sit pars naturæ humanæ, quam quælibet
alia facultas vel affectus animi) naturalis quoque di-
citur. Est igitur lex naturalis, ut eam definiam, Di-
ctamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omit-
tenda sunt ad vitæ membrorumque conservationem,
quantum fieri potest, diuturnam.

En demonstrationem tanto Philosopho dignam!
 quasi dicerem; peccatum dicimus, quod legi alicui
 repugnat, at quod peccatum est, contra Deum fieri
 dicimus; ergo Deus est quædam lex. Vel sic; in-
 juriâ factum dicimus, quod rectæ rationi repugnat;
 at quod injuriâ factum est, aut contra Deum, aut
 hominem aliquem fieri dicimus (c. 3. a. 4. in annot.)
 ergo Deus, aut homo aliquis, est quædam recta ra-
 tio. Rursus; quod homini non est innatum & con-
 natum, illud esse nequit pars naturæ humanæ; sed
 secundum Hobbesium ratio non est nobiscum nata
 (Lev. c. 4. p. 23.) ergo secundum Hobbesium ratio
 dici non potest pars naturæ humanæ. Et cum alibi
 non male *rationem naturalem* ipse dicat esse *verbum*
Dei æternum hominibus innatum. c. 14. a. 4. cur non
 efficacius idem demonstravit hoc pacto? *Verbum Dei,*
 hoc vel illud nobis aut agendum aut omittendum præ-
 cipiens, est *lex;* aut ratio naturalis est tale *Verbum*
Dei. Et cum hoc *Verbum Dei nobis innatum* sit,
 rectè *lex naturalis* appellatur. Et quis ferat Philoso-

phum in conclusione inferentem, quod nullo modo fuit in præmissis: nam quamvis inde sequeretur; *legem naturalem esse dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda sunt*; quod nemo negat; minimè tamen, quod in definitione legis naturalis superaddit; *ad vitæ membrorumque conservationem (quantum fieri potest) diuturnam*; tanquam per se notum præsupponens, conservationem propriam, seu *φιλανθίαν*, mensuram esse & normam, seu fundamentum primum omnis juris naturalis, & actionum moralium. Deo quo fusè disputavimus *ad art. 7. c. 1. supra cap. 17.*

Ad verba (*rectæ rationis*) annotat; *per rectam rationem in statu hominum naturali se intelligere non, ut multi, facultatem infallibilem, sed ratiocinandi actum, id est, ratiocinationem uniuscujusque propriam & veram circa actiones suas; propriam, inquit: quia in Civitate ipsius Civitatis ratio (hoc est lex civilis) à singulis civibus pro rectâ habenda est.*

Quasi non ipsa etiam prima principia practica, quæ absque ratiocinatione immediatè, solis intellectis terminis, percipiuntur à ratione humanâ, essent dictamina rationis naturalis, siue leges naturales. Verùm Ille unicum tantum statuit principium in genere moris; nempe *conservationem vitæ uniuscujusque siue*, quod non *legem* esse vult, sed *jus*; de quo *supra cap. 17. ad 4. 7.*

Fatemur, ratiocinandi actum hoc loco rectè intelligi, sed quidni etiam ipsa facultas ratiocinandi hic intelligatur? an quia vim legis non habet, quod non actu cognoscitur? an vero quia illa facultas in homine non est infallibilis? prius dici non potest: quia nulla lex vim suam amittit, quod homo dormiens, vel aliud agens, de eâ actu non cogitet; ergo nec lex naturalis unquam desinit esse lex, quod actu

ratio-

ratiocinandi non semper menti humanæ obijciatur; sufficit homini inesse facultatem, qua illam actu elicere aptus natus est. *Thom. sum. 12æ q. 94. a. 1. Amef. cas. c. 2. lib. 1.* Si posterius dicas, tum Hobbefio oppono Cartesium, qui rationem humanam docet falli non posse; sed omnem errorem à libertatis voluntatis proficisci, *Brinc. Phil. part. 1. §. 26.* Et si non infallibilis est facultas ratiocinandi, tum nec infallibilis est ratiocinandi actus, neque etiam ipsius Civitatis ratio; proinde ob eandem rationem nec ratiocinandi actus, nec ipsius etiam Civitatis ratio vim legis habere possent. Ratione conclusionum omnium practicarum ratiocinandi facultas non quidem planè infallibilis est; nunquam tamen fallitur, aut falli potest in notionibus communibus, seu primis principiis practicis, qualia sunt; *bonum esse faciendum, malum fugiendum; Deum esse colendum; quod fieri tibi non vis, id ne feceris ulli, & similia.* Et quoad conclusiones argumentando ex illis principiis derivatas non magis infallibilis est ratiocinandi actus, quam facultas. Fatemur etiam, *Leges naturales esse ratiocinationem uniuscujusque veram & propriam;* Verum hinc sequitur, aut homines in statu civili non omne suum judicium circa agenda & omittenda in imperantes suos transfuisse; adeoque non semper in Civitate ipsius Civitatis rationem à singulis civibus pro rectâ habendam esse cæcâ obedientiâ; aut nullam legem naturalem subditis reliquam esse in statu Civitatis, ut ubi unusquisque omnem ratiocinationem suam propriam circa agenda & omittenda abdicare cogitur, & privativè transferre in imperantes; nam imperantium ratiocinatio circa agenda & omittenda subditis promulgata (omnium consensu, atque hic ipso fatente) respectu subditorum lex civilis est, non lex naturalis.

EXERCITATIO II.

ad Art. 2. ejusdem cap.

An prima & fundamentalis lex natura sit; quærendam esse pacem, ubi haberi potest, ubi non potest, quærenda esse belli auxilia?

Hanc legem naturæ esse, ait: quia dicitur ratio naturalis, illud necessarium esse ad conservationem sui. Primam autem: quia cætera sunt ab hac derivata; præcipiuntque vias vel pacis, vel defensionis acquirendæ. Cap. 4. a. 3. hanc ait summam esse legis Divinæ.

Hæc Philosophi doctrina de lege naturæ fundamentalis, quamvis primâ specie *δις διὰ πασῶν* ab impurissimâ Machiavelli doctrinâ distare videatur, qui civiles dissensiones Principi tanquam utiles & bonas commendat; penitus tamen introspecta ne latum quidem unguem ab illâ distare constabit; nisi quod hic omnia tecta magis sint, & speciosa videantur: Nam illud de *quærenda pace* non vult esse primam & fundamentalem legem naturæ unicuique simpliciter & absolute, tum inter se & alios, tum inter alios quoscunque; idque non tantum in ordine ad conservationem sui, sed & quorumvis aliorum; verum eatenus tantum quatenus à conservatione & utilitate propria suaderetur, ut sola conservatio sui, sive utilitas uniuscujusque propria sit mensura quærendæ pacis: nam disertè docet, illam esse legem naturalem; quia ratio naturalis dicitur, illud necessarium esse ad conservationem sui. Quocirca si dissensiones & discordiæ civiles imperanti ad privatam suam potentiam & gloriam magis expedire videantur, quàm pax & concordia,

tum

tum per hanc Hobbesianam legem naturæ fundamentalem obligabitur imperans, posthabito studio pacis & concordia civilis, privata suæ potentia & gloria conservanda ac promovenda causâ discordias & dissensiones occultè inter cives sibi subjectos excitare & alere. Quin etiam privatus unusquisque sui commodi causâ juxta hanc legem naturæ fundamentalem prudenter, dummodo possit, Reipubl. pacem disturbabit, ac seditiones & discordias tum adversus Imperantem, tum adversus sese mutuo inter concives molietur. Nam non simpliciter docet, *legem naturæ fundamentalem* dictare, *pacem esse quaerendam*, sed demum *ubi haberi illa potest*, hoc est, quando me iudice illa mihi utilior est, magisque expedit ad conservationem vitæ meæ, quam *bellum*; ubi vero *pax* ita haberi non potest, tum dictare mihi legem naturæ fundamentalem, *quaerenda esse belli auxilia qualiacunque*. Quæ doctrina an in Civitate ferri debeat, videant Magistratus.

Quin imo si lex naturæ fundamentalis præcipiat non minus *vias defensionis*, ubi pax haberi nequit, quam *pacis acquirendæ*, ubi haberi potest; cum vias defensionis statuatur *vim & dolum, ferinam rapacitatem, quidlibet agere in quemlibet*, in Epist. dedic. Tract. de Cive præmissâ, & a. 10. c. 1. sequitur legem naturæ fundamentalem non minus in statu naturali præcipere *vim & dolum, ferinam rapacitatem, quidlibet agere in quemlibet, occidere, rapere, scortari, fallere, pejcrare &c.* quam ab iis abstinere in statu civili. Proinde *vis & dolus, ferina rapacitas, quidlibet facere in quemlibet, &c.* licita essent non tantum jure naturæ in statu naturali; verum etiam (si credere fas est) à lege naturæ fundamentali præcepta. Unde non intelligo. I. Quî statuatur, *jus & legem differre ut contraria*, ut lex vinculum, jus libertas sit: cum illa
omnia,

omnia, quæ alibi jure facta dicit, hic non obscure præcepta esse doceat a lege naturali. 2. Cur non statuat potius legem naturæ fundamentalem, *seipsum conservare*, quam *pacem quærere*, aut *sui defensionem*. 3. Qui etiam bonitatem actionum moralium statuat magis consistere in eo, quod sint in ordine ad pacem; quam quod sint in ordine ad sui defensionem. c. 3. art. 32. Et cum lex naturæ sit lex Divina, per art. 1. c. 4. & lex naturæ Hobbesiana abominanda illa præcipiat, sequitur eadem illa Deum ipsum præcipere faciendâ in statu naturali; quod horrendum, blasphemum, & à sanctissima Dei natura maximè alienum. *Certe non es Deus, qui delectetur improbitate, non commoratur apud te malus. Non consistunt insani è regione oculorum tuorum, odisti omnes qui operam dant iniquitati. Perdis loquentes mendacium; virum sanguinarium & dolosum abominatur Jehova.* Psal. 5. 5, 6, 7. Quocirca hæc Hobbesiana de *Lege naturæ fundamentali* doctrina non tantum perniciofa est humano generi; sed & blasphemâ in Divinam Majest.

Præterea *belli auxilia* in statu naturæ absque pacto siye *pace* cum aliis acquiri non possunt; quare hæc duo (*pacem quærere*, aut *belli auxilia*) hic malè videntur unum alteri opponi, & sic disjunctivè proponi. Quin natura rationalis dictans *studium pacis*, dictat *bellum fugiendum esse*; quare belli auxilia quærere, nisi pacis conservandæ gratia, est contra dictamen rationis naturalis. Hinc Salust. ait, *Sapientes pacis causa bellum gerere*; Et August. *Bellum gerendum esse, ut pax acquiratur*. Unde belli auxilia quærere paci quærendæ subordinari, non opponi debebat.

Neque vitæ propriæ conservatio adæquata esse debet & unica ratio quærendæ pacis: nam paci operam dare debemus non tantum ut vivamus, sed imprimis ut justè, honestè & sanctè vivamus. Heb. 12. 14. Ps. 85.

v. 11. etenim finis pacis ac societatis civilis unus idemque est: nam ut status extra societatem civilem est bellum, ita contra status civilis est status pacis; ast societatis civilis finis est non tantum conservatio uniuscujusque propria; aut salus publica; verum etiam publica honestas, ut nempe iustitia universalis, seu omnium virtutum chorus in Civitatem introducatur, atque ut scandala, & alia vitia prohibeantur, impediuntur, & puniantur: ut rectè *Besold. ex Arist. Syn. Pol. in præcogn. sive* (ut Apost. loquitur) *ut placidam ac quietam vitam degamus cum omni pietate atque honestate.* i Tim. 2. 2.

Naturam dictare *querendam esse pacem*, & nos agnoscimus, & profiteamur (*pacem nempe quæ est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas*, ut eam definit *Cassiod. in Ps.* nam concordia in malo est conspiratio contra Deum) *ed quippe in rebus creatis nihil gratiosius solet audiri, vel delectabilius concupisci, & nihil utilius possideri.* August. de Civit. Dei. Et juxta *Cicer. Dulce est nomen pacis; res vero ipsa tum juvenda, tum salutaris.* Verùm, hanc esse summam legis Divinæ, seu legem naturæ primam & fundamentalem; quod cæteræ sint ab hac derivatæ, præcipiantque vias vel pacis vel defensionis; adeo quidem ut bonitas moralis omnium actionum humanarum in eo consistat; quod sint in ordine ad pacem; malitia quod sint in ordine ad discordiam, Art. 32. c. 3. negamus.

Nam Servator noster summam legis Divinæ complectitur, non *pace querenda, aut sui defensione*, propter necessariam vitæ suæ membrorumque conservacionem; sed amore Dei & proximi. *Matt. 22. 36.* Similiter *Apost. Rom. 13. 8. Qui diligit alterum legem implevit.* Item *1 Tim. 1. 5. Gal. 5.* Et alibi trito illo; *Quod fieri tibi non vis, id ne feceris alli.* *Matt. 7. 12.* de quo præcepto *Lactant. affirmat, quod sit radix justitiæ, & omne*

omne fundamentum æquitatis. in Epit. c. 13. Ast illud de pace quærenda, vel *sui defensione* ob sui conservacionem, ab hoc longè diversum est: illud enim nos dirigit in ordine ad nos ipsos, hoc in ordine ad alios; illud intendit proprium, hoc præcipuè alterius commodum. Neque lex de *amore proximi* ab hac de *pace quærenda, aut sui defensione* derivatur; sed contra lex de *quærenda pace vel defensione* à lege de *Charitate*: propterea enim pax quærenda, fugiendum bellum, quia proximum obligamur diligere sicut nos ipsos, & bellum non minus alterius, quam mei ipsius salutem contrarium est; pax autem utilis, & juxta monitum Apost. *Quærere debemus non tantum quæ nostra, sed & quæ alterius sunt.* Phil. 2. 1 Cor. 13. 4--7. Cæterum si omnium primum & generale principium practicum, & legum naturalium quæramus, quod ita se habet ad omnes conclusiones practicas; sicut hoc principium theoreticum (*Impossibile est, idem simul esse & non esse*) se habet ad omnes conclusiones theoreticas, erit illud; *Bonum esse prosequendum, malum fugiendum*: sicut enim primum objectum intellectus est ens quæ verum; ita primum objectum voluntatis est ens quæ bonum; ergo prout principium theoreticum, quo intellectus dirigitur, fundari debet in ente quæ vero; ita primum principium practicum quo voluntas dirigitur, fundari debet in ente quæ bono. *Thom. 12æ. q. 4. a. 2. & ex eo Becan. Theol. Schol. Tract. de legib. c. 3. q. 2.* idem confirmant varia S. Script. loca. *Psal. 34. v. 15. Ies. 1. vers. 16, 17. Psal. 37. vers. 27. Amos 5. v. 15. Rom. 12. vers. 9.* quibus omnia hominis officia summam in vitando malo, & prosequendo bono contineri ostenditur Si porro quæras, quodnam illud bonum sit prosequendum, & malum fugiendum? respondemus; illud vel respicere Deum, estque cultus Divinæ *ἁπορχῆ* consentaneus; vel nosmetipsos, estque

estque conservatio nostri, seu φιλαυτία; vel denique proximum, estque φιλία sive amor. *Hoornb. Theol. pract. l. 9. c. 20.* nec diligendus est Deus, aut proximus ex φιλαυτία, nostri tantum boni causâ (ut Ille passim statuit) neque enim hæc foret dilectio Dei aut proximi, sed sui ipsius, sed boni alterius causâ, quem diligimus, cujus etiam bono nonnunquam propriam vitam debemus postponere. *Joh. 15. 12, 13.* Ergo paci opera danda, non tantum quatenus medium est ad conservationem propriam; verum etiam imprimis propter gloriam Dei, tum etiam ut bene sit aliis, præstatque mori, quam conservandi sui causâ pacem affectare, quæ cum contumeliâ in Deum, & aliorum pernitie temporali & æterna conjuncta est. Unde Nazianz. in orat. de pace; *Melior est contentio pietatis causa suscepta, quam vitiosa concordia.* Unde pacem sectari jubemur non absolute & simpliciter; sed si fieri potest, salva sc. pietate in Deum, & justitia erga proximum, & quantum in nobis est. *Rom. 12. v. 18.* Vide etiam *Rom. 14. 19. Hebr. 12. 14. Hos. 2. v. 2. Deut. 33. 9. Jer. 15. 10. Nehem. 13. 11, 25. 1 Sam. 12. 7. Matth. 10. 34.* Falsum ergo, legem naturalem de pace quærenda esse primam, quod cæteræ sint ab eâ derivatæ, ipsa vero à nullâ aliâ priore: multæ sunt enim leges naturales quæ à pace quærenda, aut sui defensione derivari non possunt; v. g. *sexta illa* (quam tradit c. 3. a. 11.) *de pænis*, quod futurum tantum spectare debeant; & *vicesima de ebrietate & crapula*, quam ipse contra legem naturalem esse demonstrat non ex eo, quod sit contra pacem, sed quod rationis usum impediatur, *art. 25. c. 3.* & legem naturalem de *temperantia & fortitudine* ipse docet non ab hac lege fundamentali de pace quærenda; sed immediatè à jure fundamentali de sui conservatione derivari; c. 3. a. 32. Quin ipsi etiam Diaboli, & homines nequam pacem

inter

inter se colunt ; & inedia ad pacem accuratè observant pro Regno suo. *Matth.* 12. 26. *Pf.* 83. 6. An illa lex naturæ prima & fundamentalis dici mereatur , quæ nudè spectata accuratius observatur ab ipsis Diabolis , eorumque ministris , quam unquam observata fuit , aut observari debuit ab ipsis sanctis Dei viris. 1 *Reg.* 18. v. 17. & 22. v. 8. *Matth.* 10. 34, 35. *Luc.* 23. v. 5. *Gal.* 2. Atque in progressu de singulis quibusdam (quas enumerat *hoc c.* 2. & 3.) legibus naturæ demonstramus , quod earum bonitas moralis à lege hæc (de pace quærenda) derivari non possit. Denique si vitam suam & inembra tueri non est fundamentum primum & mensura omnis juris (ut demonstravimus *cap.* 17. ad e. 7. c. 1. de *Civitate*) multò minus prima & fundamentalis lex naturæ esse potest , *sui conservandi causa pacem quærere , aut sui defensionem.*

Quæ objicit (c. 4. a. 3.) loca S. Script. illa aut simpliciter tantum pacem commendant ; ut *Matt.* 5. 9. *Pf.* 34. 15. vel loquuntur de pace spirituali ; nempe reconciliationis nostri cum Deo , & interma conscientiarum fidelium per Christum ; ut *Hebr.* 7. 1, 2. *Es.* 9. 6, 7. & 52. 7. *Luc.* 2. 14. *Es.* 53. 6. *Mich.* 5. v. 5. aut significant , phrasi Hebræis usitata , omnis generis benedictiones , ut *Prov.* 3. v. 1. Speciatim *Rom.* 3. v. 17. & *Ies.* 59. 8. (& *viam pacis non cognoverunt*) dato ibi intelligi pacem civilem , non magis inde concludas justitiam esse viam ad pacem , quam pacem esse viam ad justitiam , juxta 1 *Tim.* 2. 2. Nec probandum erat , legem naturæ fundamentalem esse , *quærendam esse pacem ; sed solum sui conservandi causa ; nec tantum quærendam esse pacem ; sed ubi haberi non potest , quærenda esse belli auxilia.* Quod multo minus illis locis probatur.

EXERCITATIO III.

Ad Art. 27. c. 3. de Cive.

*An leges naturales non obligent ad sui exercitium,
nisi quando secure præstari possunt?*

Non est, inquit, existimandum, naturâ, hoc est, ratione obligari homines ad exercitium legum naturalium in illo statu hominum, in quo non exercentur ab aliis. Interea nos obligari ait ad animum eas observandi, quodcumque ad finem, ad quem ordinantur, earum observatio conducere videbitur. Ideoque concludit, leges naturales semper & ubique obligare in foro interno, sive conscientia; non semper in foro externo; sed tum solummodo, cum secure id fieri potest.

Resp. I. Cum statuat, conservationem uniuscujusque propriam esse mensuram observationis legum naturalium, eamque postulare illarum violationem non minus in statu hominum naturali, in quo ab aliis non observantur, quam earum observationem in statu Civitatis; non capio, cur non dicat; in illo hominum statu naturâ, hoc est, ratione homines obligari non minus ad illas violandas actionibus externis, quàm ad easdem illo modo observandas in statu Civitatis; quin non obscure docet in annot. ad hunc art. En tibi ergo leges naturales, quas ratio naturalis jubet violare non minus actionibus externis in statu naturali, quam observare in statu Civitatis. Vel cum legem naturæ fundamentalem statuat, aut quærendam esse pacem, ubi haberi potest; aut si non potest haberi, sui defensionem; proinde rationem naturalem præcipere aut exercitium mediorem ad pacem; qualia sunt, *pacta servare, justum, gratum, misericordem, commo-*
Y
dam,

dum, æquum esse, ubi nempe pax obtineri potest; aut si illa haberi non potest, dictare rationem naturalem exercitium mediorum ad sui defensionem; nempe, vim, dolum, belluinam rapacitatem, occidere, mentiri, pejerare &c. non intelligo, cur non doceat, leges naturales semper & ubique obligare ad sui exercitium, nempe vel in mediis ad pacem; vel in mediis ad sui defensionem, prout pax aut haberi potest, aut non haberi. Et contradictio videtur; leges naturales semper & ubique obligare in foro interno, sive conscientiæ; & tamen aliquando non obligare ad sui exercitium; ac si diceret, nos semper & ubique iis obligari in conscientiæ foro, non tamen illas observare teneri; quod absurdè dicitur: nam obligatio legum in foro conscientiæ quid aliud est, quam earum observantia in foro conscientiæ debita? 2. Homines non obligari ad legum naturalium exercitium, nisi ubi securè præstari possunt, falsissimum dogma est, & à Religione Christianâ quàm maximè alienum: etenim leges naturales sunt leges Divinæ, per art. I. c. 4. verùm mentem supremi illius Legislatoris esse, etiam legibus suis homines obligare ad earum exercitium, quamvis illud securè præstari non possit, liquet ex eo, quod jubeat vitam nostram exponere pro gloriâ suâ, & nomine J. Christi. Matt. 10. 28, 39. & 16. 25, 26. Luc. 14. 26. Job. 12. 25. Act. 20. 24. & potius mori, quàm aliquid facere contra nostrum officium; Dan. 3. 18, 28. etiam, cum opus est, pro fratribus & amicis. 1 Job. 3. 16. quo nomine commendantur Zabulonitæ, Jud. 5. 18. Gideon, Ibid. 9. 17. Jephete, Ibid. 12. 13. David, 1 Sam. 19. 5. Esthera, Esth. 4. 16. Aquila & Priscilla. Rom. 16. 4. aliique, quod officium suum fecerint in eo, quod securè ab illis præstari minimè poterat, non facturi, si putassent, se non obligatos fuisse ad legum Divinarum exer-

exerc-

exercitium, nisi cum securè præstari possunt. Quò etiam facit, quod passim in Sacris prohibeamur à pietate & officio nostro recedere ob metum hominum; *Es.* 8. 12, 13. *I Petr.* 3. 14. *Matt.* 10. 26, 28, 31. quo nomine laudantur parentes Moïsis, quod contra *σοφῶν*, atque legem Divinam filium suum non interfecerint, quamvis illud securè omittere non poterant ob edictum Regis. *Hebr.* 11. 23. & ipse Moïses, quod officium suum non omiserit metu iræ atque indignationis ejusdem. *Ibid.* v. 27. Contra damnantur, qui magis homines timent, quam Deum. *Es.* 18. 12, 13. *Matt.* 10. 28. Merus ille, quo quis ob pericula imminencia abstinet à faciendo officio suo in eo, quod jubet Iex Divina, est *timor diffidentie*, qui certè nunquam locum habere posset, si nemo obligaretur ad exercitium ejus, quod, se judice, securè præstari non potest, *Es.* 8. 12. est ipsissima *δουλία*, vera *pusillanimitas*, fortitudini Christianæ, tantoperè in Sacris commendatæ, è diametro opposita. Huc etiam facit, quod docet S. Scriptura, illos, qui sapienter vitam instituunt juxta leges, atque justitiam exercent; Divinâ ope tutos fore, *Prov.* 3. 21--26. *Ies.* 51. 7. & 54. 14. & contrà malum, quod homines timent, ipsis evenire solere, cum illud evitare nituntur transgrediendo mandatum Dei. *Ies.* 6. 16. *Prov.* 1. 26, 27. *Es.* 66. 4. *Ezech.* 11. 8. Quin quandoque leges humanæ aliquid præcipiunt cum mortis periculo observandum; v. gr. de statione non deferendâ; *Grot. de I. b. pag.* 86. Præclare Seneca in *Epist.* *Hoc unum discas, vitam contempnere, nemo illam bene rexit, nisi qui contempserit: nulli potest securâ vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. Sapiens semper cogitat, qualis vita, non quanta sit: non enim vivere bonum est, sed bene vivere.* Et *Juven. Sat.* 8. v. 80.

— *Ambigua si quando citabere testis
 Incertaque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
 Falsus, & admoto dicet perjuriam Tauro;
 Summum crede nefas, animam præferre pudori;
 Et propter vitam vivendi perdere causas.*

Quod ait: *quamvis non obligemur ad exercitium legum naturalium, ubi secure id fieri non potest, interim tamen obligari ad animum eas observandi*, merus fucus est: nam qui obligemur ad animum observandi leges naturales in illo hominum statu, ubi ratio naturalis jubet eas actionibus externis violare? ubi ipsa legis observatio præcepta non est, ibi nec animus observandi illam præceptus esse potest: lex enim primariò sui observationem requirit, Deut. 4. 6. atque animum observandi: quia legum observatio voluntaria esse debet, & ex animo proficisci. Et si obligamur ad animum observandi leges naturales, quodocunque ad finem, ad quem ordinantur (nempe conservationem sui) earum observatio conducere videbitur, tum etiam dicendi sumus obligari ad animum eas violandi, quodocunque earum violatio ad conservationem nostri conducere videbitur; ergo in hâc Philosophia non magis obligamur ad animum observandi leges naturales, quam ad animum easdem violandi prout conservatio nostri vel earum observationem vel earum violationem postulare videbitur.

Obj. Quoniam plerique homines præ iniquo præsentis commodi appetitu prædictas leges, quamvis agnitas, observare minimè apti sunt, si fortè aliqui cæteris modestiores illam æquitatem, commoditatemque, quam ratio dicat, exercerent, cæteris non idem facientibus, nihil minus, quam rationem sequerentur. Neque enim
pacem,

pacem, sed certum & maturius exitium sibi compararent, cederentque observantes non observantibus in prædam.

Resp. Docuit ipse *Art. præc.* nihil cuivis scitu facilius esse, quam leges naturales unica hæc regula, ut cum dubitat, an id, quod facturum est, jure facturum sit naturali nec ne, putet se in alterius loco esse, juxta vulgatum; *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Jam unusquisque vult cæteros homines sibi præstare illam æquitatem commoditatemque, quam dicit ratio naturales; nemo vult alios homines sibi iniquos & incommodos esse; ergo juxta auream illam regulam unusquisque jure naturali unicuique alteri illam æquitatem, commoditatemque præstare tenetur. At si locum habet, quod ille contendit in objecto suo argumento, hoc est, si quis aliis hominibus *jure naturali* non præstet illam æquitatem commoditatemque, sed illis iniquus sit & incommodus; quia illi præ iniquo præsentis commodi appetitu illam æquitatem commoditatemque non præstant; tum non ex eo, quod quis ab aliis sibi fieri vult secundum rectam rationem, cognoscitur, quid jure naturali faciendum sit; sed contra ex eo, quod cæteri præ iniquo præsentis commodi appetitu faciunt contra rectam rationem. Non ergo tunc obtinebit illud; *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; sed contra: *quod tibi fieri vis, alteri ne feceris, si alter quod tibi fieri vis, tibi non fecerit; & quod tibi fieri non vis, id alteri feceris, si alter id tibi fecerit, quod tibi fieri non vis.* In his *ἠγορον ἰεῦδ*; *conservationem sui esse normam omnis juris & justè facti.* De quo vide *cap. 17. in Exerc. ad a. 7. c. 1. de Civ. pag. 230.*

Objicit etiam *c. 4. a. 20. Jes. 55. 7. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.* Et illud Ezech.

Ezech. 18. 31. *Projicite a vobis omnes pravaricationes vestras, in quibus pravaricati estis, & facite vobis cor novum: & quare moriemini, domus Israel?* Ex quibus concludit, non puniturum Deum facta eorum, quorum cor rectum est.

Resp. Renovationem quidem mentis internam exigunt loca citata; aut sufficere animum leges Divinas observandi, absque earundem exercitio quoad actiones externas, ubi securè observari non possunt, ne *ypò* quidem; imo contrarium potius: nam *Jes.* 55. 7. non postulat tantùm Deus, ut *derelinquat impius cogitationes suas*, verum etiam *viam suam*, & sic *ad Deum revertatur*; viam autem suam derelinquit impius, quando ipso facto peccata sua deserit, & praecepta Dei observat. Et *Ezech.* 18. 13. prae-
ter cor novum faciendum requirit Deus à domo Israelis, ut projiciant omnes pravaricationes suas, quibus pravaricati erant; quo certè ab ipsis postulat Deus, ut facto ipso deserant impietates suas, quas fecerant, & in praeceptis suis ambulent, *facientes jus & justitiam.* v. 27. Non ergo cor eorum rectum esse potest, quorum facta non sunt bona, quibusque ut securè vivant, leges Divinas violare quoad actiones externas, nulla religio est, quamvis cor suum rectum esse sibi persuadeant.

EXERCITATIO. IV.

Ad Art. 29. ejusdem cap.

An salvis Hobbessii hypothefibus leges naturae dici possint aeternae esse, atque immutabiles?

Leges naturae, inquit, immutabiles & aeternae sunt. Quod vetant nunquam licitum esse potest, quod jubens

*bent nunquam illicitum: nunquam enim superbia, ingrati-
tudo, pactorum violatio, inhumanitas, contume-
lia licitæ, nec contrariæ his virtutes illicitæ erunt.*
Hactenus benè; verum addit; quatenus pro animi
dispositionibus intelliguntur, hoc est, quatenus in foro
conscientiæ spectantur, ubi solum obligant, & sunt
leges.

Quasi *superbia, ingrati-
tudo, pactorum violatio,
inhumanitas, contumelia &c.* quandoque licitæ ef-
sent quoad actiones externas, & contrariæ his virtu-
tes illicitæ. Qui tum, inquam, mutabiles atque æter-
næ de his leges naturales dicendæ sunt magis propter
animi propositum; quam mutabiles propter actio-
nes externas? imo si mutabiles sunt ratione actio-
num externarum, etiam mutabiles erunt quoad ani-
mi propositum: nam omnis bonitas & malitia mo-
ralis, lege naturali præcepta aut vetita, prius ratio-
ne naturæ suæ est in actionibus externis, quam in
animi proposito, quamvis ordine existentia sit prius in
animi proposito: nam idcirco *velle suum cuique tri-
buere, pacta servare &c.* bonum est, quia ipsum *suum
cuique tribuere, pacta servare* bonum: *velle furari,
pacta violare* malum; quia ipsum *furari, pacta vio-
lare* malum est; non contrà *suum cuique tribuere &c.*
bonum est, quia bonum est *hoc velle*; & *furari* ma-
lum, quia *hoc velle* malum est. Si ergo quod vetant
leges naturæ; (*furari, pacta violare &c.*) aliquando
licitum esse potest quoad actiones externas, & quod
jubent (*suum unicuique tribuere, pacta servare &c.*)
illicitum; ergo tum etiam, quod vetant licitum fie-
ri potest, & quod jubent illicitum, quoad animi pro-
positum, sive quatenus (uti loquitur) in foro con-
scientiæ spectantur. Deinde docet etiam; *unum-
quemque ferri ad conservationem sui, & media ad eam
necessaria, necessitate non minore, quam lapis fertur*

deorsum, ut aliter (NB) velle facere non possumus; C. c. 4. a. 7. medium autem ad sui conservationem necessarium in statu naturæ, ubi leges naturales non observantur ab aliis, statuit esse legum illarum violationem quoad actiones externas, C. c. 1. a. 10. & 3. a. 27. quocirca in illo statu, ubi leges illæ non observantur ab aliis, aliter *velle facere non possumus*, quam illas leges violare. Quare aut in illo statu homines obligantur ad impossibile, quod ipse non admittit, C. c. 2. a. 14. aut negandum, leges naturales æternas esse & immutabiles etiam quoad *velle*, sive quoad *animi propositum*; non ergo, salvis Hobbesianis hypothesibus, leges naturales dici possunt æternæ esse & immutabiles; quod erat demonstrandum.

Obj. *Quod actiones ita diversificari possint circumstantiis, & lege civili, ut quæ uno tempore æquæ, alio iniquæ; quæ uno tempore cum ratione, alio contrariationem sint.*

Resp. Hoc verum est tantum de actionibus naturâ suâ indifferentibus, lege naturali neque præceptis, neque prohibitis; de reliquis falsum: nulla quippe circumstantia, aut lex civilis præstare potest, ut *pacti violatio, superbia, ingratitude, contumelia, furtum, falsum testimonium, & similia*, lege naturali prohibita, unquam fiant licita quoad actiones externas magis, quam quoad animi propositum.

EXERCITATIO V.

Ad Art. 30. ejusdem cap.

An valde faciles observatu sint Leges naturales?

Illas viribus naturæ non tantum faciles observatu esse contendit, sed valde faciles: quippe quæ conatum solum (sed verum & constansem) requirunt. Unde seditiosam esse clamat illam opinionem; Fidem & sanctitatem non studio & ratione acquiri, sed supernaturaliter infundi. C. c. 12. a. 6. & qui sic opinantur vocat Apostatas à ratione naturali, quorum numerum ait penè infinitum esse. Hinc scribit; homines ad pietatem, justitiam, misericordiam; veritatem, fidem, & virtutum genus omne, tum morale, tum intellectuale, non aliter à Deo disponi, quam per doctrinam, exemplum, aliasque vias naturales & quotidianas. L. c. 36. p. 200.

Unde patescit, in hâc Philosophia non tantum leges naturæ, quas cap. 2. & 3. recensuit, verum etiam omnia Dei præcepta, quin de ipsa etiam fide, quam Dei donum esse disertè testatur Apost. Phil. 1. 29. Eph. 2. 8. solis naturæ viribus valde facile ab hominibus observari posse.

Non huc usque procedunt gratiæ Divinæ hostes acerrimi Pelagiani, ac Sociniani, ut dicant, solis naturæ viribus leges Divinas quam facilè observari posse: nam quamvis olim statuerint Pelagiani, & hodie doceant Sociniani, per naturam leges Divinas ab hominibus impleri posse; Pelagiani tamen *catenus gratiam admiserunt*, quo *facilius possemus implere per gratiam*, quod *jubemur facere per liberum arbitrium*

triam, teste Grot. in Disq. ad Pelag. dogm. & teste August. lib. de grat. contra Cœlest. *predicabant possibilitatem naturæ gratiæ adjuvari*. Et Sociniani fatentur, attenuatas & exiguas esse vires arbitrii nostri ad bonum; quin ipse agnoscit Socinus; *pluribus hominibus parum virtutum inesse ad faciendâ, quæ præcipit Deus*. Prælect. c. 5.

Imo hic impietate superat multos gentiles Philosophos. In *Eth.* docet Arist. Actiones bonas ab hominibus præstari non posse, aut saltem difficulter, nisi facultates animi habitibus, quos crebris actionibus docet acquiri, sint instructæ. Et de *Felicitate hominis* disputans, quam in operatione animæ rationalis secundum optimam & perfectissimam virtutem in vitâ perfectâ sitam esse docet, *eam à Diis tradit descendere*. Et scribit Plato; *virtutes Numinis afflatu hominibus ingenerari*. Atque inter sententias Bian-tis refert Laërtius; *quicquid boni egeris, in Deos refer*; Lib. 1. de vit. Phil.

Veras leges naturales tam faciles observatu esse solis naturæ viribus, negat passim S. Scriptura. Sic Christus ait; *Secorsim à me nihil potestis facere*, Joh. 15. 5. & Apost. *Non quod idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis*. 2 Cor. 3. 5. Iterum Servator; *Non potest arbor mala fructus bonos ferre*. Matt. 7. 18. Homo per naturam est servus peccati, Rom. 6. 17. mortuus in peccatis, Eph. 2. 1. alienatus à vitâ Dei, mentem habens tenebris obscuratam, Eph. 4. 18. His adde Gen. 6. 5. & 8. 21. 1 Reg. 8. Luc. 10. 27. Joh. 3. 5, 6. Rom. 3. & 8. 3, 7. Tit. 3. 3. Quin etiam gentiles leges naturales cognoverunt, nec tamen observarunt, Rom. 1. 19. & 2. quod mirum, si tam facile observari possunt. Etiam ipse alibi, *in Dei manibus esse*, scribit, *corda omnium hominum, qui in illis operatur tum velle, tum facere; & sine*

Et sine cuius gratiâ liberè nemo habet neque inclinationem ad bonum, neque resipiscentiam à malo. Lev. c. 44. p. 300. rursus: plerisque homines, præ iniquo presentis commodi appetitu, leges naturales, quamvis agnitas, observare minimè aptos esse. de C. c. 3. a. 27. Qui leges naturales adeo faciles sunt observatu, si nemo sine gratiâ Dei habet neque inclinationem ad bonum, neque resipiscentiam à malo; & si plerique homines illas observare minimè apti sunt? Veras leges naturales obligare tantum ad velle, sive postulare tantum conatum verum & constantem, quod hujus Assertionis fundamentum est, non putavit S. Paulus, in se deplorans, quod velle quidem adesset sibi; sed non assequeretur, ut quod bonum est perficeret; quod non faceret bonum, quod vellet; sed malum, quod nollet. Rom. 7. 18, 19. Et quamvis leges illæ postularent tantum conatum verum & constantem, non tamen adeo faciles observatu essent: quia (ut liquet loc. cit.) natura humana est prorsus corrupta, & ad malum propensa. Verissimum quidem, eum qui toto conatu ad id tendit, ut omnes actiones suæ sint secundum præcepta naturæ, clarè ostendere, animum se habere leges eas omnes adimplendi; verum illud omne esse, ad quod obligamur (si per totum illum conatum intelligat non totum illum, quem lex requirit, sed quem à naturâ habere possumus) falsissimum est. Illud verum; qui totum id præstitit, ad quod obligatus erat, merito justum esse dici; sed id totum præstare, hoc opus hîc labor est.

Obj. Quod lex naturæ facilis observatu sit, declarat, inquit, Christus, Matth. II. 28, 29, 30. Venite ad me omnes qui laboratis &c. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Resp.

Resp. Sanè multò suavior & dulcior est vita, quæ secundum virtutem est, quam vita est impiorum in omnibus flagitiis & peccatis: nam *gravissima tributa pendunt, qui ambitioni, qui avaritia, qui libidini serviant*; unde rectè Chrysof. *Δυσκολώτερον ἢ κακία τῆς ἀρετῆς*. Quo respectu meritò dicit Christus, *jugum suum suave esse, & onus suum leve*: nam *quid à nobis exigit, quid præstari sibi à nobis jubet, nisi solum tantummodo fidem, castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem, quæ utique non onerant nos, sed ornant*? ut præclare ait Salvianus. Sed quis inde concludat, *leges naturales adeo faciles observatu esse solis naturæ viribus*? Sed per *jugum & onus suum* intelligit hic Servator non *legem simpliciter, sed Evangelium, quod fide constat, & obedientia novæ*; & quidem comparatè ad V. T. & ratione fidelium & regnitorum, quorum respectu *jugum & onus* illud Christi dicitur *suave & leve*; non quod naturæ viribus sit facile portatu; sed 1. quod hoc illis ejusmodi reddatur merito Christi, atque efficaciam Sp. S. 2. quod ipsi tenati lege Dei delectentur quoad interiorem hominem, Rom. 7. 22.

Πρώτον Ἰουδ. Ⓞ, *Homines natura malos non esse*; in præf. de C. contra allegata.

EXERCITATIO VI.

Ad Art. 33. ejusdem cap.

An natura, quas vocamus, Leges quæ tales propriè & accuratè loquendo sint Leges?

Non sunt, inquit, propriè loquendo leges, quatenus à natura procedunt; quatenus tamen eadem
in.

in Scripturis sacris latae sunt, legum nomine propriissime appellantur.

Resp. Si leges naturales per se non sunt proprie loquendo leges, aut est 1. quia non emanarunt ab eo, qui justam habet, & in vero Legislatore requisitam, potestatem & auctoritatem hominibus leges imponendi. Aut 2. quia leges illae non satis perspicue hominibus promulgatae sunt. Aut 3. quia non eum in finem à naturae Auctore mentibus hominum inditae sunt, ut norma essent & regula, cui omnes suas actiones conformarent. Aut 4. quia non annexas habent promissiones & comminationes ejusmodi, quibus satis efficaciter homines induci possint ad earum observationem. Aut 5. quia quae tales scriptae non sunt, ac proinde duntaxat proprie leges sunt, quatenus à Deo in S. Script. latae sunt. Horum *primum* dici non potest: quia leges illae naturales quae tales à Deo originem habent, *per a. I. c. 14. & a. 4. c. 14.* ideoque si homines aliqui justam habent potestatem leges ferendi, easque aliis hominibus imponendi, multò magis illam potestatem habet Deus, hominum omnium Creator & Rex, Judex totius terrae, *Gen. 18. 25.* unus ille Legislator, qui potest servare & perdere. *Jac. 4. 12.* & à quo solo omnes Principes mundi omnem suam leges condendi potestatem & auctoritatem habent, *Prov. 8. 15. Rom. 13. 1.* Nec alterum dici potest; cum ipse scribat, *Deum tam aperte hominibus declarasse leges illas per tacita rectae rationis dictamina, ut omnis tollatur ignorantiae excusatio. C. c. 15. a. 3.* Neque tertium: nam fatetur disertis verbis; *rationem, quae est ipsa lex naturae, immediatè à Deo unicuique pro suarum actionum regula tributam esse. C. c. 4. a. 1.* Nec quartum dici potest: quamvis enim ex naturam homines scire nequeant, Deum bonas ipsorum actiones præmio aliquo

aliquo remunerari velle, idque ex solâ revelatione supernaturali cognoscatur: quia Deus ex suâ naturâ ad illud non tenetur, *Luc. 17. 10. Rom. 11. 35.* Sciunt tamen ex justitiâ Dei, omnibus hominibus naturaliter notâ, se ob malas suas actiones dignos esse morte, *Rom. 1. 32.* Quâ poenâ ergo quî minus homines satis efficaciter absterreantur à legum naturalium transgressione, quam ulla poena, quâ ipsis ab hominibus infligi potest, illi absterrentur à transgressione legum civilium? Neque excipi potest, quod ultimo loco posuimus: quia ipse fatetur, *scriptionem non ad essentiam legis, sed solam recordationem necessariam esse. C. c. 14. a. 14.* Et cum ipsam S. Scripturam neget per se propriè legem esse, nisi talis facta sit à Civitate per leges civiles (*Vide cap. 4. Assert. 2. &c.*) quo jure, qua fronte hîc scripsit, *leges naturales per se leges non esse propriè loquendo; quatenus tamen à Deo in S. Script. latæ sunt, legum nomine propriissimè appellari:* nam quî leges naturales à S. Script. habere possunt, quod propriissimè leges appellantur, si ne ipsa quidem S. Script. per se vim legis habeat? Et docet Apost. leges naturales inscriptas esse hominum cordibus; *Rom. 2. 15.* Et si leges naturales tantùm propriè loquendo leges sunt, quatenus à Deo in S. Script. latæ sunt; tum gentiles, qui S. Scripturam nunquam habuerunt, propriè ac accuratè loquendo peccare non potuissent: nam ubi non est lex ibi non est peccatum; neque qui ante promulgationem legis à Deo in S. Scripturis vixerunt; v. gr. Cain occidens fratrem suum, *Gen. 4.* homines illi, qui in diluvio perierunt, *Gen. 6.* Sodomitæ; *Gen. 19. &c.* nec proinde à Deo poena propriè dicta puniri. Et longe melior fuisset fors & conditio Gentilium, quam olim fuit Judæorum, & hodie est Christianorum; ut quî habentes leges naturæ à Deo sibi latas in S. Script.

jam

jam peccare propriè & accurate loquendo possunt, & à Deo puniri; proinde non prærogativa fuisse Judæis, quod solis ipsis eloquia Dei fuerunt concedita; Rom. 3. 1, 2, 3. Ps. 147. 19. 20. Imo cum lex naturalis sit omnium aliarum legum fons & radix: quicquid enim justi aut honesti in ullis hominum decretis invenitur, à lege illâ naturali dimanavit, quæ idcirco *Lex primordialis* à Tertulliano appellatur; nisi lex illa per se propriè & accuratè loquendo lex appelletur, tum nullæ leges aliæ propriè & accurate loquendo leges appellari possent.

Obj. *Quod naturæ, quas vocamus, leges nihil aliud sint, quam conclusiones quædam ratione intellectæ de agendis & omittendis; lex autem propriè & accuratè loquendo sit oratio ejus, qui aliquid fieri vel non fieri aliis jure imperat; ergo &c.*

Resp. 1. Procul dubio etiam leges naturales sunt dictamina rationis, quæ immediate absque ratione intelliguntur; v. gr. *bonum esse faciendum, malum omittendum*, &c. unde male dicuntur leges naturæ nihil aliud esse, quam conclusiones quædam; sed in hâc Philosophiâ primum principium practicum est *conservatio sui*, quod hîc *ius* est, non *Lex*. Sed de hoc supra. 2. Et dictamen rationis naturalis est oratio Dei, supremi Legislatoris, qua intus in animis nostris loquitur, jureque imperat hoc vel illud à nobis fieri vel omitti; & hoc qui neget, qui sic ipse *legem naturalem* definit, quod sit ea, *quam Deus omnibus hominibus patefecit per verbum suum æternum, ipsis innatum, nimirum rationem naturalem?* C. c. 14. a. 4.

DISSERTATIUNCULA

de veris juris & legum naturalium principis.

Deum Opt. Max. existere, adeo evidens est non tantum homini Christiano ex S. Script. sed & cuivis homini ex ipsa natura, ut *quicumque Deum aut Numen non agnoscit, non tantum ratione carere, sed & sensu*, scribat Avicenna. Nam sicut, *impossibile est, idem simul esse & non esse; totum est majus sua parte; si equalia equalibus demas, reliqua sunt equalia; & similia*, principia per se nota dicuntur; quia sine demonstratione, solum intellectis terminis, non possunt non cognosci esse vera; ita *Ens infinite perfectum* (quod Deum appellamus) *existere, non minus cognoscendi, quam essendi; non minus in genere moris, quam in genere entis, omnium est primum principium per se notum, magis quam hoc, quod vulgo in genere entis statuitur primum principium; impossibile est, idem simul esse & non esse; & in genere moris illud; bonum faciendum, malum fugiendum esse; in cuius axiomatis assensum intellectis terminis (Deus, existere) non potest non ferri mens humana; ut cuius veritatis cognitio tam vividè atque efficaciter omnium hominum animis & conscientis est impressa, atque palam in toto hoc universo expressa, ut nulla in toto mundo natio inveniatur, aut gens tam immansueta, atque tam barbara, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est intra ipsos: Deus enim ipsis manifestum fecit. Ipsius enim invisibilia &c. Rom. 1. 19, 20. & v. 32. & 2. 14, 15. Quare non minus,*

minus, *Deum existere*, quam sese & hunc mundum existere, cuius homini notum esse potest.

Novi quidem Hobbesium (quicum hinc nobis res est) negare, hoc ab omnibus sciri posse lumine naturæ; nempe qui in voluptatibus, vel divitiis, vel honoribus perquirendis continuò sunt occupati; item qui rectè ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant. C. c. 14. a. 19. ann. Verùm quam falsum hoc sit, tum ex dictis liquet, tum quod ipse alibi, sui immemor, *imprimis manifestum esse*, scribat, *attribuendam esse Deo existentiam*. C. c. 15. a. 14. Et si hoc non sciunt multi homines, quia sunt in voluptatibus, divitiis &c. perquirendis continuò occupati (quamvis falsum sit) non tamen inde sequitur, illos scire hoc non posse: quia ipse alibi scribit; *spem, metum, iram, ambitionem, avaritiam, gloriam inanem, & ceteras perturbationes animi impedire, nequis leges naturales pro eo tempore, quo passiones illæ prævalent, cognoscere possit. Ceterum neminem esse, qui non aliquando sedato est animo. Eo igitur tempore nihil illi, quamvis indocto & rudi, scitum facilius esse, quam leges naturales*, C. c. 3. a. 26. Proinde, inquam, etiam hoc; *Deum existere*. Qui rectâ ratione uti non valent, stulti sunt; nos autem supponimus homines rectâ ratione uti valentes. Qui autem rectâ ratione uti neque solent, neque curant, illos tamen illâ uti posse, ipse supponit. Quare vel ex ipsa Adversarii confessione, hoc licet supponere; *omnes homines sanâ mente præditos, Deum existere, posse cognoscere*. Vide supra cap 12. ad Assert. 1.

Quisquis autem novit, *Deum existere*, ille ignorare non potest, *mundum & quicquid in eo est, ab ipso factum esse*. Nam cum in mundo multa continuò interire, atque alia de novo produci videamus, intelligitur in conceptu mundi existentiam necessariam, sicut in conceptu entis infinitè perfecti (Dei) non contineri;

Z

pro-

proinde mundum, atque omnia alia à Deo esse, & continuò dependere, tanquam à causa prima. In quo etiam Illum assentientem habemus: *Nam, inquit, per nomen illud (Deus) intelligitur mundi causa; dicentes autem mundum esse Deum, dicunt nullam ejus esse causam, hoc est, Deum non esse.* C. c. 15. a. 14.

Porro cum Deus sapientissimus sit; *mundum cateraque quæ in eo sunt, non ab ipso temerè, absque certo fine & scopo factum esse, non minus per se clarum ac evidens est.* Si enim (quod ajunt Philosophi) *natura nihil frustra agit; multò minus naturæ ipsius Author. Scopus autem & finis, quem Deus in condendo mundo sibi proposuit, procul dubio summum bonum est, hoc est, Deus ipse, seu gloria Divinæ Majest.* quem in finem etiamnum Deum mundum, atque omnia, quæ in eo sunt, providentiâ suâ potentissimè ac sapientissimè conservare & gubernare, dubitare non finit, quem in universo videmus, omnium rerum ordo perpetuus, & nunquam interruptus: nam si ille omnium rerum creaturum principium primum est, etiam earundem finem ultimum esse necesse est. *Prov. 16. 4. Rom. 11. 36. Apoc. 1. 8.* Neque hoc in dubium vocat Hobb. *Indignè enim de Deo sentire, statuit, qui otium Deo attribuentes, mundi generis que humani regimen ei auferunt; nam ut omnipotentem esse fateantur, si tamen inferiora hæc non curet, locum habet apud eos tritum illud; Quod supra nos nihil ad nos; cumque non sit, propter quod eum ament aut timeant, illis certè est, tanquam non existeret.* C. c. 15. a. 14.

Gloria autem Divinæ Maj. consistit in vera Dei agnitione: quamvis enim omnes aliæ creaturæ præter racionales, etiam suo modo enarrent gloriam Dei, quatenus in omnibus suis operibus manifestam fecit gloriam suæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis &c. atque hac ratione creaturis rationalibus suppeditavit materiam

riam ipsum glorificandi; solæ tamen creaturæ intellectu & voluntate præditi (Angeli & homines) Deum propriè loquendo glorificare possunt, hoc est, qualem se manifestavit; agnoscere; quam ob causam illas intellectu & voluntate donavit. *Gloria ergo Divinæ Maj. finis & scopus ultimus & primarius esse debet, quod creaturæ intellectuales in omnibus suis actionibus collimare debent*; hoc est, Deum omnibus modis, qualem se revelavit, agnoscere & celebrare. I Chron. 16. 24-29. Psal. 29. 1, 2. & 19. & 96. 7. Es. 42. 10, 11, 12. & 43. 21. I Cor. 6. 20. & 10. 31. Col. 3. 17. Quod adeo notum est lumine naturali, ut Apost. scribat, *Ethnicos esse inexcusabiles; propterea quod Deum cognoscentes, tamen ut Deum non glorificaverunt.* Rom. 1. 20, 21. & ipsi gentilium Philosophi, *supremum hominis finem, summum bonum, id est, Deum esse statuerint; cætera autem ad finem pertinere, finem non esse.* Quod idem neque ibi inficias, qui consequenter loqui velit, quod Noster scribit de C. c. 15. a. 9. &c.

Verùm cum non tantùm ex S. Script. sed etiam ex ipsa natura manifestum sit, dictetque unicuique ratio naturalis; Deum esse unum, æternum, invisibilem, infinitum, immortalem, immutabilem, summè sapientem; omniscium, omnipotentem, sanctissimum, benignissimum, clementissimum, summè bonum, misericordem, justum, veracem, fidelem, universi Rectorem potentissimum &c. (quæ fere omnia, quoniam Noster fateri videtur, Deo inesse, dictare rationem naturalem, operæ pretium non est hîc prolixè demonstrare) patet, *tum ab homine glorificari Deum, quando revera talis esse religiosè agnoscitur, & prædicatur, & omnibus modis, se illum talem agnoscere, revera ostendit.* Nempe, si illi credat, omnique fiduciâ & spe adhærescat; quia omnipotens, ubique præsens, omniscius, summè misericors & fidelis est. Ioh. 3. 33. Rom. 4. 20, 21. Ipsum diligit super

omnia; quia summum bonum. *Deut. 6. 5. & 11. 1. Psal. 116. 1.* Ipsum timeat, atque revereatur, omni humilitate atque observantiâ sese totum in omnibus ejus voluntati sanctissimæ subjiciat; quia universi Rector potentissimus, atque justissimus. *Ier. 5. 22. & 10. 6, 7.* Porro ipsum qualem agnoscit, atque agnoscere debet, ore laudet & prædicet. Omnibus denique cogitationibus, affectibus atque actionibus suis ipsi uniri, atque assimilari annitatur, *sanctitate, justitiâ, integritate, misericordiâ, bonitate, mansuetudine, veracitate, fidelitate*, cæterisque virtutibus moralibus, in quibus simul summa perfectio & felicitas hominis sita est, unde in Sacris monemur, *induere imaginem Dei, veritatem* nempe, *sanctitatem & justitiam*, *Eph. 4. 24. Col. 3. 10. Divinæ effici consortes naturæ. 2 Pet. 1. 4. esse sancti, misericordes, perfecti; sicut sanctus, misericors, atque perfectus est Deus, Pater ille cælestis. 1 Petr. 1. 15, 16. Luc. 6. 36. Matt. 5. 48. virtutes Dei prædicare. 1 Petr. 2. 9.* Omnium autem virtutum studio Deo adhærere, eique assimilari, esse Deum glorificare, passim inculcat S. Script. *Ies. 60. 21. Matt. 5. 16. Iob. 15. 8. Phil. 1. 11.* atque ex naturæ dictamine agnoverunt Philosophi gentiles. Hinc Plato, *Conjungi, inquit, atque assimilari Deo (qui omnis beatitudinis fastigium, meta, finis) summum hominum bonum est. Quamdiu, inquit Simplicius in Epict. anima hominis auctori suo firmiter adhæret, integra manet, & perfectionem à Creatore ingenitam retinet.* Et Jambl; *Quicquid faciendum, aut non faciendum tibi proponis, ad Divinitatem referri debet; non enim aliam ob causam tota hæc vita instituta est, quam ut Deum sequamur, cujus cognitio, virtus, sapientia, beatitudo absoluta, quæ reddit similem Diis.*

Quicumque igitur hoc non facit, ut quam maxime Creatori suo uniatur, eique assimiletur (quo illum
ab

ab homine glorificari, & in quo simul hominis summam perfectionem & felicitatem sitam esse demonstravimus) verum alium sibi scopum in actionibus suis proponit; tanquam primarium. v. gr. *conservationem suiduntaxat, sive vitæ & membrorum suorum*; atque ad finem illum obtinendum recedit ab imagine & similitudine Dei; nempe sui conservandi causâ, quilibet agit in quemlibet, quousque ad sui conservationem necessarium esse putat, occidit, rapit, mæchatur, mentitur, pactum non servat, &c. peccat contra id, quod rationem naturalem unicuique dictare demonstravimus (*Deum nempe Creatorem suum glorificare, sive omni studio ipsi adhærere, & in omnibus actionibus sese ipsi assimilare*) atque Deum contemnit. Proinde quoniam Deum esse *justum, bonum, misericordem, veracem, in pactis & promissis præstandis constantem & immutabilem*, dicitur ratio naturalis, patet sui conservandi causâ nemini jus & fas esse, contra quempiam hominem esse *injustum, crudelem, eum fallere, aut illi pactum non præstare*: quia est contra gloriam Dei.

Quocirca quis non videt, non tantum contra sanam rationem esse, *conservationem vitæ & membrorum suorum* statuere *normam & mensuram omnis juris & iuste facti*; adeoque leges naturales de *misericiordiâ, gratitudinè, pacto servando &c.* non obligare in foro externo, hoc est, ad actiones externas, nisi quatenus securè salvâ conservatione sui, sive vitæ & membrorum suorum, fieri potest (quod tamen totius Philosophiæ moralis Hobbessianæ fundamentum est, & primum principium omnis juris & legum naturalium) sed purum putum Atheismum esse, gloriæ Divinæ, atq; societati humanæ (quæ non tantum conservandi sui, sed præcipuè gloriæ Divinæ, omnium virtutum exercitio, inter homines propagandæ causâ, ut ex ante-dictis liquet, & Apost. docet I Tim. 2. 2. institui debet)

inimicum. Quod unum toti Philosophiæ Hobbesianæ morali evitendæ posset sufficere.

C A P U T XXI.

De Præceptis Decalogi in genere.

PRiori Decalogi tabula mandari Pietatem, seu cultum religiosum Divinæ Majest. secundâ Humanitatem, seu officium nostrum erga homines, & res ipsa loquitur, & Christus testatur, Matt. 22. 37. *Diliges Dominum Deum tuum &c. istud est primum, & magnum præceptum. Secundum simile huic; Diliges proximum tuum &c.* Omniaque Decalogi præcepta juris esse naturalis, universalis, æterni, atque immutabilis, docet idem Christus, Matt. 5. 18. *Usque dum præterierit cælum & terra, jota unum, aut apex unus nequaquam præterierit ex lege.* Intelligit legem Decalogi, tam prioris, quam posterioris tabulæ, ut cujus utriusque præcepta loc. cit. interpretatur, & asserit à corruptelis Phariseorum, ut liquet *vers. 33 — 37.* Denique quid furtum sit, homicidium, adulterium, falsum testimonium, ex S. Script. perfectè cognosci posse, docet Apost. 2 Tim. 3. 16. *Tota Script. Divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus:* nam perfectè instructus ad justitiam & omne opus bonum nemo esse potest, qui non novit, quid furtum sit, homicidium &c. Quid Ille?

I. *Judæorum Regis jus in Decalogi tabula prima contineri, docet Leviath. c. 30. p. 160.*

Quasi primæ tabulæ Decalogi præcepta solos Judæos

dæos non universum genus humanum obligarent; & Deus ibi loqueretur, non ut Rex universi generis humani, sed Judæorum tantum. Ait quidem; *Potestatis Dei absolutæ non modo ut Dei, sed etiam ut pacto Judæorum Regis jus in Decalogi tabula prima contineri; quasi agnosceret etiam primâ Decalogi tabulâ Ius Dei ut Regis universi generis humani contineri; verùm hoc ferre non potest, quod alibi de illius tabulæ præceptis scribit, Illa nempe ex eo solo obligare; quia Israëlita se ipsos ad obediendum Mosi obligaverunt his verbis; Loquere tu nobis, & audiemus, sed ne loquatur nobis Deus, ne moriamur; Vide Assert. seq.*

Resp. 1. Si solius Judæorum Regis jus in Decalogi tabulâ primâ continetur, quâ tum Gentiles, mutantes gloriam incorruptibilis Dei in simulacrum imaginis corruptibilis hominis, & venerantes res conditas præterito Creatore, ab Apost. dici potuerunt illa sua idololatria peccavisse contra primum & secundum præceptum Decalogi? *Rom. 1. 21, 25.* 2. Et cum Judæorum Regis jus ad alios homines non pertineat, & nunc Iudæi nullum Regem habeant; nisi in Decalogo Deus loqueretur ut Rex universi generis humani, tum præcepta prioris tabulæ hodie nullos homines obligarent. 3. Prioris tabulæ præcepta obligaverunt etiam ipsos Judæorum Reges, *Deut. 17. 20.* Non ergo Judæorum Regis, sed Regum omnium Regis, Dei omnipotentis, jus illa Decalogi tabula continetur. 4. Haud dubiè Judæorum Regis jus continebatur illâ lege, cujus exempla apud se habere jubebantur Reges Israël; ast Illi lex illa Decalogus non fuit, aut Decalogi tabula prima, quæ legitur *Deut. 5.* sed quam ait Mosén à Deo latis legibus in Horeb aliam superaddidisse, eamque haberi à *cap. 12. ad cap. 26. Deut. c. 42. p. 245.* 5. Denique ut omnium Regum, ita & Judæorum Regis jus Decalogi quinto præcepto continetur.

II. *Tabulæ secundæ leges docet, naturales, Divinæ & æternas esse, & per se obligare; tabulæ autem primæ leges obligare ex eo solo: quia populus seipso ad obediendum Moysi obligavit; his verbis: Loquere tu nobis & audiemus; sed ne loquatur nobis Deus, ne moriamur.*
L. c. 42. p. 244.

Quasi tabulæ primæ leges minus naturales, Divinæ & æternæ essent, & per se obligarent, quam tabulæ secundæ; & solos illos obligarent, qui dixerunt Moysi; *Loquere tu nobis, & audiemus;* & ex eo solo, quod sic obedientiam Moysi promiserant summam habenti supra illos potestatem civilem.

Resp. Quæ homini unicuique dicitur ratio naturalis, illa sunt juris naturalis, universalis, æterni, atque immutabilis, & per se vim obligandi habent: nam ideo hic Ipse scribit, tabulæ secundæ leges per se obligare omnes homines: quia leges sunt naturales, Divinæ & æternæ; sed quæ in Decalogi tabula prima imperantur, ea homini unicuique dicitur ratio naturalis: nam quod *primo præcepto* prohibetur, ne alium religiosè colamus præter unum illum verum Deum, universi mundi Creatorem & Regem, ex solo rationis dictamine scire potuerunt gentiles, quos ideo Apost. dicit esse *ἀναπολόγητος*, quod Deum ex creaturis agnoscentes, tamen ut Deum non glorificaverint, neque ei gratias egerint, *Rom. I. 21.* Et ipse docet, unicuique ex ratione naturali manifestum esse, *Deum existere, esse mundi Creatorem & Regem, nec uno plures esse Deos: quia plura infinita esse non possunt.* De Civ. c. 15. a. 14. Proinde cum etiam unicuique dicitur ratio naturalis, Deum esse honorandum & colendum, *per a. 8. ejusd. c.* sequitur, etiam unicuique dicitur rationem naturalem, solum religiosè colendum esse unum illum verum Deum, universi mundi Creatorem & Regem, quod ipsum primo Decalogi præcepto imperatum esse dixi-

diximus. Et quod *secundo præcepto* cavetur, ne Deum ulla imagine effigiemus, etiam ex rationis dictamine scire potuerunt Gentiles, quos ideo Idololatriæ reos facit Apost. Quod *mutarint gloriam incorruptibilis Dei in simulacrum imaginis incorruptibilis hominis &c.* Rom. I. v. 21. Quin ipse, *contra legem esse de cultu Dei naturalem*, fatetur, *Deo terminos assignare, idque facere, qui Deum colunt sub imagine.* C. c. 15. a. 14. & 18. in annot. Quodque *tertio præcepto* prohibetur, *ne nomen Dei temerè usurpemus*, tam manifestum est ratione naturali, ut ipse inter generalissima rationis præcepta quinto loco statuat; *de Deo consideratè loquendum esse; non esse utendum Dei nomine temerè; non esse jurandum, ubi non est opus.* Ibid. a. 15. Et quod de cultu publico *quarto præcepto* imperatur, *Deum non solum secretò, sed patam & publicè in conspectu hominum coli oportere*, ipse etiam ibidem septimum recenset præceptum rationis naturalis. Ergo cum illa, quæ in Decalogi tabula prima præcipiuntur, non minus unicuique hominì dicter ratio naturalis, quam quæ præcipiuntur legibus tabulæ secundæ; cur minus leges naturales, Divinæ & æternæ sunt præcepta prioris tabulæ; per se obligantes omnes hominès; quam præcepta posterioris? nam sanè illud; *Diliges Deum*, quæ summa est prioris tabulæ, non minus est juris naturalis, æterni & immutabilis, per se obligans omnes mortales; quam illud, *Diliges proximum*; quæ summa est posterioris; si non magis: nam illud; *Diliges Deum*, est *primum & maximum mandatum*, omnium reliquorum fons & finis; alterum (*diliges proximum*) à Christo dicitur *mandatum secundum prioris simile*, & ex priori tanquam ex fonte emanans; atque eodem tanquam in finem suum referendum, 1 Iob. 4. 21. & 5. 1. qui ergo præcepta posterioris tabulæ esse possunt leges naturales, æternæ & immu-

tabiles, per se obligantes, si non ejusmodi etiam sunt præcepta prioris? Et non minus de præceptis posterioris tabulæ Israëlitz Mosi dixerunt; *Loquere tu nobis, & audiemus*, quam de prioris; cur igitur ex eo solo soli Israëlitz obligati fuerunt ad observantiam præceptorum prioris tabulæ magis, quam posterioris? Nec quod hîc de *præceptis tabulæ secundæ* tradit (*esse illas leges naturales, Divinas & æternas, et per se obligare*) cohæret cum eo, quod alibi docet; *præcepta Decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, falso testimonio, leges civiles esse, non leges naturales, nisi implicite, hoc est, quatenus lex naturalis jubet observari pacta, ideoque etiam obedientiam præstare, quando eam pacti fuimus; de C. c. 14. a. 19.* uti hîc de præceptis Decalogi prioris tabulæ etiam docet, Israëlitas iis obligatos fuisse ex pacto solum, quo obedientiam Mosi promiserant summam habenti potestatem. Et a. 33. c. 3. *negat leges naturales esse leges proprie dictas, et per se obligare, quatenus à natura procedunt; sed quatenus eadem à Deo in Scripturis S. latæ sunt, legum nomine propriissimè appellari; cum hoc, inquã, quî cohæret, quod hîc docet; præcepta tabulæ posterioris leges esse naturales, et per se obligare?*

III. *Præcepta Decalogi posterioris tabulæ de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, falso testimonio* (quas Aff. præc. dixerat leges naturales, æternas & immutabiles esse) *leges civiles esse, docet; C. c. 14. a. 9.*

Nam quid furtum, homicidium, adulterium, et injuria sit cognosci tantum ex legibus civilibus. Ibid. c. 6. a. 16.

Proinde illis legibus; Non occides, non mæchaberis, non furabere, parentes honorabis, nihil aliud præcepisse D. N. 7. Christ. quam ut cives, et subditi suis Principibus in quæstionibus omnibus circa meum et tuum absolutes obedirent. Ibid. c. 17. a. 10.

Quod

Quod refellit officium Regis à Mose descriptum *Deut.* 17. 16, 17. oratio Nathanis Prophetæ ad Davidem, post stupratam ab ipso Bathsebam, & occisum Uriam. 2 *Sam.* 12. 1, 2. &c. & historia de vinea Nabothi. 1 *Reg.* 21. Et imprimis insigne illud Apostoli de S. Scripturæ perfectione & usu testimonium 2 *Tim.* 3. 16. supra citatum. Sed de his mox fusius in Exercitatt.

EXERCITATIO I.

Ad Art. 9—13. Cap. 15. de Cive.

De honore & cultu in genere.

Ad Art. 9.

Honor & cultus quid sint?

Cum *honor & cultus* ad utramque legis tabulam pertineant; ad totam *primam* honor & cultus *religiosus* Divinæ Majest. ad *secundam* honor & cultus *civilis* erga homines, *Rom.* 13. 7. agè quæ de iis in genere tradit *de Cive* c. 15. à veritate & pietate aliena, hoc loco discutiamus, & quidem primò ad *Art. cit.* quomodo utrumque definiat.

Honor, inquit, *proprie loquendo nihil aliud est, quam opinio alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate. Cultus autem est actus externus honoris interni signum.*

Porro *honorem in opinione situm* dicit *tres affectus* necessarios consequi: *amorem, qui ad bonitatem; spem & timorem, qui ad potentiam referuntur.*

Patet ex iis, quæ ex illius scriptis enotavimus supra *Cap. 8. Ass. 13. & Cap. 10.* juxta Religionem *Hobbesianam* fide internâ Deum *honorari* posse, quamvis ei
pro-

professio externa non respondeat; & professione externâ colis absque internâ animi persuasione & fide. Quocirca non temerè est, quod hîc *honorem à cultu divellens*, illum dicat in solâ opinione alienæ potentiz consistere; hunc in solis signis externis interni honoris.

Resp. 1. Honorem consistere propriè in solâ opinione, non signis externis, pro suo more dicitur, non probat: aliter Arist. eum definiens; *Externum signum beneficæ opinionis, quæ de probitate alicujus habetur.* 4. Eth. 3. & apud Ciceronem, honorem alicui habere, est ei reverentiam exhibere in virtutis testimonium; *Nemini, inquit, majores honores habuerunt, quam M. Cælio.* Et de claris Orat. *Honos est præmium virtutis, judicio ac studio civium delatum ad aliquem.* Et in illo Virgil. accipitur pro sacrificiis; *Aut supplex aris imponat honores.* Quibus consentiunt S. Literæ: nam quod dicitur Exod. 20. 12. *honora patrem & matrem*, explicat Syracid. c. 3. v. 9. *In opere & sermone & omni patientiâ honora patrem tuum;* & Apost. Col. 3. 10. *obedite parentibus.* Vide etiam Levit. 19. 32. 1 Sam. 2. 30. Ps. 22. 24. & 50. 15, 23. & 86. 9. Prov. 3. 9. Rom. 12. 10. Act. 28. 10. 1 Tim. 5. 17. Hebr. 5. 4. Quod confirmat etiam vulgatum illud; *honores mutant mores.* Quibus ergo fateri cogitur, honorem etiam significare signa & testimonia honoris externa; sed illam *honoris significationem tropicam* esse ait, non propriam; quod dicitur rursus, non probat. Et si *cultus* sit solum *actus externus honoris interni signum*, & in eo ab honore distinguatur; tum Deum colere nihil aliud esset, quam actus honoris externos ei exhibere, & verè Deum coleret; qui signis tantùm honoris externis illud præstaret, at cultum talem passim detestatur Deus; Ps. 50. Es. 1. & 29. *Sacrificium Dei* (inquit

quit Psalter) est *cor fractum & contritum*. Ps. 51. 19. *Deus spiritus est*; ideo etiam adorari vult *spiritu & veritate*. Joh. 4. 24. Proinde sicut honor mente, ore & opere consistit, ita etiam cultus Deo dignus; & sicut honor revera honor non est, si absit internus animi affectus; ita si idem absit in cultu, cultus ille non est cultus Deo dignus, sed hypocrisis. Enimvero maxime colitur Deus *fide, spe, charitate, timore, fiducia*, &c. quem cultum Dei naturalem esse, ipse non negabit; hic tamen cultus non consistit in actibus externis honoris interni signis. Deus in cultu suo cor requirit; Deut. 6. 5. & 10. 12. & 11. 13. & 26. 16. & 28. 47. Ies. 22. 5. I Sam. 12. 20, 24. I Chron. 28. 9. Prov. 23. 26. Job. 4. 23. 24. coli vult corpore & animo. I Cor. 6. 20. cum pura conscientia, Act. 23. 1. & 24. 14, 15, 16. 2 Tim. 1. 3. Notissima etiam distinctio cultus Divini in *internum & externum*, quorum licet hic ab illo mente distinguatur, revera tamen separari non debet. Unde Deus mente colendus dicitur etiam à profanis gentibus; *cultus Deorum* (inquit Cicero) *optimus est, idemque castissimus, & sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta mente & voce veneremur*. l. 2. de nat. Deor. & Senecæ *optimus animus pulcherrimus Dei cultus dicitur ait*. Et Cato in dist.

*Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.*

Similiter Tibull. Eleg. 1. 1. 2.

*Casti placent Superis; pura cum mente venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.*

¶ Sed 2. non minoris momenti videtur, quod honorem dicat esse opinionem *alienæ potentie conjunctæ cum*

cum bonitate. Nam I. honor non respicit tantum *potentiam cum bonitate* conjunctam; sed quamvis etiam aliam dignitatem & eminentiam in honorando; ut *sapientiam*, prov. 3. 16, 35. & 4. 8. & 8. 18. *virtutem quamlibet, quæ mulierem gratiosam reddit.* prov. 11. 16. *docilitatem*, Ibid. 15. 33. & 18. 12. *justitiam & beneficentiam*, Ibid. 22. 4. Ps. 15. 4. etiam *auctoritatem & dignitatem ratione muneris* alicujus publici, tum in Republ. Job. 29. 8, 9. Rom. 13. 7. tum in Ecclesia, 1 Tim. 5. 17. item *etatem*, Levit. 19. 32. atque *ἐξόχλω* v. gr. parentum, Mal. 1. 6. Atque honor, quem Deo debemus, non in illo respicit tantum *potentiam & bonitatem* ejus, sed *ὑπεροχλω* & *supereminentiam* Divinæ naturæ, quæ non in uno tantum consistit, aut altero Dei attributo, sed omnia illa & singula comprehendit, Ps. 86. 8--12. 1 Tim. 1. 17. & 6. 15, 16. Apoc. 4. 11. & 5. 12. Unde Epicurus (apud Cicer. 1. de nat. Deor.) *tam eximiam* dicit esse, & *præstantem* Deorum naturam, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam allicere sapientem. Et gentiles in numerum Deorum retulerunt, atque divino honore & veneratione dignos existimaverunt eos, qui non tantum potentia & bonitate, sed & aliis virtutibus excelluerunt; ut ex iis constat, quæ de Deorum genealogiâ tradit Diod. Sicul. libr. 5. 2. Et quod hic cum potentia bonitatem conjungit in honorando, non cohæret cum eo, quod tradit hoc cap. a. 5. *Ius regnandi Deo esse à sola potentia irresistibili;* neque quod alibi docet, honorem in solius potestatis opinione consistere, non bonitatis; imprimis Lev. c. 10. p. 47. *Parum refert, inquit, ubi de honore agitur, an actio sit justa sive injusta: consistit enim honor in solius potentiæ existimatione.* Quapropter Ethnicorum antiquiores se non minuisse censebant, sed magis auctum reddidisse Deorum honorem, cum in pœmatis

*matris eos inducerent tanquam virginum raptores, fur-
tis, aliisque magnis, sed injustis & fœdis actionibus
operam dantes; & propterea in Jove nihil magis cele-
brabant, quam ejus adulteria, neque in Mercurio
quam furta & fraudes, &c. Inter homines etiam,
antequam magnæ extiterint civitates, ignominia non
erat, sed potius honorificum, & negotii genus legiti-
mum, si quis terra vel mari prædo erat. Imo hodie,
atque his mundi partibus duella privata, quamvis il-
legitima, in honore sunt & erunt, donec instituetur ho-
nor recusantibus, & ignominia in arenam provocanti-
bus. Vide præter dicta, quæ hîc Hobbefio oppo-
fuit Sharrock Hypoth. Eth. pag. 167. &c.*

3. Non melioris notæ est, quod honorem in opinione
fitum, dicit, tres affectus necessario consequi; amorem,
spem, & timorem; quasi honor nudam opinionem signi-
ficaret, non etiam affectus ipsos (loquor de honore Dei)
erga Deum. Nec Amor, spes, & timor honorem Dei
consequuntur, sed ipsum constituunt: sunt enim
cultus Dei naturalis, qui non ex honore Dei, sed ex
ipsâ Dei naturâ immediatè fluit: nam nullus Dei cul-
tus ipsi gratus est, qui non ex intimis mentis affecti-
bus proficiscitur, quales præcipui sunt, quos hîc e-
numerat, amor, spes, & timor. Non ergo accura-
tè dictum; amorem, spem, & timorem esse affectus,
honorem Dei consequentes; dicendum potius, ipso
amore, fide, spe, & timore Deum honorari. Rom.
4. 20. Quamvis non negemus, illa agnitionem po-
tentia, bonitatis, justitiæ &c. Divinæ in mente no-
strâ supponere.

4. Nec absolutè admittendum, quod ait; amo-
rem ad bonitatem; spem & timorem ad potentiam re-
ferri; respicit quidem amor præcipuè bonitatem in
amando, sed non solam: nam quamvis hoc forte
verum sit de amore (loquor de amore Dei) unionis &
com-

complacentiæ; non tamen *benivolentiæ*, ut quæ ad *gloriam* Dei potissimum refertur. Et sic *spes* & *fiducia* non tantum in Deo *potentiam* illius respiciunt; verum etiam ipsius *veritatem*, *misericordiam*, *justitiam*. Et similiter timor non solam respicit Dei *potentiam*, sed, si filialis est, etiam *bonitatem* & *misericordiam* ejus; Ps. 130. 4. nam (ut rectè Plutarchus) qui Divos colunt metu alicujus mali, perinde faciunt ut ii, qui tyrannos venerantur, ne noceant, quos oderunt animo. Quin. perinde illi faciunt, ac illi inter gentiles, qui Diabolo ipsi, ut minus noceat, religionem exhibent; ut de Brasiliensibus testatur Ross. in *Panseb. sect. 3.* atque olim inter Romanos illi, qui ipsas Eumenidas, ut minus plecterent, colebant. Imo *timor servilis* contemplatur in Deo præter *potentiam* etiam illius *justitiam*. Jac. 2. 19. Gen. 4. 13, 14.

Ad Art. 10.

Cultus in quibus consistat?

Cum *art. præc.* cultum in signis animi externis dixerit consistere; jam *hoc art.* cultum omnem docet *verbis* & *factis* constare; atque utrumque ad tria genera referri; *laudem*, *μεγαλυνσιν*, & *μαχαρισμὸν*; illam esse *predicationem bonitatis*, istam *potentiæ*, hanc *felicitatis*. Atque hæc fieri *verbis dogmaticè per attributa*; ut cum dicimus *fortem, liberalem, sapientem*; *factis per hypothesin*; ut *gratiarum actione*, quæ *bonitatem*; *obedientiâ*, quæ *potentiam*; *congratulatione*, quæ *felicitatem* supponit.

Verum, *cultum* etiam mente, nempe cogitationibus & affectibus constare, ad *art. præc.* demonstratum est. *Cultum externum*, fatemur quidem, *verbis* & *factis* consistere, & utrisque Deum esse *laudandum*, *magnifican-*

candum, atque *beatum prædicandum*: verum. 1. non sunt illa *tria* ita distincta genera cultus externi; sed voces tantum distinctæ unum idemque ferè significantes, promiscuèque in Sacris & alibi usurpatæ: sic Gen. 49. 8. (*Juda te, te inquam, laudabunt fratres tui, manus tua imponetur cervici hostium tuorum: incurvabunt se tibi filii patris tui*) laudare est magnificare, seu alium se potentiorum prædicare. Et Jes. 60. 18. *Prædicare in portis laudem* notat prædicationem felicitatis; similiter in illo Terentiano (*Tum orè uno omnes bona dicere, & laudare fortunas meas*) laudare fortunas meas nihil aliud est, quam me *beatum prædicare*. 2. Neque fiunt hæc tantum verbis & factis; verum etiam syncerâ agnitione & affectibus animi internis, ut de *laude* constat Ps. 71. 23. & 9. 2. & 103. 1, 2. & de *μεγαλύνει*, Luc. 1. 46. Procul dubio Angeli sancti, & animæ beatorum Deum *laudant, magnificant, & beatum prædicant*; ast non *verbis, nec factis* tantum; sed præcipuè cogitationibus suis, intimisque affectibus. Et Ps. 56. 5. 11. *Laudare in Deo verbum ejus*; quid est, quam certâ animi fiducia expectare complementum promissionum Dei? 3. Nec *Laus* tantum ad *bonitatem* colendi; *magnificare* ad *potentiam* refertur; nec *felicitas* (Dei) est *potentia* ejus *in futurum secura*: etenim *laus* quid aliud est, quam honor, qui oratione fit, sive (ut ait Arist. 1 Rhet. 9.) *oratio ostendens magnitudinem virtutis*; ast *honor* (ipso Adversario judice) non ad bonitatem solum, sed ad potentiam cum bonitate conjunctam refertur, *art. præc.* neque judicio nostro ad illas solas, sed quaslibet etiam alias virtutes. Hinc qui quâlibet virtute præstat, *laude dignus* vulgò dicitur; sicut è contrâ *ἀπαιετός* (*illaudatus*) qui nullâ virtute præditus est; quomodo Agamemnon dicitur ab Achille apud *Homer.* & Busyris à *Virgilio.*

A a

Unde

Unde *Laus* refertur ad timorem Dei, *Prov.* 31. 30. & ad fidem, *Rom.* 1. 8. Atque uti Deus *magnus* est non tantum ratione *potentiæ* suæ, verum etiam *sapientie, gloriæ, bonitatis, misericordiæ, justitiæ* &c. ita etiam in omnibus his attributis *magnificandus* & exaltandus est. *Pf.* 34. 40. & 145. *per totum.* Non ergo *magnificare* est *prædicatio tantum potentiæ præsentis.* Et eadem operâ prædicatur Dei ipsius felicitas. Neque *felicitas* est, ut dixi, propriè *potentiæ infuturum securo*; sed *status omnium bonorum aggregatione perfectus*; *Boëth.* 1. 3. *de cons. Philos.* Vide *Arist.* 1. 1. *magn. mor.* c. 2. neque etiam ratione ejus, quod futurum est, quisquam beatus dici potest; sed felicitas verâ in bonorum præsentium *κτῆσθαι καὶ χεῖρσθαι* consistit. 4. Non etiam *verbis laudatur & celebratur* Deus, cum solum *dogmaticè & enuntiative* dicimus, Deum esse *fortem, liberalem, sapientem* &c. nam tum etiam hypocritæ Deum verè honorarent & laudarent, Deum talem esse enuntiantes, quamvis ex animo Deum talem esse non agnoscerent; *Jes.* 29. 13. Neque *attributa* tantum *nominibus* consistunt, sed præcipuè *mentis conceptibus*; nam quæ attributa Deo ab Angelis & animabus beatis tribuuntur, palam est, non *nominibus* aut *verbis* constare; quin *verba & nomina* rei alicujus *attributa* dici nequeunt, nisi *ratione mentis conceptuum*, quorum *indicia* sunt; & *perfectio*rum quarundam, quas *mente conceptas*, vel *cogitando*, vel etiam *enuntiando* ei attribuimus. Proinde nullis *attributis* sive *nominibus* verè laudatur & celebratur Deus, nisi *perfectiones*, illis *nominibus significatas*, cum debito animi affectu, Deo inesse agnoscamus. 5. Quamvis rectè doceat, non tantum *verbis*, sed etiam *factis* honorari, laudari, coli, & glorificari Deum; non tamen accuratè hæc in parte *gratiarum actionem, & congratulationem obedi-*

dien-

dientie contradistinguit : nam *gratiarum actio* ad Deum relata, non est per se *genus cultus externi*, quæ factis constat, ab *obedientiâ* distinctum, ut nec *congratulatio* : at ipsa *obedientia*, in bonis operibus Deo præstita, est *gratiarum actio*, quando Deo exhibetur intuitu beneficiorum, quæ divinâ suâ bonitate & potentia gratis contulit in nos indignos & immerentes. Vide *Job. 15. 8. Matt. 5. 16. 1 Cor. 10. 31. Phil. 1. 11. Col. 3. 17. Rom. 12. 1. Ps. 50. 116.* Neque *gratiarum actio*, *obedientia*, & *congratulatio* tantum fiunt factis externis ; sed præcipuè etiam internis animi cogitationibus & affectibus, atque etiam verbis. *Obedientia* autem an & quomodo *potentiam* supponat, diximus ad *art. 5. & 7. supra cap. 19. ad Assert. 3. 4. 5.*

Ad art. 11.

An & quo sensu cultus alius sit naturalis,
alius arbitrarius ?

Jam quotuplicem doceat esse cultum videamus ; & quidem primò illum in *naturalem* & *arbitrarium* partitur.

Sive, inquit, verbis sive factis aliquem celebrare velimus ; inveniemus alia, quæ honorem apud omnes significant ; qualia sunt inter attributa nomina virtutum & potentiarum generalia, quæ in malam partem accipi non possunt ; ut *bonus*, *pulcher*, *fortis*, *justus*, & similia. Inter actiones autem *obedientia*, *gratiarum actio*, *preces* &c. Alia, quæ honorem apud quosdam significant, apud alios verò contumeliam, vel neutrum ; qualia sunt in attributis nomina, quæ ad virtutes vel vitia pro diversitate opinionum diversè referuntur. In factis, ea quæ dependent à consuetudine loci, vel præ-

scriptis legum civilium; cultus, inquit, ille Naturalis est, qui apud omnes & semper honorificus est; alter vero qui loca & mores hominum sequitur, Arbitrarius dici potest.

Resp. Etiam distinctionem cultûs in Naturalem & Arbitrarium, quem institutum vocant, agnoscunt Theologi: verum illum dicunt esse, qui fluit ex naturâ ejus, qui colitur; hunc, qui pendet ex ejusdem arbitraria institutione; innuiturque Exod. 20. 6. *Qui diligunt me, & observant præcepta mea; alio autem sensu illa cultus distinctio ab illo recipitur; naturalem dicit esse, qui apud omnes & semper honorificus est; quod relatum ad cultum Dei naturalem falsissimum est: nam multa ad cultum Dei naturalem pertinent, quæ tamen apud omnes non sunt honorifica; ut inter attributa Dei; essentialis ejus præsentia in omnibus rebus, atque extra mundum, quam Deo honorificam esse negant Sociniani, Vorstius, Remonstrantes in Apolog. fol. 43. Item futurorum contingentium præscientia & præordinatio certa, quâ tamen Sociniani, Remonstr. & alii liberum hominis arbitrium everti clamant, & fatum Stoicum introduci. Quin ipse agnoscit dari homines, qui Deum esse non credunt, aut hæc inferiora curare, quod posterius Deo honorificum esse palam negat & disputat Epicurus apud Cicer. de Nat. Deor. quò tendit & illud Poëtæ; Non vocat exiguis rebus adesse Jovi; non tamen eò minus existentiam Dei credere, atque hæc inferiora ipsius Providentiâ gubernari, pertinet ad cultum Dei naturalem. Atque inter actiones, per nomina Dei jurare, Deo honorificum esse negaverunt olim Essæi, apud Josephum l. 1. de bello Jud. c. 7. negantque hodiè Anabaptistæ; ipse tamen illud ad cultum Dei naturalem pertinere docet, art. 15.*

Sed ait nomina dari virtutum & potentiarum generalia,

ralia, quæ in malam partem accipi non possunt; ut bonus, pulcher, fortis, justus, item Actiones, quibus agnitio potentia & virtutis semper subintelligitur; ut obedientia, gratiarum actio, preces &c.; ideoque apud omnes & semper honorifica sunt; quæ proinde alicui tributa cultus naturalis sunt.

Resp. Nomina dari virtutum &c. generalia, quæ in malam partem capi non possunt, falsum est: quid enim fingi potest tam bonum, quod in sequiorem partem accipi non potest? de bono liquet in illo Terent. *Heus bone vir curasti probe; & praxis illa in Sacris usitata, facere quod bonum est in oculis suis, sæpe in malam partem, aut nec in bonam, nec in malam partem usurpatur, Gen. 16. 6. & 19. 8. & 34. 18. Deut. 12. 8. Jud. 19. 24. & 11. 25. & alibi. De pulchro quoque, quod in bonam partem non sumitur in illo vulgato; suum cuique pulchrum; nec Prov. 11. 22. Velut monile aureum ad rostrum porci, est mulier pulchra, & aversans rationem. Similiter fortis, Amos 5. 9. Ies. 1. 31. & 5. 22. Item justus, Eccl. 6. 16. Ne esto justus nimium; & Matt. 9. 13. adde Ies. 5. 20. Quin ipse talem statuit esse hominis naturam, ut diversitate affectuum contingat, ut quod alter bonum, alter malum; & idem homo quod nunc bonum, mox malum; & eandem rem in seipso bonam, in alio malam vocet; & omnes bonum & malum delectatione & molestia nostra æstimemus, Art. 17. c. 14. Hæc si ita se habeant, quæ obsecro nomina sunt virtutum & potentiarum generalia, quæ in malam partem accipi non possent? Similiter non semper actionibus externis (obedientia, gratiarum actione, precibus &c.) agnitio potentia & virtutis subintelligitur, ut liquet in hypocritis, Ies. 29. 13. Unde malè cultum naturalem arcessit à nominibus virtutum & potentiarum generalibus, quæ in malam partem accipi non possunt;*

vel etiam actionibus externis, quibus ait agnitionem potentiae & virtutis semper subintelligi. Dices; hæc nomina, *fortis, bonus, pulcher, justus* &c. nomina esse virtutum & potentiarum generalia, & sic in malam partem accipi non posse; secus esse, cum quaeritur, quid *bonum, pulchrum* &c. appellandum sit. Resp. Quamvis hoc verum esset, nihil tamen faceret ad *cultum naturalem* definiendum: non enim honor & cultus illis nominibus seu verbis continetur, quatenus sunt nomina virtutum & potentiarum generalia; sed quatenus perfectiones quædam, quæ illis nominibus definitè significantur, sincerè & debito animi affectu in honorando revera inesse agnoscuntur; quod iis nominibus fieri nequit, nisi quatenus iis, quid *bonum, pulchrum, forte, justum* &c. definitè dicendum sit; intelligatur.

Cultum arbitrarium vocat, qui loca & mores hominum sequitur. Unde cultus Dei arbitrarie foret, non qui ab arbitrio Dei dependet, sed hominum; ast omnis cultus religiosus, non ab ipso Deo institutus, ἱερολογησκειά est, toties in Sacris damnata, Col. 2. 23. Es. 29. 13. Matt. 15. 9. & juxta Rom. 14. 23. Quod ex fide non est, peccatum est; at ex fide Divina esse non potest, quod suo arbitratu instituunt homines.

Objicit; esse quædam, quæ honorem apud quosdam tantum significant; ut in attributis nomina, quæ ad virtutes & vitia, honesta vel inhonesta, pro diversitate opinionum diversè referuntur. In factis ea, quæ dependent à consuetudine loci, vel præscriptis legum civilium. Quæ si ab hominibus in cultum instituantur convenienter locis suis & receptis moribus, *cultum arbitrarium* esse.

Resp. I. Multa honorem & virtutem apud quosdam significant, quæ tamen recta ratio docet, nihil minus

minus esse; quale est inter alia, *occidere inimicum*, *Matth. 5. 34, 44. Exod. 23. 4, 5.* quæ proinde aut consuetudine loci, aut præscriptis legum civilium in signa honoris institui non possunt. Alia contemptui habentur, quæ revera in se bona sunt, & honorifica; ut *virtute excellere, esse Philosophum, Oratorem, & similia*; quæ proinde nullâ contrariâ loci alicujus consuetudine, aut institutione per leges civiles revera in se mala & inhonorifica fieri possunt.

2. Neque ad cultum arbitrarium rectè referuntur illa, sive attributa aut nomina, sive actiones, quæ variant pro diversitate opinionum & locorum: nam inter attributa nomina illa, quæ ad virtutes referuntur, revera ad cultum naturalem spectant: quia consentanea sunt dignitati ejus, qui colendus est; quamvis perperam aliis contemptui sint; & similiter actiones illæ externæ omnes, quæ signa honoris sunt illi loci, ubi frequentantur, & suâ naturâ non sunt malæ, ad cultum naturalem pertinent, quamvis aliis locis talia non sint: quia recta ratio dicit, actiones tales externas & ceremonias illi pro ratione loci exhibendas esse illi, quem honore dignum judicamus.

Ad art. 12.

De cultu jusso & spontaneo; publico & privato.

Deinde hoc art. cultum distinguit in *justum & spontaneum*. *Cultus*, inquit, esse potest *imperatus*, scilicet *jussu ejus, qui colitur; & potest esse spontaneus, nimirum talis, qualis videbitur colenti.*

Ast *omnis Dei cultus* non tantum esse potest, sed debet *imperatus*, idque solius Dei jussu, qui colendus est; *spontaneus* autem *omnis, qui talis sit, qualis videbitur colenti*, *ἑλοφρησκαία* illa est, quæ & à

Christo damnatur, *Matt. 15. 4. & ab Apostolo, Col. 2. 23.* damnant etiam Philosophi gentiles; unde plato in Eutyphrone docet, *Religionem divinæ voluntatis imperio definiri; & in legibus 12. tabularum habetur; Nemo privatim habessit Deos.* Jamblichus ait; *Constat faciendæ esse, quæ Deo grata sunt; at quænam illa? profecto, inquit, non possunt illa cognosci, nisi ab eo, qui Deum ipsum audiverit, aut arte aliquâ divinâ fuerit edoctus.* Consonat Alpharabius Arabs; *Res, inquit, Divinæ & pia fide credibiles altiore, quam ceteræ, gradum obtinent: quia ab inspiratione Divina procedunt, & quia debilior mens hominis, & renuior ratio, quam ut ad illas attingere possit.* Ex Cicero, cum nullam ait apud homines legem esse, cui parere teneamur, nisi à Deo institutam, atque ex ejus ore profectam (*I. de legib.*) si de religionis lege interrogatus fuisset, procul dubio non aliter responderet. Rationem reddit Apost. (*Rom. 14. 23.*) *Quicquid (in religionis negotio) ex fide non est, peccatum est.* Quam etiam hæc in parte cæcutiat mens humana, quamque in fingendis religionibus proclivis sit ad superstitionem, & experientia docet in religionibus gentilium, & S. Apost. *Rom. 1. I Cor. 2. 14.* atque ipse fatetur; *cap. 16. art. 1.* Etiam absque contumeliâ in Deum hoc fieri nequit: ridiculus rusticus, si, quis Principi cultus debeatur, quis honos, assignare velit; quis ergo cultus Deo placeat spontaneus, qui talis est, qualis videtur non Deo colendo, sed homini colenti, quisquis fuerit? nullæ enim actiones, qualescunque sint, significant honorem Deo debitum quâ tales, sed quâ ab ipso imperatæ vel lege naturali, ut in cultu naturali; vel saltem lege aliquâ Divinâ positiva, ut in cultu instituto: nam omnis Dei cultus obedientiæ erga Deum rationem habet; qualis esse nequit, nisi ratione præcepti alicujus

Divi-

Divini. Quocirca si omnis Dei cultus ab ipso imperatus esse debeat, atque in obedientia consistat, sequitur, nullum verum Dei cultum *spontaneum* esse posse; sed esse superstitionem, & veræ religionis corruptelam. Unde inter notas veræ religionis merito & hæc non postrema esse censetur, ut cultura contineat non ab hominibus, sed solo Deo institutum. Vide *Pless. de verit. Relig. cap. 20.*

Ast inquit; Cultus spontaneus sola natura actionum est honorificus, quæ si honoris significativæ sunt apud spectantes, cultus; aliter contumelia est.

Resp. Nulla actio externa, ut per se est & solâ suâ natura bona, sic nec Deo honorifica: omnis enim actio per se est adiaphora, & quod actio aliqua justa vel injusta sit, à jure Imperantis provenit; sic ipse art. 1. c. 12. eodem modo, quod actio aliqua Deo sit honorifica, vel contumeliosa ab ipsius Dei imperantis jure provenire debet. Neque consistunt, actionem aliquam sola sua natura esse honorificam; & tamen eandem actionem esse posse vel cultum, vel contumeliam; prout actio illa honoris significativa est, aut non apud spectantes: non enim circumstantia personarum efficere potest, ut actio sua natura honorifica fiat contumelia; nec an actio aliqua Deo sit honorifica, definiendum est ex opinione spectantium; sed ex ipsa natura & lege Divina: nam si illæ actiones cultus forent (apud Deum) quæ honoris significativæ sunt apud spectantes, tum nunquam contumelia adversus Deum committi posset actione ulla cultus, quæ spectantibus probatur; & qui in cultu externo rationem spectantium non haberet, semper contumeliosus esset contra Deum, etiam in cultu à Deo præcepto, sed à spectantibus non probato.

Denique (hoc art.) cultum etiam distinguit in publicum & privatum; & cultum publicum spontaneum esse

esse posse, ait, respectu Civitatis, non colentium singulorum; privatam spontaneam esse posse, si exhibeatur secretò: nam quod palam fit, vel legibus vel verecundia coerceri, quod naturæ spontanei adversatur.

Cultus distinctionem in publicum & privatam & nos agnoscimus; sed quod ait, cultum (Dei) publicum & privatam esse posse spontaneam, falsum esse ex supra dictis liquet: cultus publicus non magis spontaneus esse potest respectu Civitatis, quam singulorum, Matt. 15. 9. Col. 2. 23. Hinc August. lib. 1. de consensu Euang. cap. 18. Deum sic colere oportet, quomodo ipse se colendum præcepit. Non tamen negamus, quis cultus Dei publicè obtinere debeat, à Civitate definiendum esse: nec obtinere debet nisi verus, & ab ipso Deo institutus; quis autem ille sit, in Regno Dei naturali, ubi verbi divini supernaturalis copia non datur, ex dictamine rationis naturalis definiri debet, ut uniformitas cultus publici in Civitate existat: at hac in parte quam cæcutiat mens humana sibi relicta tum (ut supra monuimus) Apost. luculenter docet Rom. 1. 1 Cor. 2. 14. tum experientia abundè testatur in religionibus gentilium. Quod autem in fine art. inquit, cultum privatam spontaneam esse posse, si exhibeatur secretò, ejusdem farinae est cum præcedentibus; & quod addit: quod enim palam fit vel legibus, vel verecundia coercitum est, quod naturæ spontanei adversatur; non uno modo falsum est: quasi quod clam fit & secretò nullis aut legibus, aut verecundia esset coercitum. Ps. 94. 7. Es. 29. 15. aut quod legibus & verecundia coercetur, non posset esse spontaneum. Spontaneum (τὸ ἐκύσιον) invito (τὸ ἀκυσίω) quod vel per vim est, vel ignorantiam, non autem obligationi, quæ est à legibus, aut verecundia, opponitur. Arist. 3. Eth. cap. 1.

Ad

Ad Art. 13.

De cultus fine & scopo.

Finis, inquit, ejus, qui se coli vel jubet, vel patitur, is est, ut quam plurimos sibi vel amore vel metu obedientes reddat.

Atqui & Deus se coli jubet ab hominibus; scopus autem & finis primarius Dei sese soli jubentis alius esse non potest, quam ipse Deus; *finis sc. cui.* Prov. cap. 16. v. 4. Rom. 11. 36. Quis autem sit *finis cuius* gratiâ Deus se ab hominibus coli velit, ex ipsâ Dei naturâ cognoscendum est: cultus enim Dei in se continere debet bonum aliquod Dei, intrinsecum autem bonum nullum Deo adjici potest. Ps. 16. 2. Job 22. 2, 3. bonum autem extrinsecum aliud hîc excogitari nequit præter gloriam Dei, quæ in humili agnitione eminentiæ Maj. Divinæ consistit. 1 Petr. 2. v. 4. Quare relinquitur, cultus Divini scopum & finem primarium esse gloriam Dei; sive potius cultus & honor divinæ Majest. est ipse finis ultimus, quò omnia ultimò referri debent ab hominibus; ipse autem honor & culus immediatè tendit in ipsum Deum tanquam *finem cui.* Quis autem finis aut scopus sit hominum sese coli jubentium aut patientium, qui cultu sæpe gaudent plus quàm par est, aut non debito modo & fine, inquirere hic parum refert: ex dictis constat, quem esse oporteat scopum & finem se coli volentium; is si sit, ut *quamplurimos eo modo sibi amore vel metu obedientes reddant*; atque ibi hæreant, nec ad honorem, gloriam & cultum Divinæ Majest. ultimò referant, à vero fine & scopo cultûs & honoris sui eberrant. 1 Cor. 10. 33. Gal. 5. 26. Phil. 2. v. 3, 4, 21. Consentiunt Philosophi, Gentiles; Arist. dum

dum Deum principium, medium, & finem omnium esse docet. Hierocles adversus Atheos; Religionem omnium virtutem ἡγεμόνον ducem; sive principem esse ait: nimirum quod virtutes omnes, atque omnes hominum actiones à religione imperari, atque in honorem & gloriam Dei, tanquam in scopum suum ultimum dirigi debeant. Et Jamblichus; Quicquid faciendum, aut non faciendum tibi proponis, ad Divinitatem referri debet. Plotinus ait; Supremus hominis finis merum bonum, id est, Deus; cetera vero ad finem pertinent, finis non sunt. Egregia sunt illa Epicteti; Si quid mente valemus, quid nobis agendum, nisi ut Deum assidue celebremus; ei hymnos & gratiorum actiones canamus, seu laboramus seu quiescimus? Et rursus; Si luscinia essem, facerem quod luscinia; cum autem homo rationalis natus sim, quid faciam? laudabo Deum, nec cessabo unquam.

Neque etiam hic, quem Ille assignat, finis est ultimus & primarius Dei sese coli iubentis; sed tantum secundarius & per accidens, positus nempe creaturarum rationalium multitudine: hic enim si finis esset unicus & primarius cultus Divini; quis finis esse posset Dei iubentis se coli, aut qui sese coli posset jubere, si in rerum naturâ unicus tantum homo existeret & ille tamen nihilominus Deum colere teneretur.

Quæ autem hic de gaudio & gloriâ præmittit; esse illa nihil aliud, quam triumphum animi putantis se honorari &c. hoc est servitia & auxilia hominum præstare habere, talia sunt, ut de Deo, salvo illius honore & gloriâ nec intelligi, nec dici queant. Et gloriâ esse triumphum animi putantis sese honorari, pro sua auctoritate hic rursus dicitur; aliter Cicero Tuscul. 4. l. 3. Gloria est consentiens laus bonorum, de eccellente virtute bene judicantium. Et si hoc significat gloria; quid tum

tum sibi volunt hæ phrasæ: *Dare Deo gloriam*, Joh. 9. v. 24. *Omnia ad Dei gloriam facere*, 1 Cor. 10. 31. & quod inquit Cicero pro Planc. *Is gloriâ maximè excellit, qui virtute plurimum præstat?* Et Seneca l. 3. Epist. *Gloriam ait multorum judicij constare*. Gloria igitur propriè loquendo non est in honorato, sed honorante, quod ipse àntea de honore confessus est art. 9. at triumphus animi putantis se honorari non est in honorante, sed honorato; *Gloria* ergo non est triumphus animi putantis se honorari.

EXERCITATIO II.

Ad Art. 16. Cap. 6. de Cive.

*An quid furtum, homicidium, adulterium,
& injuria sit. cognoscatur tantum
ex legibus Civilibus?*

Et hoc pertinet ad *præcepta legis* (Tabulæ secundæ) *in genere*; quod cum supra obiter tantum perstrinxerimus ad *Affert. 3.* Nunc fusius hæc exercit. discutiemus.

Statuit ergo loco citato: *Quid furtum, homicidium, adulterium, & injuria sit, cognoscatur tantum ex legibus civilibus.* Fatetur interim, *furtum, homicidium, adulterium, atque injurias omnes legibus naturæ prohiberi.*

Sed cur ergo hæc inter leges naturæ, de quibus *cap. 2. & 3.* egit, non numeravit? quæ etiam hoc cohæret cum eo, quod tradit. *art. 9. cap. 14.* ubi disertè docet, *præcepta Decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, & falso testimonio, Leges esse civiles; & Leges naturales quidem ea præcipere, sed im-*

implicitè tantum; hoc est, ut ibidem explicat, *quatenus Lex naturalis jubet observari pacta; ideoque etiam obedientiam præstari, quando cives obedientiam pacti fuerint.* Statuit ergò loco citato, simpliciter illa esse Leges civiles; secundum quid tantum, per accidens, implicitè, & remotè Leges naturales; ratione sc. pacti civilis, quo obedientiam paciscuntur cives; & quatenus Legis naturalis est, *pactis standum esse*; adeoque non aliter esse Leges naturales, quam tales dici possunt quæ vis Leges civiles, ut quæ omnes hoc pacto naturales dici possent: hîc autem simpliciter illas dicit esse leges naturales; secundum quid autem civiles, quatenus sc. quid furtum, homicidium, adulterium, &c. sit, Lege civili determinandum est.

Nec prætereà consistere possunt, quæ hic tradit; sc. *furtum, homicidium, &c. Leges esse naturales; quid autem illa sint, non naturali, sed civili Lege determinandum esse.* Nam I. non potest intelligi vim legis habere posse illud, quod quidem aliquid præcipit; quid autem illud sit, non definit: vis rota legis in *dirigendo*, & *obligando* consistit; sed hæc lex illa præstare nequit, quæ nihil definit: aut ergò dicendum, non tantum lege civili, sed & naturali, quid furtum, homicidium, &c. sit definiri & determinari; aut negandum illa, quatenus leges sunt, lege esse naturales. Dices forsan, *Leges hæc, quatenus à natrâ procedunt, non esse leges propriè atque accuratè loquendo; sed quatenus in Scripturis S. latæ sunt, per art. 33. cap. 3. sed contra est, quod & de iisdem præceptis doceat art. 10. cap. 17. quatenus sc. in S. Scripturis exstant, non esse definitum à Christo, quid furtum, homicidium, &c. sit; sed nihil aliud mandasse his præceptis D. N. J. Christum (Non occides, non mæchaberis, non furabere, parentes honorabis, &c.) quam ut cives, & subditi suis principibus in questionibus omnibus circa meum et*
inum;

*uum absolute obediunt. 2. Lex naturalis de furto, homicidio, &c. aliquid vetat; quid autem aliud, quàm quod istis nominibus significatur? at istis nominibus non significatur aliquid confusum, indeterminatum, & vagum; sed furto ablatio rei non cuiusvis, aut cuiusdam indefinitè, sed alienæ invito aut inscio domino; Homicidio occisio hominis, non indefinitè cuiusvis, aut cuiusdam tantum; sed innocentis, vel saltem proportionem delicti excedens; aut quæ privatâ fit autoritate; quale homicidium, & non aliud notat το πῦρ, quod in sexto Decalogi præcepto occurrit; atque eò rectius **Μορδεν** / quam **Wooden** vertitur. Vide *Hoornb. Theol. pract. p. I. libr. 3. cap. 1. pag. 239. Adulterio*, non quivis concubitus, aut aliquis indefinitè; sed cum altero, aut alterâ, quorum alteruter cum alio legitimo matrimonio est copulatus: & quantum ad *injuriam*, ex dicendis ad *art. 3. cap. 3.* liquebit, illâ nihil aliud significari, quàm juris violationem: imò ipse definit; *injuriam dici, quod sine jure fit, & quod in pacti violatione consistit; loc. cit. 3.* Non sequitur, quid furtum, homicidium, &c. sit appellandum, lege civili determinandum est; ergò non est lege naturæ definitum: nam undè quid illa sint, aut quid in cive ità appellandum, lege civili potest determinari, quàm ex dictamine rectæ rationis, hoc est, ex lege naturali? per *art. 1. c. 2.* Lex ergò civilis illa per naturam definita esse supponit; nec legis nomen meretur lex ulla civilis, nisi rectæ rationi, quæ est anima legis, sit consentanea; v. gr. Hyrcanorum illa, quâ filiis fas erat parentes senio confectos mactare; vel mortuos canibus laniandos præbere. Item Sybaritarum, *Nemo nostrum frugis esto;* quorum ideo rempublicam *πονηρόπολις* vocat *Suidas in voce πονηρόω.* Talis etiam Ephesiorum refertur lex à *Cicerone 5. Tusc. Ut vir virtute excellens e repu-**

de republica ejiceretur. Et olim nonnullis in locis vasalli tenebantur venditorum dominis primâ nuptialis die nocte sponsas tradere violandas, referente *Lactant. libr. 1. cap. 5. Inst.* Adde hisce, quod latius probatum ad *cap. 1.* & in statû naturæ, ubi nullæ sunt leges civiles, furto, homicidio, adulterio, &c. hoc est, contrâ leges naturales per hunc art. peccari posse; id quod ipse non gravatur admittere *Annot. ad art. 10. cap. 1.* In statû mere naturali unicuique licebat facere quæcunque & in quoscunque libebat; & possidere, uti, frui omnibus, quæ volebat & poterat; hoc, inquit, ita intelligendum, quod quis fecerit in statû mere naturali, id injurium quidem homini nemini esse. Non quod in tali statû peccare (N. B.) in Deum, aut leges naturales violare impossibile sit. Præterea hisce peccari potest à principe; *Deut. 17. 1. Reg. 21. 2 Sam. 11. & 12. cum Ps. 51.* At hunc docet nullâ lege civili teneri, *art. 14. hujus cap.* Deindè horum & similium scelerum Gentiles reos peragit Apostolus, *Rom. 1.* non quòd hæc & similia fecerint, quatenus illa per leges civiles fuerunt definita & prohibita; sed quod hæc ipsa mala esse, & quid sint, dictante conscientia cognoverint ex ipsâ natura, ut patet *vers. 32. & cap. 2, 14, 15.* Adde *Levit. 18. 27. 1 Cor. v. 1.* Denique si neque naturâ, neque Scriptura, ut docet *art. 10. cap. 17.* definitum est, quid sit furtum, homicidium, &c. sed sola lege civili cognoscitur, sequitur V. D. Ministros, si pro Ecclesia 5, 6, 7, 8, 9. præcepta Decalogi explicare velint, non ex natura, aut Scriptura, sed ex corpore Juris civilis, quid furtum, &c. sint addiscere & docere debere; quod, quam absurdum sit, quis non videt? vide *2 Tim. 3. 16, 17.*

Ojicit de furto; Non omnis ablatio rei, quam alter possidet, sed rei alienæ tantum furtum, est; quid autem nostrum sit, quid alienum, legis civilis quæstio est.

Resp.

Resp. 1. Omnis ablatio rei, quam alius possidet jure seu ut suam, est ablatio rei alienæ: si ergò ablatio rei alienæ furtum est; ergò & ablatio rei, quam alter jure possidet ut suam. 2. Si furtum est ablatio rei alienæ, atque hoc lege naturæ prohibetur; ergò quid furtum appellandum sit, à lege naturæ definitum est. 3. Non sequitur, quid nostrum, quid alienum sit, legis civilis quæstio est; ergò hoc non est definitum à lege naturali, ut ex antedictis patet. 4. Lex naturæ dicitur communionem omnium bonorum esse abolendam, & jura quædam etinenda, quædam in alios transferenda, per art. 3. cap. 2. hoc autem fit pactis, per art. 9. ejusdem cap. quid ergò suum, quid alienum sit, ex pactis cognoscitur; jus etiam jure naturæ in rem aliquam acquiritur sorte, primâ occupatione, & primogeniturâ, per art. 18. cap. 3. & per art. 14. ejusdem cap. dictamen est legis naturalis, ut quæcunque jura unusquisque sibi et ipsi postulat, eadem etiam unicuique concedat cæterorum; non ergò quid suum, quid alienum sit, cognoscitur ex solâ lege civili. Simile est, quod de homicidio objicit; non omnis, inquit, occisio hominis homicidium est; sed ejus tantum, quem occidere vetat lex civilis. Resp. 1. Falsum est, non omnem occisionem hominis esse homicidium laxè; dicitur enim homicidium, quasi cædes hominis: sicut Horat. Homicidam Hælorem cum laude dixit. 2. Hominis innocentis occisio deditâ operâ; vel nocentis quidem, sed privatâ autoritate, est homicidium, quod lege naturæ prohibetur. 3. Lege civili non potest hominis innocentis occisio juberi, aut permitti; Hominis innocentis occisori parci, aut etiâ gravioris alicujus sceleris reis: undè colligitur legis civilis non esse per se primò definire, quænam hominis occisio homicidium appellandum sit. Nec melioris notæ est, quod de adulterio profert; neque, inquit,

Bb

inquit,

inquit, *omnis concubitus adulterium est, sed is tantum, quem leges civiles prohibent.* Resp. 1. Lex naturalis prohibet adulterium, non omnem concubitum, aut aliquem indefinite; ergò quid adulterium sit, ex lege naturæ cognoscitur. 2. Lex civilis neque quemlibet concubitum permittere, neque prohibere potest, aut debet; sed quem dictamen rectæ rationis, & lex Divina, aut permitendum, aut prohibendum docet. *Lev. 18. Rom. 1. I Cor. 4.* Denique, inquit, *promissi violatio injuria est; ubi ipsum promissum licitum est. Vbi vero jus non est paciscendi, ibi nullum jus transit. Ideoque nulla sequitur injuria; quæ autem pacisci possumus, quæ non possumus, à lege civili pendet.* Resp. 1. Hic supponit, injuriam adæquatè in promissi aut pacti violatione consistere, de quo ad *art. 3. cap. 3.* 2. Lex civilis circa pacta nihil definit, nisi secundum æquitatem naturalem. 3. Falsum est, in universum à legis civilis definitione pendere, quæ pacisci, & non pacisci possumus: nam 1. ipse *cap. 2.* multa circa pacta definivit ex dictamine rationis naturalis. 2. Filius promittit patri obedientiam; maritus & uxor sibi mutuo mutuas operas; omnes fideles Deo subjectionem sui ad ipsius voluntatem simpliciter, & in omnibus; quæ promissiones per se justæ sunt ac piæ: at hæc in universum à legibus civilibus non pendent: dependentia enim hominis à Deo, societas item conjugalis & paterna naturâ priores sunt lege omni civili, & societate politicâ. 3. Ipsa consociatio civilis seu politica pacto fit, per *art. 1. cap. 5.* at hoc pactum à lege civili non pendet, ut potè quod ipsa societate politica, adeoque omni lege civili est prius; prius autem à posteriori non pendet.

Objicit etiam *legem civitatis Lacedæmoniorum, quæ sanxit impunè fore adolescentibus, si quasdam res*
ita

ita aliis auferrent, ut non deprehenderentur; atque hoc statuit rectè factum: nihil enim aliud erat, inquit, quàm legem facere, ut suum, non alienum esset, quod sic acquireretur. Resp. 1. Olim apud Germanos latrocinium non reputabatur iniquum; ut refert *Julius Cæsar de bello Gall. libr. 6.* quod tamen evidenter fuit contra legem naturæ;

*Namque odit ipse vim Deus; nec divites
Nos esse rapto, sed probè partis, cupit, &c.*

Eurip. in Helen. undè & Paulus *Ictus furtum naturali jure prohibitum, & Ulpianus naturâ turpe,* dicunt, apud *Grot. de jure bell. ac pac. libr. 1. cap. I. num. 10.* 2. Lex nulla civilis præstare potest, ut suum sit, si quis acquirit aliquid mala fide, quod alienum est, inficio sc. & invito domino; quia hoc furtum est per dicta: at hoc neque permitti, neque juberi potest à lege civili. 3. Nec sequitur, quia tale quid olim sancitum fuit lege Lacedæmoniorum, ideo quid suum, quid alienum sit, non cognosci ex lege naturæ: una hirundo non facit ver; nam, ut rectè monet *Michaël Ephesius ad Nicom.* *Naturale est, quod apud plerosque non corruptos, sed naturæ convenienter se habentes obtinet.* Et rectè judicat *Cic. 3. off. Contra naturam esse, ex hominis incommodo suum augere commodum; & alibi: Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.*

De homicidio similiter statuit, *rectè ubique occidi, quem bello, vel necessitate propriæ defensionis occidimus.* Resp. 1. Falsissimum hoc: nam 1. quantum ad bellum; non recte in eo occiduntur, qui justum bellum gerunt, ab iis, qui injustum. 2. Neque etiam infantes, feminx, senes, & similes imbelles homines. Quantum ad necessitatem propriæ defen-

fionis, non licet v. gr. propriæ defensionis gratiâ tertium quem innocentem aut opponere, aut opprimendum inuasori objicere. 2. Resp. Hinc non probatur, quid homicidium sit, nullatenus cognosci ex lege naturæ; sed contra potius cognosci: si enim recta ratio dicitur, recte ubique occidi, quem in bello &c. occidimus, colligitur inde, non recte occidi, quem innocentem extra bellum, vel citra necessitatem propriæ defensionis occidimus; ut v. gr. *si quis alium occidat innocentem ex vanâ gloria & falsa virium æstimatione.* art. 4. cap. 1.

Similiter, pergit, *qui concubitus in una civitate matrimonium est, in alia adulterium judicabitur.* Resp. Quid adulterium sit, per se liquet; sc. concubitus cum uxore vel marito alterius: quæ autem civitas, quæso, talem concubitum judicabit legitimum matrimonium? & quamvis sic judicaret, eò tamen non minus esset adulterium. Opponit porrò quoad matrimonium, quodque legitimum sit, à civitate debere definiri; *quia, inquit, ea pacta, quæ faciunt matrimonium in uno cive, non idem faciunt in alio, quanquam ejusdem civitatis, atqui hoc est à lege civili.* Resp. I. Non est in univèrsum verum, à lege civili hoc esse: nam v. gr. pactum matrimoniale civis cujusdam cum sua sorore, matre, filia, noverca, est invalidum; non autem alterius cujusdam cum illa; quamvis ejusdem civitatis sint cives: verum hoc non est à lege civili primario, sed lege naturæ, ut constat *Levit. 18. 24, 25, 26. I Cor. 5. 1, 2.* Falsum est, *eum, qui pacisci quidpiam prohibetur à civitate, eo non habere amplius jus paciscendi*: nam aliud est ipsum jus, aliud ejus usus; potest ergo aliquis à natura jus habere paciscendi aliquid, cujus tamen juris usus per leges civiles impediri potest, non omnino tolli: unde intelligitur quomodo invalidum
dicen-

dicendum sit pactum, quo quis aliquid paciscitur contra leges civitatis, ad quod tamen paciscendum à naturâ jus habet. 3. Et hoc falsum; *omne matrimonium esse per se validum, modò non prohibeatur à lege civili.* V. gr. matrimonium inter fratrem & sororem, & reliqua supra memorata, item polygamia, pacta sunt matrimonialia suâ naturâ invalida; quamvis nulla lege civili prohiberentur; *Lev. 18.* Quod constat, tum quòd naturalis verecundia tales coitus non permittat: tum etiàm quòd bruta quædam animalia arcano naturæ instinctu ab iis abhorreant, secundum illud Senecæ in Hippol.

*Fera quoque ipsa veneris evitant nefas;
Generisque leges inscius servat pudor.*

Gentiles quoque, qui legem scriptam non habent, *Rom. II. 14.* Lucanus de coitu filii cum parente;

— *Cui fas implere parentem,
Quid reat esse nefas? —*

Et Cicero in Oratione pro Cluent. cum socrum genero nupuisse narrasset, subdit; *O mulieris scelus incredibile! & præter hanc unam in omni vitâ inauditum!* & apud Virg. est;

Thalamos ausum incæstare noverca.

Plato conjugia inter fratres & sorores vocat *μνδαμῶς ὄσια, καὶ θεομισῆ;* *minimè pia, sed Deo invisâ.* 8. de legibus. Undè autem ita judicarunt Ethnici, quam quod dictante natura hoc ipsum intelligere potuerunt? *Loc. cit. Rom. I. 32. & II, 14, 15.*

I Cor. 5, 1. Ipsi quoque Judæi leges istas *Levit. 18.* Gentiles quoque spectare, iisque hos etiam comprehendere statuunt; præsertim sex interdictis illis, quæ à prima rerum origine & jure naturæ derivant; coitus videlicet cum matre, cum noverca, cum uxore aliena, cum sorore uterina, cum masculino, & bestia; de quibus videre licet *Seldenum libr. 5. de jure nat. Hebr. cap. 1. & II.* Adde *Zepper. de lege Mos. l. 4. cap. 19. Voët. Pol. Eccles. p. 1. libr. 3. tract. 1. sect. 2. cap. 3. p. 56. & 65.* Polygamiam contra legem naturæ esse, sapientiores inter gentiles cognoverunt: *Euripid. in Andromachâ;*

Non etenim decet

*Imperare feminis geminis virum :
Contentus uno conjugis vivat thoro ,
Quicumque cupiet rite curatam domum.*

Et alibi idem;

*Nunquam gemina de matre genus ,
Nunquam duplices laudabo thoros.*

Et quæ plura sequuntur. Consonat Plautus in *Mercatore;*

*Nam uxor contenta est, qua bona est, uno viro :
Quî minùs vir una uxore contentus fiet ?*

Ex hisce jam patescit, quid dicendum ad ea, quæ occurrunt in annotatione ad hunc art. 1. Dicit; *Viri & mulieris ad cobitationem contractus legitimus, id est, Lege civili concessus, certè matrimonium est legitimum; cobabitatio autem, qualem aut inter quos civi-*

civitas fieri prohibet, matrimonium non est: cum sit de essentia matrimonii; ut contractus sit legitimus. Resp. Ostendimus modò, non in totum, atque unice pendere à Lege civili, definire, quis contractus matrimonialis sit legitimus, & quis non.

2. Dicit; *Matrimonia fuerunt legitima permultis locis, ut apud Judæos, Græcos, Romanos, quæ tamen solvi poterant; alibi verò matrimonium solvi non potest, atque hoc totum est à Lege civili. Resp. Divortium est contra naturam contractus matrimonialis, & primævam ejus institutionem; ut liquet, Gen. 2. 24. Matt. 19. I Cor. 7. 4. nullâ ergò Lege civili permitti potuit, aut debuit. Optimè Lactant. in hæc loca respiciens; Non enim sicut juris publici ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium; maritus autem, etiamsi plures habeat, à crimine solutus est. Sed Divina lex ita duos in matrimonium, quod est corpus unum, pari jure compingit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit. Libr. 6. inst. cap. 23. Et Hieron. ad Ocean. Apud nos, quod non licet feminis, æquè non licet viris. Quantum ad Judæos, divortium lege aliquâ civili ipsis fuisse concessum tanquam licitum, falsum esse liquet, tum ex loc. cit. tum ex Mal. 2. v. 14, 15. Tale quidem aliquid innui videtur Deut. 24. 1. verùm lege illâ Mosaicâ divortium ob quolibet causas non probari; sed eorum licentiam nimiam potius hâc lege quodammodo coërceri liquet, tum ex dictis Servatoris Matth. 5. 31, 32. tum ex ipsâ lege; ut quâ præcipitur, nemini fas fore, uxorem suam à se rejicere, nisi dato priùs libello repudii. Quicquid sit, divortia inter Judæos nullâ lege Mosaicâ unquam fuerunt probata; tolerata tantùm *πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν*, ut docet Servator Matth. 19. v. 8. Quodque ita permittimus (juxta auctorem sub nomine*

Chrysoft. hom. 32. in cap. 19. Matth.) *nolentes præcipimus; quia malas voluntates hominum ad plenum prohibere non possumus.* Græcis quidem aliquandò matrimonia solvi poterant, hoc autem etsi à lege civili esset, erat tamen, uti diximus contra legem naturalem: quod saniores inter Græcos non ignorârunt: talem fuisse legem Charondæ, ut quâcunque de causâ liceret uxori à viro divertere, judicârunt Thurii; qui, cum mulieres illâ licentiâ abufas pro libidine suos mutare maritos animadverterent, legem illam corrigere coacti fuerunt. *Diod. Sic. libr. 12. Bibl.* Neque à Romanis divortia frequentari cœpta ante annum U. C. 523. M. Attilio & P. Valerio coff. cum Sp. Carbilus Ruga primus cum uxore divortium fecit, idque jurejurando coactus, quò censoribus promiserat, se uxorem liberorum quærendorum gratia ducturum; *Gell. l. 4. cap. 3.* Et testatur *Tertull. in Apol.* tantam apud priscos Romanos matrimonii fuisse reverentiâ, ut annos ferè 600. nulla repudium domus senserit.

Tandem ad finem annot. ad art. ita concludit; *Matrimonium apud nos solvi non potest, quia civitas illud solubile fieri vetuit, non quia Sacramentum est: itaque circa matrimonium nuptiarum ceremonias, quæ in templis peagenda sunt, peragere, conjugibus benedicere, ad Ecclesiasticos fortasse solos pertinebit; cætera omnia, nempe, quæ, quando, quibus pactis, matrimonia fiunt, penes leges civitatis sunt.* Resp. Fatemur, quod matrimonium apud nos solvi non possit, non id inde esse, quod sacramentum sit; uti volunt Pontif. vide *Bellarmin. controv. tom. 3. de matrim, Sacram. l. I. cap. 4.* Sed, inquam, id nec in solidum est à civitate, aut lege civili, sed à natura contractûs matrimonialis. Vide *Ames. cas. consc. lib. 5. cap. 83. q. 1.* Concedimus etiam causas matrimoniales ad forum Politicum pertinere: at indè non sequitur. I. Illas ad Ecclesiasti-

cos nullo modo pertinere per modum consilii, 2. A Lege naturæ neutiquam esse definitum, quî, quando, quibus pactis matrimonia fieri debeant.

Ex dictis sequitur, falsissimum esse, quòd tradit *Autor*.

1. *Art. 9. cap. 14. Præcepta Decalogi de parentibus honorandis, homicidio, adulterio, furto, falso testimonio, leges civiles esse.*

2. *Et quod occurrit art. 10. cap. 17. Legibus illis, non occides, non machaberis, non furabere, parentes honorabis, nihil aliud præcepisse D. N. J. Christum, quam ut cives, & subditi suis Principibus, & summis Imperantibus, in quæstionibus omnibus circa meum, tuum, suum, alienum, absolute obedirent.*

CAPUT XXII.

De præceptis Decalogi in specie.

De primo Præcepto.

Cultus religiosus primo præcepto imperatus est
 1. *Agnitio veri Dei*, Joh. 17. 3. & 2. *Religiosus erga illum affectus; fides nempe & fiducia*, Prov. 3. 5. *Obedientia*, 1 Sam. 15. 22. *Spes*, Ps. 123. v. 1, 2. *Dilectio Dei ex toto corde*, Deut. 6. 5. *Honor & Timor filialis*, Mal. 1. 6. *Econtrà prohibetur Atheismus*, Ps. 14. 1. quo sanè nullum majus crimen est, & gravius puniendum: nam igne flammante infligetur ultio iis, qui Deum nesciunt. 2 Thess. 1. 8. *Idololatria*, Deut. 6. 14. *Magia*. Ibid. 18. 10, 11. Levit. 19. 26, 31. & 20. 6. Exod. 7. & 8. 1. Sam. 28. Jes. 8. 19. Act.

Act. 8. 9, 11. & 13. 7, 8. & 19. 18. item *Superstitio*, Coll. 2. 21. quæ vanus est & falsus cultus, qui Deo vel vero, vel fictitio exhibetur vanis & commentitiis ritibus & ceremoniis, in quibus religio, vel remissio peccatorum, vel meritum ponitur; qualis erat ritus ille apud Philistæos de non calcando limine infero ædis Dagonis, 1 Sam. 5. 5. quamvis cultus ille apud eos publicè esset receptus. Quibus omnibus adversus Hobbesius docet.

I. In primo præcepto (*Non habebis Deos alios in conspectu meo*) Civitatis reformandæ studium prohiberi. L. c. 30. p. 159.

Resp. Qui dicit primo præcepto; *Non habebis Deos alios &c.* est solus verus & æternus Deus, qui eduxit populum Israël ex Ægypto, ut liquet ex *Præf. Decal.*; illo ergo præcepto prohibetur *Idololatria*, qua loco veri illius & æterni Dei, vel præter ipsum fiducia in alio collocatur. Quid hoc ad Civitatis reformandæ studium? Etiam procul dubio primum præceptum obligat illum, qui in Civitate summam habet potestatem, *Deut. 17. 19. Jos. 1. 7, 8.* An ergo etiam illi Civitatis suæ reformandæ studium à Deo prohibetur in primo Decalogi præcepto? *Vide cap. præc. Ass. 1.*

II. Præceptum Decalogi primum, de non habendis Diis alienis, obligare non naturaliter; sed vi pacti initi cum Abrahamo. C. c. 16. a. 10.

Vult Deus primo præcepto, ut ipsum solum verum & æternum Deum, universi mundi Creatorem, pro Deo nostro agnoscamus, in ipso solo omnem nostram fiduciam collocemus, ipsumque solum religiosè honoremus & colamus; quod certè homini unicuique dictat ratio naturalis, *Rom. 1. 19, &c.* ad quod proinde homo unusquisque naturaliter obligatur. Et nisi præceptum illud naturaliter obligaret, sed ex solo pacto Dei cum Abrahamo, tum Gentiles contra primum

num præceptum peccare non potuissent, contra Rom. I. 20, 21. nec Majores Abrahami, contra Jos. 24. 2. & Ies. 29. 22. Dicit quidem Deus in Præfat. Decal. *Ego sum Dominus Deus tuus*; uti dixit Abrahamo: *Ero Deus tuus, & seminis tui*; verum inde non magis sequitur, primum præceptum obligare ex solo pacto cum Abrahamo, quam reliqua omnia: cum verba illa Præfationis non minus reliqua omnia præcepta respiciant, quam illud primum. Neque ex verbis illis (*Ego sum Dominus Deus tuus*) sequitur magis, primum Decalogi præceptum obligare ex solo pacto cum Abrahamo, quam ex illis additis (*qui eduxi vos ex terrâ Egypti*) illud obligare ex solo pacto cum Israël ad montem Sinai. Et quod hîc docet de reliquis prioris Tabulæ præceptis (excepto primo & quarto) quod obligent naturaliter, quî cohæret cum eo, quod de præceptis Tabulæ prioris illum docere intelleximus cap. præc. Ass. 2. quod nempe obligent non naturaliter; sed ex eo solo, quod populus Israël seipfos ad obediendum Mofi obligaverit his verbis; *Loquere tu nobis, & audiemus*. Etiam alibi docet; leges, quibus Abrahamus tenebatur, alias non fuisse præter *leges naturales, cultum rationalem, & circumcissionem* C. cap. 16. a. 5. Ast lex de non habendis Diis alienis non est Circumcisio; ergo si nec lex naturalis est, aut cultus rationalis, hoc est, si non obligat naturaliter, & tamen etiam Abrahamus illa lege obligatus fuit; quî tum ille nulla alia lege tenebatur, quam naturalibus, & lege de Circumcissione?

III. Deum verum agnosci non posse aut ex S. Scriptura, ut quam negat homines Christianos scire posse esse Verbum Dei. Vide cap. 4. Assert. 1. aut ex natura à plerisque hominibus. Vide cap. 12. Assert. 1. Imo ne concipi quidem posse. Ibid. Ass. 3. Sciri non posse ex prim-

principiis scientiæ naturalis Dei naturam aut proprietates. C. c. 15. a. 15.

Qui tum fiduciam in Deo habere possent homines Christiani? qui diligere illum ex toto corde, & similia, quæ unâ cum veri Dei agnitione hoc præcepto diximus imperari? ut quem esse certò scire non possunt. Homines quidem per naturam Deum ita non diligunt, aut in solo illo fiduciam suam ponunt; verum hoc non inde est, quod plerique Deum esse scire non valeant, aut illum *conscipere* ratione naturæ, aut proprietatum Illius; sed ab ingenita naturæ humanæ corruptione. Hinc de Gentilibus ait Apost. quod Deum agnoscetes, tamen ut Deum non glorificaverint, Rom. 1. 21.

IV. Non credere, ait, non esse legum Divinarum positivarum transgressionem, sed negationem; quia credere animi actus est, non à Deo jussus, sed factus, quem, quando & quibus vult, dat negatque. L. c. 26. p. 136.

Resp. 1. Non credere Deo, nobis aliquid revelanti, transgressio est legis naturalis: quia dicitur nobis ratio naturalis, Deo, quem scimus mentiri non posse, fallere aut falli, credendum esse: nam *qui non credit Deo, mendacem eum facit.* 1 Joh. 5. 10. 2. Credere animi actum esse non à Deo jussum, apertè falsum est: nam *hoc est ejus præceptum, ut credamus.* 1 Joh. 3. v. 23. Et 3. quasi ἀσυστατα essent, eundem animi actum à Deo jussum & factum esse; notum illud August. *Da quod jubes; & illud apud Prophetam; Convertite nos, & convertemur,* Jer. 31. 18. Et mirum, hîc scribere illum; *Credere animi actum esse, non à Deo jussum, sed factum,* qui alibi negat, *fidem & sanctitatem supernaturaliter infundi, sed studio & ratione acquiri.* L. c. 29. pag. 152. C. c. 12. a. 6. Plura vide cap. 9. Assert. 6.

V. Obedientiam nullam agnoscit præter civilem: nam *leges omnes, tam scriptas, quam non scriptas, vim suam*

suam à voluntate Civitatis habere. Leviath. cap. 26. pag. 130.

Tum non cuius *ordinationi humanae* subjecti esse deberent Christiani *propter Dominum*, ut vult Apostolus 1 Petr. 2. 13. sed contra omni Verbo Dei *propter Civitatem*, ut vult Hobbes. Quod non esset Deo obedire, sed Civitati. Vide etiam Rom. 13. 5. confer c. 20. Ass. 7.

VI. De Spe & Timore docet, quod *respiciant solam potentiam in honorando.* Leviath. c. 31. p. 169. C. c. 15. a. 9.

Permagni & necessarii usus in Theologiâ & pietatis praxi est distinctio *Timoris Dei in filialem & servilem*: innuit illam Apost. Rom. 8. 15. *Non enim accepistis Sp. servitutis rursus ad metum; sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba Pater.* Nam sanè longè alius affectus est, quo filius metuit & reveretur patrem suum, quam quo servus coactus metuit herum suum: nam (ut rectè Seneca in Thyeste) *Quos cogit metus laudare, eosdem reddit inimicos metus.* Et alius Poëta; *Quem sic metuit quisque perisse cupit.* Hinc illud Ciceronis in Catone; *Metuebant eum servi, verebantur liberi.* Sed nisi metus, hoc præcepto mandatus, præter *potentiam* in Deo honorando respiceret etiam ejusdem *bonitatem & misericordiam*, nulla differentia esset inter *metum Dei servilem* impiorum, & *metum Dei filialem* fidelium; nec minus impii metu suo *servili* Deum honorarent, quam suo metu *filiali* fideles: quippe impii, Deum metuentes, maxime *potentiam* in illo respiciunt, Iac. 2. 13.

Spem in Deo præter *potentiam* ejus etiam respicere ejusdem *bonitatem & fidem* clarius est, quam ut multis probari debeat. Ps. 33. 18. *Ecce oculus Jehovæ attendit ad timentes sui, ad expectantes benignitatem ipsius.* & 13. 6. *Ego vero in benignitate tuâ fiduciam habeo, exultet*

exulset animus in salute tuâ. Et 48. 10. Cogitamus o Deus, benignitatem tuam in medio templo tuo. Et 1 Cor. 10. 13. Fidelis est Deus, qui non finet vos tentari supra id, quod potestis, &c. Hinc optimè Bernardus; Tria, inquit, confidero, in quibus tota spes mea consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio, dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione: licet enim ei facere, quod voluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur: quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usque demissum firmiter obsecro teneamus: ut ipse nos subleuet, ipse nos trahat & pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei, qui est benedictus in secula. Serm. 3. de septem panib.

Πρωτον Λεωδ; *ius regnandi à sola potentia derivari. Et honorem consistere in solius potestatis opinione. De quibus vide supra cap. 19. Aff. 3. cap. præc. Exercit. I. ad loc. cit. de C.*

VII. *Ethnicos, ait, eosdem Deos adulteros, fraudulentos, fures, omnibusque aliis vitiis conspurcatos fecisse, natis à potentiâ, & quæ leges humanas potius, quam honorem videntur violare. L. c. 12. p. 59.*

Quasi adulteria, fraudes, furta &c. essent tantum legum humanarum violatio, contra quod Apostolus disertè de Ethnicis testatur, quod illis suis flagitiis ius Dei violaverint, Rom. 1. 28 – 32. & quod Ipse tradit de præceptis Decal. Tabulæ secundæ (quorum utique violatio sunt illa memorata) quod leges sint naturales, Divinæ atque æternæ, Lev. c. 42. p. 244. Et quasi adulteria, fraudes, furta &c. a potentia essent, contra quod

quod ipse scribit; *Homines generosos fallere ut signum impotentia dedignari*. L. c. 17. pag. 71. & honorem non violarent: nemo honestus putabit, non lædi honorem suum, cum de se dici audit; quod sit *adulter, fur &c.* Nec adulteri, fures, & similes viris honestis in honore esse solent.

Hic idem $\pi\rho\upsilon\tau\omicron\nu\ \iota\upsilon\delta\theta$, quod Aff. præced.

VIII. *Atheismum* contendit non esse peccatum strictè dictum, seu malum culpæ; sed tantum imprudentiam quandam. C. c. 14. a. 19.

Atheum, qui directè negaverit, Deum esse, puniendum quidem; at non morte, sed exilio. App. c. 2. p. 252.

Quod tamen pœnam esse negat; sed mandatum publicum fugiendi pœnam L. c. 28. p. 149.

Ergo in foro Hobbeshano puniendi quidem sunt *Athei*, verum non pœnâ aliquâ, sed fugâ pœnæ.

Et tamen se *Atheis* ita inimicum esse profiteretur, ut legem aliquam, juxta quam condemnare eos injustitiæ posset, & diligentissimè quæsierit, & vehementer cupiverit, sed nullam invenerit. Civ. cap. 14. a. 19. in Annot.

Quam inepta sunt hæc, & contradictoria! Sed I. Quia *Athei*, quod ex natura scire potuerunt, agnoscere noluerunt, *Apost.* disertè illos $\alpha\delta\iota\kappa\iota\alpha\varsigma$, *injustitiæ*, reos esse pronuntiat, *Rom.* 1. 18. Qui hoc, si *Atheismus* non est peccatum strictè dictum, seu malum culpæ, aut injustitia aliqua contra legem; sed tantum excusabilis quædam imprudentia? Manifestè *injustitiæ* damnantur *Athei* hoc primo præcepto: nam Deus alios Deos habere prohibens, apertè jubet se pro Deo agnoscere & coli. Quin ipse c. 15. a. 14. enumerans leges naturales circa Dei attributa, imprimis manifestum esse scribit, attribuendam esse Deo existentiam: unde miror, quî scribat (loc. in *Affert.* cit.) quod legem aliquam, juxta quam *Atheos* condemnare *injustitiæ*

stitiæ posset, tam diligenter quaesierit, & vehementer cupiverit, sed nullam invenire potuerit; cum legem illam tantopere ab illo desideratam, paulò post (C. c. 15. a. 14) ipse ultrò, & nullo labore nobis expediat. 3. Et inepta est, quam supponit, & inaudita peccati distinctio in strictè & latissimè dictum; nisi Atheismus est peccatum strictè dictum, sive ἀνομία, 1 Joh. 3. 4. tum nullo modo peccatum est. 4. Et cum Atheismus Idololatriam, Apostasiam, Blasphemiam, Sacrilegium & formaliter, & virtualiter, & eminenter in se complectatur; & olim Deus illa crimina morte puniri voluerit, Deut. 13. 20. & 17. 5. Levit. 24. 23. Ios. 7. 25. quí minùs eadem poena digni sunt Athei? 5. Neque quod híc ait, Atheos non morte, sed exilio puniendos esse; & Atheos injustitiæ non posse condemnari, cohæret cum eo, quod de iisdem ait l. cit. quod non jure imperii ut subditi, sed jure belli ut hostes puniendi sunt: nam qui jure belli ut hostes puniuntur, non illi solent exilio, sed morte puniri; & qui injustitiæ condemnari non possunt, innocentes sunt; illos ut hostes bello punire, injustum & iniquum est.

Sed Atheismum probat non esse injustitiam, seu peccatum strictè dictum, sed tantum imprudentiam quandam ex Ps. 14. 1. Dixit insipiens in corde suo; non est Deus. Resp. Eriam Hos. 13. 12. Ephraim ob peccata sua appellatur filius insipiens, & tamen peccata ejus vocantur iniquitas, ibid. ita Atheismus quamvis imprudentia aut insipientia nominetur; non inde tamen concludas, illum non esse injustitiam, aut peccatum strictè dictum.

IX. Opinionem de Magica & incantationibus omnino explodit.

Loca S. Scripturæ, quæ opinioni illi favere videntur vult alium sensum habere debere. Lev. c. 37. p. 206. de hom. c. 14. a. 12.

Inter

Inter loca, quibus *Magiam Diabolicam* dari demonstravimus supra, etiam protulimus *Exod. 7. & 8.* ubi Magi Ægyptii, postquam Moses virgam suam projiciendo in terram convertit in serpentem, *simile fecisse* leguntur incantationibus suis; & postquam Moses per potentiam Dei in terras Ægyptiorum induxit ranas, etiam *simile fecisse*. Certè mirabilia illa Magi non fecerunt ope Dei, ut quæ illi faciebant ad seducendos Ægyptios; neque a Magis fieri potuerunt per *verba & sonos*: tantam enim efficaciam illa per se habere non posse, ipse fatetur; neque per *imposturam*: fieri quidem potest, ut homines improbi, si duo tantum conspirarent, unus ut simularet, se claudum esse, alter ut incantatione illum sanaret, homines decipiant. Sed ut virga videatur serpens, aut aqua sanguis, & innumerabilis copia ranarum subito inducatur in totam aliquam regionem, quâ imposturâ hominum conspirantium fieri potest? Neque suâ ipsorum *agilitate* illa præstare Magi illi potuerunt; aut *applicando* naturalia agentia passivis. Quare superest, illa mirabilia à Magis illis facta fuisse ope Diabolorum.

Πρώτον Ἰεῦδ Θ; Demones esse tantum phantasmata, sive idola cerebri, hoc est, esse nihil. Vide supra Cap. 15. de Angelis.

X. Metum potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab historiis acceptæ sint publicè, religionem esse, dicitur; si publicè acceptæ non sint, superstitionem. Quando autem potentiæ illæ revera tales sunt, quales accepimus, veram religionem. Leviath. cap. 6. pag. 28.

Quasi potentiæ invisibiles religiosè colendæ plures unâ revera tales esse dici deberent, contra Deut. 6. 4. & religionis ratio in eo consisteret: quod potentiæ aliquæ invisibiles, quas metuimus, publicè receptæ

sint: & nemo illic, ubi potentia illa ficta sunt, & publicè recepta, colere verum Deum privatim posset religione; sed cultus illius *superstitio* dicenda esset; v. gr. cultus veri Dei à Danièle in Babylone, *Dan. 6. vers. 11.* Et Ritus ille de non calcando limine infero ædis Dagonis apud Philistæos publicè receptus erat, *I Sam. 5. v. 5.* an propterea religio, non *superstitio* dicenda? Et *δεισσοδαιμονία* (*superstitio*) appellatur cultus apud Athenienses publicè receptus. *Athor. 17. vers. 22.*

De secundo Præcepto.

Cultus institutus secundo præcepto imperatur; quò pertinent *Vota* (sive promissiones religionæ) soli Deo nuncupandæ, *Psal. 76. 12.* de rebus præceptis, aut saltem licitis; quin res simpliciter ut indifferentes consideratæ non debent Deo voveri. *Amez. cas. 1. 4. cap. 16.* Item *Sacrificia*. Damnatur omnis *ἰδολοθρησκεία*, *Coll. 2. 20, 23.* cultus nimirum ex humano cerebro confictus. Atque *Idololatria*, quâ Idololum fabricatur, retinetur, aut religiosè colitur capitis apertione, corporis incurvatione, genuflexione, & similibus gestibus, quod manifestum est ex verbis præcepti; *Ne facito tibi imaginem, &c. Ne incurvato &c.* Hic Ille

I. *Alicui civi honorem, summæ potestati proprium, deferre ait esse transgressionem mandati secundi.* *Lev. c. 30. p. 159.*

Resp. Hæc est transgressio quinti præcepti, jubentis *Cæsari dare quæ Cæsaris sunt;* *Matt. 22. 21.* *Reddere omnibus, quod debemus, cui tributum debetur tributum &c. cui honor, honorem,* *Rom. 13. 7.* Primi & secundi mandati transgressio est, alicui creaturæ deferre

Ferre honorem soli Deo proprium; *nondare Deo, quæ Dei sunt.* Matt. 22. 21. Vide cap. 21. *Affert. 1. & I. præcept. Aff. 1.*

II. *Pacisci cum Deo, nisi mediante aliquo, qui Dei locum teneat, impossibile esse; aliter enim an Deus etiam pactus sit ignorari.* Leviath. cap. 14. pag. 69, 20. C. cap. 2. a. 12.

Quasi cum mediante aliquo Dei Vicario, nempe Magistratu, cum Deo paciscimur, tum sciremus magis, Deum etiam pactum esse. Aut quasi citra revelationem immediatam hoc ex verbo Dei revelato minus scire posset quilibet Christianus, quam Magistratus. Multorum vota Deus accepta habuit, quamvis non facta mediante aliquo homine, Dei Vicario; ut Jacobi, *Gen. 28.* Hannæ, *1 Sam. 1.* & piorum vota omnia solâ mente concepta, quale Hannæ fuit, *Ibid. vers. 11, 12, 13.* Alicui præterquam soli Deo sese voto religioso adstringere, est creaturæ honorem deferre soli Deo proprium, ac proinde transgressio secundi præcepti.

III. *Qui vovent aliquid, lege Divinâ mandatum, frustrâ vovere.* Leviath. cap. 14. pag. 70. Civ. c. 2. a. 13.

Quod Jacob vovit, lege Divinâ mandatum erat, *Gen. 28. 22.* similiter quod vovit David, *Psal. 119. v. 106.* quod Iudæi, *Neb. 10. 29.* nec tamen frustra, ut *loc. citt.* constat: nam quamvis voventes aliquid lege Divina mandatum, ipsa lege *passivè* satis obligati sumus, tamen votum accedit, ut obligationem illam, quæ à lege est, *activè* efficacius agnoscamus, & recipiamus; & hoc pacto gratitudinem nostram coram Deo testemur. *Psal. 56. 13. Super me, Domine, vota tua, laudes tibi persolvam.* Amel. *cas. l. 4. c. 16.*

IV. *Ad actiones externas, quibus ratio docet, Deum colendum esse, reducit etiam dona, id est,*

oblaciones & sacrificia. Civ. cap. 15. 3. 15.

Quasioblaciones & sacrificia ad cultum Dei *naturalē*, non institutum pertinerent; & de iis quicquam ex ratione naturali definiri posset. Nam quoniam ratio naturalis dicitur, Deum sibi soli sufficere, nec quoquam indigere; Deum sacrificiis & oblacionibus honorari, sciri nequit, nisi lege aliqua Divina revelata, *Astor.* 17. 24, 25. Hinc illud Ovid. *Non bove mactato cœlestia Numina gaudent; sed, quæ præstanda est & sine teste, fide.* Quo etiam facit illud Theophrasti, quod ex Porphyr. sicut alia plurima huc facientia refert Euseb. Præp. Euang. l. 4. c. 14. *Deos nihil istis omnibus (donis & sacrificiis) indigere; sed in eorum potius, à quibus adeuntur, mores intueri, magnique sacrificii habere loco rectam de seipsis, deque rerum veritate sententiam.* Vide Rivet. in *Genes.* c. 4. Exerc. 42.

V. Docet etiam, *rationem naturalem præcipere, ut, quicquid in sacrificiis exhibetur, oporteat esse optimum.* Ibid.

Multæ olim fuerunt gentes, quæ humanis hostiis litârunt, imo proprios liberos Diis suis immolârunt; de Chananæis, constat, *Levit.* 18. 21. 24. *Deut.* 12. 31. & 18. 9, 10. de Sabæis idem testantur Historici apud *Hottinger. Hist. Orient. l. 1. cap. 8.* In Ægypto quoque homines, & quidem formæ exquisitæ, sacrificatos fuisse antiquitus literis proditum est. Et Romanis olim creditum fuit, sacrificii æstimationem mactari dignitate augeri; unde & apud illos hæc *ἀνθρωποθύσια* emerit; imo illam etiam Americæ incolis frequenter ari, tradunt Historici. An ergo Gentiles rectæ rationi convenienter fecerunt? nam quid præstantius carnis iudicio immolare potuerunt? Unde colligo, sacrificia ad cultum Dei *institutum* pertinere, non ad *naturalem*; neque ex sola ratione naturali

turali de iis quicquam sine verbo Dei absque periculo erroris posse definiri, imò nihil definiendum esse. Quod ipsum saniores inter Gentiles & viderunt, & præceperunt; dum placationis faciendæ ritus sibi metipsis præscribere non fuerunt ausi, sed satius duxerunt, divinitus illos per oracula, Vates, Augures, aliosque, quibus cum Diis putabatur commercium, sciscitatos addiscere. Sapienter Jamblichus de vitâ Pythag. *Non facile est dignoscere, quibus delectatur Deus, nisi quis eum qui Deum audivit, vel Deum ipsum audiverit, vel Divina arte eam scientiam sibi comparaverit.*

VI. *Sacrificia cruenta ait ab initio instituta fuisse à Civitatibus ad alendos Sacrificatores.* Leviath. cap. 12. pag. 57.

Resp. Sacrificia illa primitus ab ipso Deo instituta fuerunt, ut liquet in sacrificio Abelis, qui *ex fide sacrificasse* dicitur, *Hebr. II. 4.* procul dubio eum in finem, in quem legimus illa ab initio in usû fuisse; nempe non ad alendos sacrificantes; verum ad cruentum D. N. J. Christi sacrificium præfigurandum, *Apoc. 13. 8.* nam quæ sacrificia cruenta ab initio immolârunt Abel, Noach &c., palam est, non iis alendis inserviisse. Sacrificia autem Gentilium unde originem habent? Resp. Non ab *institutione Civitatum*, ut perperam Hobbes ait, sed ab institutione Divina Patriarchis facta, atque ad Gentiles transmissa à Noacho & posteris ejus, ut liquet ex eo, quod Moses scribit de omnium Gentium origine ex Noacho & filiis ejus, *Gen. 9. 10, 11.* Sed hæc Gentilium sacrificia quem in finem ab illis ab initio frequentata fuerunt? Resp. Non ad alendos Sacerdotes, quod Ille hîc fingit sine ulla ratione; sed ad expianda peccata sua, & placandum Deum, quem, dictante sua conscientia, delictis suis offensum & iratum esse crede-

bant, Rom. I. 32. & 2. 14, 15. atque ut sanguine illarum victimarum à reatu peccatorum suorum purgarentur; unde sacrificia ἱλαστικὰ, ἀγνιστικὰ, καθαριστικὰ in scriptis Gentilium; & ἱλάσκεσθαι ab Homero aliisque sæpissimè dicuntur; & ἀγίζαν τῶ πόλιν apud Plutarch. in Romulo.

VIII. *Cultus reliquos, quos non suggerit ratio naturalis, legibus civilibus relinqui instituendos, ait Lev. c. 12. p. 57.*

Cultum religiosum ab ipso Deo neque per S. Scripturam aut revelationem supernaturalem, neque per rationem naturalem definitum, legibus civilibus instituere, ἰδιολοθησικεία est, quam damnat Servator, Matt. 15. *Frustram colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum;* Et Apost. Col. 2. *Nam quicquid (in religionis negotio) non est ex fide, sive ex revelatione Divina, peccatum est.* Rom. cap. 14. vers. 23.

VIII. *Ea facere, quæ consuetudo honoris signa statuit, honorantis esse. L. c. 10. p. 45.*

Quasi signa honoris religiosi esse possent, quæ non sunt ab ipso Deo instituta; contra *loca Assert. præc. cit.* Aut consuetudine honoris religiosi signa statui non possent, & sæpè statuuntur ab Idololatriis & Superstitiosis, quæ sunt vel præter vel contra institutionem Divinam, adeoque revera honoris religiosi signa non sunt, sed *superstitio vel Idololatria;* v. gr. Vituli Ieroboami, 1 Reg. 12. 28. Quin expressè vetat Deus contra statuta sua ambulare in statutis Patrum; sive in cultu suo ea facere, non quæ ipse, sed consuetudo honoris signa statuit. Ezech. 20. 18. *Consuetudo sine veritate est vetustas erroris.*

Obj. *Ea facere honorem, ab aliis habitum, confirmat.* Resp. Nempe si revera honoris religiosi signa sunt,

sunt, à Deo instituta; sin minùs, tum non honorem ab aliis habitum, sed eorum vel superstitionem vel errorem confirmat.

IX. Quærit; An obediendum Civitati sit, si imperet aliquid dici vel fieri, quod non est directè in contumeliam Dei, sed ex quo per ratiocinationem consequentiæ contumeliosæ possunt derivari: veluti si imperetur Deum colere sub imagine coram iis, qui id fieri honorificum esse putant? Certè, inquit, faciendum est. De Cive cap. 15. a. 18.

Ergòne faciendum; quod tendit in contumeliam Dei? & colitur honoraturque Deus eo, quod Illi contumeliosum est, sive contra suum honorem? inepta contradictio!! Et falsum (quod supponit) Deum colere sub imagine indirectè tantum cedere in contumeliam Dei: nam quid interest, sive ore, sive opere Deo figura affingatur? at qui ore attribuit Deo figuram, ille directè Deum afficit contumeliâ, per art. 14. hujus cap. Vide Rom. 1. 23. Et quamvis idololatria illa indirectè tantum tenderet in contumeliam Dei, illud tamen præstare non posset, ut à peccato immunis esset subditus, si quis Civitati, Deum sub imagine colere imperanti, obediret: plus enim & minus non variant speciem; & quod Civitas non potest jure subditis imperare faciendum, in eo subditi non tenentur Imperanti obedire: nam (ut rectè Musonius ait) *si quis aut Patri, aut Magistratus, aut Domino turpia aut iniqua factu imperanti non paret; is nec inobediens est, nec injuriam facit, nec peecat; & juxta illud apud Euripidem; Non imperata jure nec jus exsequi;* at Civitas non potest jure imperare, quod recta ratio, quæ est lex naturalis & Divina, dictat tendere in contumeliam Dei: nam si Civitas illud imperare jure posset, tum illam potestatem haberet aut à Deo, aut à subditis; à Deo fingi non potest

test Ius aliquod esse, quod est contra ejus jussum, quale est, quod legi Divinæ contrarium est, Deoque contumeliosum. Neque à subditis: quia subditi ante constitutam Civitatem jus ejusmodi non habuerunt: nam aut habuissent à se, aut à Deo; non à se, ut patet; neque intelligi potest, Deum hominibus jus dedisse se colendi eo modo, quo contumelia afficitur. Proinde cum (ipso teste) Deum sub imagine colere indirectè saltem tendat in contumeliam Dei, non obediendum Civitati est illud imperanti: oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus, Act. 5. 29. Magis ergo obediendum Deo se sub imagine colere prohibenti, quam Civitati illud imperanti. Quibus accedit ipsius Adversarii confessio, art. 16. *In actionibus, quæ, quod attinet ad honorem vel contumeliam, adiaphora non sunt, sed naturalia sunt contemptus aut honoris signa, nihil immutare posse Civitatem; aut, inquam, colere Deum per imagines est talis actio, quæ non quoad honorem aut contumeliam est adiaphora; sed quæ natura sua tendit in contumeliam Dei, ut hic ipse fatetur.*

Obj. *Quod cultus, instituat in signum honoris, sic autem colere signum honoris sit, & honorem Dei propaget apud eos, quibus pro tali signo habetur. Quasi finis primarius cultus Divini esset honorem Dei propagare apud alios, quod falsum esse demonstravimus cap. præc. Exerc. ad art. 13. Et signum honoris esse posset, aut honorem Dei propagare apud alios, quod sua natura tendit in contumeliam Dei.*

Objicit sibi. *Qui Deo terminos attribuunt, faciunt contra legem de cultu Dei naturali, per art. 14. jam qui Deum colunt sub imagine, terminos illi statuunt; faciunt ergo quod faciendum non est.* in Annot. ad hunc Art.

Ad hoc respondet, I. *Non illos, qui imperio consti-*
sic

fic colunt, Deo terminos assignare, sed qui imperant; nam qui invitati colunt revera colunt, sed eo in loco stant vel procumbunt, in quo loco stare vel procumbere à legitimo imperante iussi sunt.

Resp. 1. Non ergo prudenter fecissent Socij Danielis, qui imaginem à Nebucadnezare erectam adorare recusarunt: oportuisset enim illos cogitare, non se, qui imperio coacti sic colunt, Deo terminos assignare; sed Regem, qui id imperabat; se autem stare tantum vel procumbere, in quo loco stare vel procumbere à legitimo imperante iussi erant; atque sic eludi posse mandatum Regis. 2. Quid si Civitas directè imperet Deum contumeliâ afficere, aut prohibeat colere, aut se coli jubeat attributis & actionibus illis, quibus colendus est Deus; an obediendum? negat & rectè; sed si obediat subditus, an peccabit? procul dubio: nam ideo ait non esse obediendum; sed dicam, non illos, qui imperio coacti hoc faciunt, directè Deum contumeliâ afficere, sed qui imperat: si dicas, peccatum hoc fore & imperantis & subditi; regeram, peccatum ergo committi non tantum, quando imperatur, ab eo qui imperat; sed & ab ijs, qui peccatum imperanti obediunt. Non ergo peccat tantum Princeps, si Deum sub imagine coli præcipiat; sed & ille, qui imperio coactus sic colit.

*Antonî tamen est pejor, quam causa Photini:
Hic Domino facinus præstitit, ille sibi.*

3. Et nihil falsius hoc pronuntiato; *Qui invitati colunt revera colunt*: nam cultus Dei actus moralis est, qualis esse non potest, si coactus sit, non voluntarius; rectè Lactant. l. 5. *Nihil tam voluntarium, quam religio; in quâ si animus est sacrificantis adversus, jam sublata, jam nulla est.* Unde suspicor, sphalma hîc esse typographicum

graphicum, & legendum esse; *Non qui invitati colunt
revera colunt* (Non pro Nam) quod etiam sequentia
verba videntur postulare; *Sedeo in loco &c.* 4. Nec
juvat eum hoc; *Eo loco stant vel procumbunt, in quò
loco stare vel procumbere à legitimo Imperante iussi sunt:*
nam 1. de loco non est quæstio, sed de ipso Dei cultu
sub imagine. 2. Et aliud est legitimus Imperans,
aliud legitimè imperans 3. Abstinentum ab omni
specie mali, 1 *Theff.* 5. 22. *Christos* ambulandum,
Eph. 5. 15. ad *Jud.* 23. 1 *Cor.* 10. 20. Quod non fit ab iis,
qui tali loco stantes vel procumbentes Deum colunt.

Respondet 2. *Faciendum id esse non semper & ubique,
sed supposito, nullam aliam esse colendi Dei regulam,
præter dictamina humana rationis: nam tunc, inquit,
voluntas Civitatis pro ratione est. At in Regno Dei per
pactum, ubi expressè prohibetur idololatria, faciendum
non est, etsi Civitas sic colere jubeat.*

Resp. 1. Idololatria etiam expressè prohibetur per
Verbum Dei rationale, seu dictamen rectæ rationis:
est enim contra rectam rationem, & cultum natura-
lem Deo debitum, ipsi terminos assignare, per *art.*
14. *hujus cap.* & liquet *Rom.* 1. 23. *supra cit.* & tacitè
concedit in primâ respensione ad objectionem; nec
minus verbum Dei est, quod per dictamina rectæ
rationis, quam quod per supernaturalem revela-
tionem declaratur, per *art.* 3. *hujus cap.* 2. Genuina
hæc nota Tyranni est; *Stat pro ratione voluntas:* in
omni Civitate voluntas Imperantis, ut vim obligan-
di habeat, non debet stare pro ratione, sive esse con-
tra eam, sed eidem consentanea. Et 3. Quod hîc
nefas esse docet in Regno Dei per pactum, ubi ex-
pressè prohibetur idololatria, id alibi etiam in ejusmo-
di Regno Dei licitum esse contendit, probatque ex
verbis Nahamanis ad Elisæum; simulque verbis Eli-
sæi

fæi ad ipsum, 2 Reg. 5. 17, 18. de quo mox. 5. Denique, in Regno Dei naturali aut licitum est imperio coactis non tantum stare vel procumbere, in quo loco stare vel procumbere jubentur à Civitate, sed etiam Deum revera colere sub imagine, aut non est; si licitum esse statuat, quorsum tum hoc effugium (ut vim objectionis à se ipso motæ declinet) *Non illos &c. sed eo in loco &c.* ? eo enim indicare videtur; aliud esse revera Deum sub imagine colere, aliud stare vel procumbere illic loci, ubi Idolum est; hoc licitum esse imperio coactis, illud illicitum. Sin dicat, non esse licitum; tum sequitur, hâc in parte non esse aliam rationem *Regni Dei per pactum*, aliam *Regni Dei per naturam*; quò tamen tendit hæc secunda ipsius ad supra dictam objectionem responsio.

X. Parendum esse Magistratui imperanti Deum colere sub imagine; sive stare vel procumbere illic loci ubi Idolum est, probat ex verbis Nahamani ad Elisæum 2 Reg. 5. 17, 18. *Non faciet amplius servus tuus holocaustum aut sacrificium Dijs alienis, sed Jehovæ. Veruntamen hâc in re condonet Jehova servo tuo: cum ingreditur Dominus adem Rimmonis, ut incurvet se ibi (nam is innititur manu meâ) si incurvavero me in æde Rimmonis, condonet quæso Jehova servo tuo in hac re.* Simulque ex verbis Elisæi ad ipsum v. 19. *Abi cum pace.* Lev. c. 42. p. 234.

Sed 1. non cogitavit, verba Syri ad Elisæum commodè explicari posse, ut non dicat, quid facturus sit in futurum, sed quid fecerit antea, veniamque delicti hujus exposcat à Deo per Prophetam. 2. Et quamvis intelligamus, illum de futuro loqui, non tamen inde efficitur, illud ei factum fuisse liberum à Prophetâ; sed contra potius, cum ille veniam istius facti petierit, non obscurè, se hoc facturum peccare, confitetur. 3. Nec verba Prophetæ (*ito in pace*) sunt factum

factum Syri probantis, sed amicè tantum dimittentis: neque enim dicit: *Abi, sic agito; Dominus tibi propitius erit*; sed *Abi cum pace*: quasi diceret; quieto animo esto, ne sis sollicitus de illo negotio: Deus te consilio instruet, tēque, quemadmodum petis, precibus sum adjuturus, ut te Deus servet ab idololatriâ. Vide *Piscat. ad locum cit. Martyr. loc. com. Class. 3. cap. 11. Num. 9. Voet. Disput. part. 3. pag. 297.*

XI. Deum per imagines colere cultum rationalem esse, ubi Deus regnat tantum per rationem naturalem, si jussu Civitatis fiat. In se tamen cultum irrationalem esse. Civ. c. 16. art. 7. & cap. 15. art. 14. & 18. in annot.

Quasi Civitas jussu suo transformare posset rerum naturas. & facere ut bonum sit, & rectæ rationi consentaneum, quod in se & suâ naturâ est malum & irrationale. Rerum uaturas invertere solius est omnipotentis Dei, qui naturæ auctor est. Sed *de malo bonum esse dicere, & de bono malum, tenebras pro luce, & lucem pro tenebris statuere, amarum pro dulci, & dulce pro amaro* (quod hîc Adversarius facit, dum cultum Dei, quem ipse fatetur in se irrationalem esse, & idololatriam, vult esse rationalem, si jussu Civitatis fiat) hominum pessimorum est. *Jes. 5. 20.* Face-re autem ut cultus, in se & sua naturâ irrationalis (qualem ipse fatetur esse cultum Dei per imagines) fiat rationalis, non est magis in ullius hominis potestate, quam transmutare ipsam hominis naturam rationalem. Et si (quod ipse docet) nihil immutare Civitas potest in actionibus, quæ quod attinet ad honorem vel contumeliam adiaphoræ non sunt, sed naturalia sunt contemptus signa, quæ proinde nunquam jussu Civitatis cultus rationales fieri possunt. C. c. 15. a. 16. Quî magis illud, quod (ipso fatente)

te) in se non minus irrationale est, & naturale signum contumeliæ, nempe Deum in imagine colere, cultus rationalis fiat per imperium Civitatis? Et qui gentiles olim Deum in imaginibus coluerunt, illi procul dubio id fecerunt ex instituto suarum Civitatum, nec tamen ideo à crimine idololatriæ immunes fuerunt, teste Apostolo Rom. 1. 23. Quin si ipse Civitatis jussu de colendo Deo sub imagine irrationale est, ut ipse fateretur, qui tum obedientia subditorum ejusmodi imperato, quod contra rectam rationem est, consentanea, rectæ rationi consentanea esse potest; hoc est; linea aliqua recta esse potest, quæ lineæ curvæ subjecta est, eique exactè consentanea? Sed hæc mysteria sunt Philosophiæ Hobbesianæ; quæ capiat, qui potest.

XII. Deum colere facie ad imaginem aliquam conversâ vel in imagine, si illa auctoritate publicâ consecrata sit, idololatriam non esse, contendit; sed Deum colere, quasi in loco vel imagine habitantem, Deum infinitum loco finito alligantes. Leviath. cap. 45. pag. 316.

Clara nimis sunt & aperta verba secundi præcepti; Non facies tibi &c. Quo omnes damnantur imagines, ab hominibus factæ, & consecratæ, earumque usus in cultu sacro. Enimvero Israëlitæ olim Deum adorantes facie conversâ ad imagines, non adoraverunt illum tanquam in illis habitantem, Deum infinitum loco finito alligantes, & tamen eo nihilominus idololatriâ sese polluerunt, quamvis imagines illæ publicè consecratæ essent, ut liquet Exod. 32. & 1 Reg. 12. Et qui imago aliqua contra Dei præceptum auctoritate publica consecrari aut dedicari potest absque peccato, si (quod hic ipse fatur) Moses præceptum secundum transgressus fuisset, si suo arbitrio, absque Dei jussu, Serpentem æneum sta-

statuisset? Deum colere quasi in imagine habitantem, cum Deus ejusmodi nullus sit præter *Idolum cerebri* (ut ipse ait ibid.) idololatria est contra primum præceptum; contra secundum, Deum colere facie ad imaginem conversâ, vel in imagine, sive publicè consecrata sit, sive non, quin etiam eum in finem imaginem aliquam consecrare.

Obj. *Non magis, inquit, illud idololatria est, ac fuit olim Deum colere spectantes ad Serpentem æneum; aut quod fecerunt Iudæi, qui extra patriam constituti, facies suas, quando precabantur, converterunt versus templum, quod erat Ierusalem.*

Resp. Serpens ille æneus imago Dei non fuit, aut jussu Dei erectus, ut Israëlitzæ ad illum spectantes Deum adorarent: nam cum postea illum ut medium cultûs divini superstitione adhiberent; ab Hizkia destructus fuit. Sed typus Christi fuit, ac symbolum nostræ redemptionis per illum impetrandæ, *Iob. 3. v. 14.* habuit illud symbolum sanctitatem aliquam relativam, sed ab illo, cujus folius est rem aliquam hoc modo sanctificare, nempe Deo. Neque ad rem facit exemplum illud Judæorum: nam & in patria existentes Deum precati fuerunt in templo facie conversâ versus Sanctum Sanctorum, in quo erat Arca foederis, ubi Deus singulari modo præsens erat super Propitiatorium. Quare eandem ob causam extra Patriam Deum precati sunt, facie versus Templum conversâ juxta *I Reg. 8. v. 44. Dan. 6. v. 11.* Sed quid hoc ad superstitionem adorationem, facie ad imaginem aliquam aut locum conversâ, ubi Deus eo modo præsens non est?

EXERCITATIO

Ad Art. 16. Cap. 15. de Cive.

*An in Regno Dei naturali Civitas possit cultum
Dei instituere arbitrio suo?*

ID affirmat absolutè in margine hujus art. & in fine art. hoc modo concludit; *Civitati obediendum esse, quicquid jusserit pro signo honorandi Deum, id est, pro cultu usurpari, modo id in signum honoris institui possit: quia honoris signum est, quod jussu Civitatis pro tali habetur.*

Non negamus, in potestate esse Civitatis, sive ejus, qui in Civitate est cum summo imperio, definire: quis cultus publicè in civitate sua obtinere debeat: sed cultum posse instituere *arbitrio suo*; sive obediendum esse Civitati absolutè cœca obedientia, quicquid jusserit pro cultu Dei usurpari. Nam aut cultus ille, quem instituere in Regno Dei naturali vult, est cultus, quem Deo convenire dicit ratio naturalis; aut qui dicitamine rationis naturalis non est definitus; si prius, tum non Civitas demum illum instituit, sed à Deo per dicitamen rationis naturalis institutum supponit, & in civitatem suam introducit; cultum autem religiosum instituere, qui ab ipso Deo institutus non est, non est in potestate ullius hominis; aut institutus, qualiscunque sit, signum honoris ergo Deum esse nequit illi gratum; sed *εἰδωλογραφία* est & superstitio, quam Deus non probat, sed damnat, *Col. 2. v. ult. Matt. 15. 9. Rom. 14. v. ult.* Rursus docet ipse (*art 3.*) in Regno Dei naturali regnare Deum per dicitamina

dictamina rectæ rationis; & (art. 14.) dictare rationem naturalem. Deum non dignè honorari, si minus potentia & magnitudinis ei attribuamus, quam possumus; quod fit, si ei tribuamus figuram, esse totum aliquid, habere partes; indigna Deo esse, quæ significant dolorem, indigentiam; quando ei tribuimus visionem, & cæteros sensuum actus &c. & quoad actiones externas esse generalissimum rationis præceptum, ut sint signa animi honorantis; & inter alia, sacrificia debere esse optima. Fingamus ergo, jubere Civitatem pro cultu usurpari illa (seu nomina, seu actiones) quæ Deus per dictamina rectæ rationis pro cultu usurpari vetat; ut (quantum ad nomina seu attributa) Deum esse corporeum, habere partes, plures esse Deos, & ea quæ significant dolorem, indigentiam, videre, & cæteros sensuum actus &c. & (quantum ad actiones) eum colere per imagines, liberos suos ei immolare &c. Quod si ergo obediendum Civitati, quicquid jusserit pro cultu usurpari, & honoris signum sit, quod jussu Civitatis pro tali habetur; tum pro cultu Dei usurpandum erit à subditis, quod per dictamen rectæ rationis, seu Verbum suum rationale, per art. 3. hujus cap. Deus pro cultu usurpari vetat, atque honoris signum, quod per idem suum verbum Deus non honoris, sed contumeliæ signum esse pronuntiat.

Obj. Duo esse genera signorum; naturalium, & patitiorum sive ex instituto; eaque esse vel nomina, vel actiones (quibus duobus omnem cultum Dei naturalem in præcedd. docuit consistere) aut in his pro arbitrio suo Civitatem statuere posse.

Quantum ad nomina: Quoniam, inquit, in omni lingua nominum sive appellationum usus ex constituto oritur, etiam ex constituto poterit mutari: quod enim dependet, & vim suam derivat à voluntate hominum, eorum-

eorundem consentientium voluntate mutari, vel aboleri potest. Nomina ergo, quæ ex constituto hominum obtinuerunt Deo attribui, eorundem constituto cessare possunt; quod autem constituto hominum potest fieri, id constituere Civitati licet. Jure ergo Civitas, quæ nomina sive appellationes Deo honorificæ sint, hoc est, quæ doctrinæ de naturâ & operationibus Dei publicè tenendæ, vel profitendæ sint, judicabit.

Resp. Nominum sive appellationum usum ex constituto oriri notum est: tritum illud; *Verba valent usu*; etiam usum illum nominum sive vocabulorum ex constituto posse mutari, & contrario usu abrogari. Non tamen procedit hoc; *quod dependet & vim suam derivat à voluntate hominum, eorundem consentientium voluntate mutari vel aboleri potest*; ut patet in contractu matrimoniali. Fateamur tamen, *nomina quæ talia, quæ ex constituto hominum obtinuerunt Deo attribui, eorundem consensu cessare posse*. Verum non de ipsis nominibus materialiter sumptis disputamus, sed de ipsis Dei attributis, per nomina sive vocabula illa significatis, quæ ratio naturalis dicitur Deo inesse, sive de doctrinis de naturâ & operationibus Dei: at illa (attributa) aut constituto hominum Deo attribui, aut eorundem consensu cessare posse, negamus: nam uti natura Dei, ejusque operationes à nullo hominum arbitrio dependent, sic nec doctrinæ, seu veritates ipsæ, quæ cum natura Dei sunt æternæ & immutabiles. Nisi ergo doctrina de natura & operationibus Dei ejus naturæ & operationibus sit consentanea, erronea est, & in Deum contumeliosa, quicquid ullus hominum de ea statuerit. Neque doctrinæ de Deo in nominibus tantum consistunt, quæ communi hominum consensu possunt vel institui, vel aboleri; sed primario in ipsis mentis conceptibus, qui ijdem diversis nominibus pro linguarum varietate exponi possunt.

possunt. Neque attributa Dei nomina sunt, quæ Deo attribuuntur; sed perfectiones, quæ revera Deo insunt. Præterea sicut nomina usu valent, ita usu contrario, non autem constitutione, sive lege aliquâ civili, abrogari possunt, aut solent. Unde liquet, non sequi hoc: *Quod constituto hominum potest fieri, id constituere Civitati licet.*

Quantum ad actiones, quibus honorandus est Deus, illas distinguit; quæ signa naturalia, hoc est, semper signa sunt, vel contemptus, vel honoris, in ijs, ait, nihil mutare Civitatem posse; at infinitas alias esse, quæ, quod attinet ad honorem vel contumeliam, adiaphoræ sunt; eas in signa honoris à Civitate institui posse, & institutas revera esse honorificas.

At si in actionibus externis, quæ non significant ex instituto hominum, sed naturaliter, nihil Civitas mutare potest arbitrio suo, ut hic fateatur; ergo, inquam, multò minus in doctrinis de naturâ & operationibus Dei; sicut enim immutabilis est ipsa Dei natura; sic & omnes de Deo doctrinæ, & veritates immutabili ipsius naturæ consentaneæ, & rectæ rationi, non minus sunt naturalia honoris Dei signa & media, quam ullæ hominum actiones externæ. Quantum ad actiones, quæ quod attinet ad honorem aut contumeliam adiaphoræ sunt, eas in signa honoris erga Deum à Civitate institui posse, & institutas revera Deo esse honorificas, suprâ modo refutavimus: quæ enim sibi honorifica sunt, solum Dei est instituire & præscribere, sicut in cultu naturali, ut in cõfesso est, sic etiam in cultu instituto.

De

De Tertia Præcepto.

Sanctificatio nominis Divini, quæ tertio præcepto mandatur, inter alia fit *juramento*, quod in *assertorium* & *premissorium* rectè distinguitur, 2 Cor. I. 23. 1 Sam. 20. 12, 13, 14. Hoc autem nudo pacto, quo homo homini obligatur, superaddere novam obligationem, quâ homo obligatur Deo, per se videtur manifestum. Vide *Annes. cas. l. 4. c. 22. q. 9. Rivet. in Decal. ad tert. præcept. Grat. de I. b. pag. 247.* Ex cum religio Juramenti apud omnes Gentes reperiatur, non dubium est, *juris esse naturalis.* Damnatur hoc præcepto imprimis *blasphemia in Deum*, in quâ puniendâ si negligens fuerit Magistratus, edixit Deus, se tamen inultam non relicturum, *Exod. 20. 7.* nam morte puniri vult, *Levit. 24. 15, 16.* *Unusquisque qui execratur nomen Iehovæ, omnino afficitur morte.* Quid Noster?

I. Summo Imperanti maledicere docet transgressionem esse tertij præcepti. L. c. 30. p. 154.

Deo maledicere transgressio est tertij præcepti, nam hæc sunt verba præcepti: *Ne assumito nomen (NB) Iehovæ Dei tui in vanum.* Summo Imperanti maledicere transgressio est quinti præcepti.

II. Extra statum Civitatis contendit juramenta non esse locum. Proinde juramentum non esse cultum naturalem. Lev. c. 12. p. 57.

Resp. I. Procul dubio juramentum ibi locum habet, ubi locum habet proprius & unicus juramenti effectus, quem ipse docet esse, *ut hominibus, naturâ pronis ad violationem datæ fidei, major juratis causa sit metuendi.* C. c. 2. a. 22. alit (etiam ipso docente L. c. 14. p. 71.) extra societatem civilem hominibus

ineft metus Agentis invisibilis à sua cujusque religione, à quo ergo major juratis causa metuendi esse potest. 2. Etiam ante societatem civilem, & quoties illa per bellum interrumpitur, nihil esse, ipse fatetur, quo pacta confirmari possunt, quam metum Agentis invisibilis, quem vocant omnes Deum; adeoque ad firmanda pacta paciscentibus necessarium esse per Deum jurare. Ibid. Quod, inquam, ad pactum, quo homines coeunt in Civitatem, firmandum necessarium est, ei locus est ante Civitatem: nam necdum in societate civili esse intelliguntur, qui de societate ineunda paciscuntur; ast ipse fatetur *l. cit.* ad firmanda pacta paciscentibus necessarium esse per Deum jurare, & nihil aliud esse, quo ante societatem pacta firmari possunt. 3. Quin ipse *Iusjurandum* ad leges naturales refert; & *rationis præceptum* esse docet, *Non jurare per alium præter Deum; Non assumere nomen Dei in vanum; Non esse jurandum ubi non est opus.* C. c. 2. a. 20. & c. 15. a. 15. Quæ inferunt, juramentum ad cultum Dei naturalem, non institutum pertinere: nam cultus ratione naturali præceptus, & pertinens ad leges naturales, cultus naturalis est, non institutus. 4. Nec sequitur; *extra statum Civitatis juramento non est locus; ergo Iusjurandum non est cultus naturalis*: nam neque Magistratui locus est extra statum civitatis, & tamen Magistratui obedire juris naturalis est, *L. c. 26. p. 130.* atque (ipso fatente) *furtum* est contra legem naturalem. C. c. 6. a. 16. & tamen (juxta illum) ei locus non est extra statum Civitatis. C. c. 1. a. 10.

III. *Omne Juramentum docet esse promissorium: nam, inquit, qui assertionem juramento confirmat, promittit se vera respondere.* C. c. 2. a. 20.

Resp. Qui assertionem juramento confirmat, non promittit se vera respondere, sed illud se facere sanctè

rectè asserit. Et quamvis se vera respondere hoc modo promitteret, juramentum tamen illud de re præterita vel præsentè ratione illius assertionis *Assertorium* rectè appellatur; ut à *Promissorio*, quod est de re futurâ & promissa, distinguatur. Nec minus se vera respondere promittit, qui interrogatus absque juramento simpliciter aliquid asserit; an ideo omnis assertio promissio dicenda? ineptè! Simili argumento liceret dicere, Omne juramentum esse assertorium: nam qui promissionem juramento confirmat, asserit se vera promittere.

IV. *Obligationsi à juramento nihil addi.* Leviath. cap. 14. pag. 72. Proinde *pactum nudum non minus obligare, quam in quod juravimus.* Cive. cap. 2. art. 22.

Negamus: nam 1. in Juramento Deum testem imploramus, misericordiæ Divinæ renuntiantes, si non præstemus, quod promisimus. Quare in juramento promissorio, in gratiam hominis alicujus facto, duplex obligatio est; una homini, altera Deo; illa ex pacto oritur, hæc ex juramento. 2. Nisi pactum in quod juravimus, magis obligaret, quam pactum nudum, tum omne juramentum promissorium frustra esset, contra tertium præceptum. 3. Quin Ipse dicit; *effectum juramenti, eum esse, ut hominibus natura pronis ad violationem datæ fidei, major juratis causa sit metuendi.* Quis hoc intelligat, nisi pactum juramento firmatum magis obligaret, quam pactum nudum? 4. Juramentum promissorium, per vim injustam & metum gravem alicui extortum, obligat, & rescindi non potest; item quod quis dolo & fraude deceptus fecit, *Ios. 9. 18.* non ratione *promissionis*: nam promissio, quam quis dolo deceptus fecit, non obligat; & promissio injustum & gravem metum inferenti facta potest rescin-

di & in irritum revocari; ergo ratione *juramenti*, quo facta est ad Deum obligatio. 5. Etiam Princeps pacto, in quod juravit, obligatur; non per se à pacto, per *art. 14. c. 6. de C.* ergo à juramento, quod pacto accessit. 6. *Juramentum à jure dictum*, ut idem sit *Læro*, quod *Ius firmo*, græcè *ἐπιθεσι* ab *ἑπηρεσι*, *coartare*, *constringere*: quia nempe juramento fides constringitur. Unde Cicero; *Nullum vinculum ad astringendam fidem Iure-jurando Majores acrius esse voluerunt.*

Obj. 1. *Juramentum, inquit, ad punitionem divinam attinet, quam provocare ineptum esset, si pacti violatio non esset per se illicita; illicita autem non esset, nisi pactum esset obligatorium.* Resp. Hoc totum concedimus; verum hinc non sequitur, juramentum nudo pacto nihil superaddere, ut ex supra dictis liquet.

Obj. 2. *Qui renuntiat misericordie Divinae, non obligat se ad poenam: quia semper licitum est, poenam utcumque provocatam deprecari, atque Divinam, si concedatur, frui indulgentiâ.*

Resp. 1. Qui, nisi fidem præstet, renuntiat misericordie Divinae, obligat se Deo ad fidem fervandam, ut dictum. 2. Et quis intelligat, non illum se obligare ad poenam, qui renuntiat misericordie Divinae, si falsum dicat? 3. Id licitum esse deprecari, ad quod obligati sumus, liquet in debitore decies mille talentorum, *Math. 18. 25.* Non ergo sequitur, illum non obligari ad poenam, cui licet illam deprecari; quin nemo poenam apud Deum deprecatur. ad quam non fateretur se obligatum esse; sic dicimus *Remitte debita nostra.* *Math. cap. 6. vers 12.*

V. *Qui maledicunt summo Imperanti, tanquam læsæ*

lese Majest. reos, ut Civitatis hostes, jure belli puniendos esse morte, ait C. c. 14. a. 21, 22.

Sed Blasphemos in Divinam Majest. puniendos quidem esse, sed non morte, sed exilio tantum. App. c. 2. p. 353.

Atque eos Civitatis, ex quâ expelluntur, hostes fieri legitimos. L. c. 28. p. 149,

Hoc exilium vix penam esse; penam propriè non esse; sed mandatum fugiendi penam. Ibid.

Procul dubio Majestas Divina omni humanâ infinitè sublimior est; Elatus supra omnes Gentes Iehova est, supra ipsos caelos gloria illius. Quis est par Iehovæ Deo nostro? qui altissime habitat: Qui in infimis perspicit, in caelis & in terrâ. Pl. 113. 4, 5, 6. Quis non reveretur te, Rex ipsarum gentium? cum maximus sis in omnibus sapientibus Gentium, & omni Regno ipsarum, ex eo quod nullus est par tibi. Ierem. 10. v. 7. Ergo si ultimo supplicio digni sunt, qui maledicunt homini in terris imperanti; multo magis qui maledicunt Deo imperanti in caelis. Quare illud crimen leges Divinæ & humanæ supplicio capitali plecti volunt; lex Divina extat Levit. 24. supra cit. Humana Dan. 3. 29. Ubi Nebucadnezar; A me, inquit, proponitur edictum, ut omnis populus, natio aut lingua, qui blasphemaverit Deum Sadrab, Mesab, & Abednego, in membra lamietur, & domus ejus in sterquilinum redigatur, propterea quod non est Deus alius, qui possit eripere hoc modo. Et in jure Romano Iustinianus Imperator A Novell. 77. Quoniam quidam ad hæc, quæ diximus, & blasphema verba, & Sacramenta de Deo jurant, Deum ad iracundiam provocantes, istis injungimus abstinere ab hujusmodi, & alijs blasphemis verbis, non jurare per capillos & caput. & his proxima verba. Si enim contra homines factæ blasphemie impunitæ non relinquuntur: multo

magis , qui ipsum Deum blasphemant digni sunt supplicia sustinere. Propterea igitur omnibus hominibus huiusmodi præcipimus , à prædictis delictis abstinere , & Dei timorem in corde accipere , & sequi eos , qui bene vivunt. Propter talia enim delicta & famas , & terræ motus , & pestilentie fiunt : et propterea iubemus abstinere ab huiusmodi prædictis illicitis , ut non suas perdant animas. Sin autem & post huiusmodi nostram admonitionem inveniuntur aliqui , in talibus permanentes delictis , primum quidem indignos semetipsos faciunt Dei misericordia. Post hæc autem , & legibus constitutis subjiciuntur tormentis. Præcipimus enim gloriosissimo Præfecto regie civitatis permanentes in prædictis illicitis & impijs actibus , post hanc admonitionem nostram , comprehendere , & ultimis subdere supplicij , ut non ex contemptu talium inveniatur & civitas & republ. per hos impios actus lædi. Si enim & post hanc nostram suasionem quidam , tales inveniunt , hoc superclaverint , similiter à Domino Deo condemnabuntur. Ipse enim gloriosissimus præfectus , si invenerit quosdam , tale aliquid delinquentes , & vindictam in eos non intulerit secundum nostras leges ; primum quidem obligatus erit Dei iudicio , post hæc autem & nostram indignationem sustinebit. Piè sanè ! His adversus Philosophus pro suâ autoritate & pietate blasphemos in Deum vix poenâ dignos esse censet ; sed fugâ poenæ puniendos esse. Quæ impia sunt , & contradictoriâ. Qui plura desiderat , adeat Zepherum de legib. Mos. lib. 4. cap. 8. Rivet. ad. 3. præcept.

De quarto Præcepto.

Sabbathi sanctificatio præcepto quarto præcipitur; Memento dici Sabbathi, ut sanctifices illum &c. nam sex diebus perfecit Jehovah calum &c. idcirco benedixit diei Sabbathi, & sanctificavit illum. Ergo institutio Sabbathi juris Divini est, non humani; institutumque à Deo est, ut publicè in Ecclesia seu coetu fidelium religiosè colatur, idque in spiritu & veritate, Job. 4. v. 24. unde appellatur *dies sanctus Deo*, Exod. 35. 2. Institutum autem esse à mundi creatione, liquet Gen. 2. v. 2, 3. cum Hebr. 4. 3, 4. quò respicere videtur verbum illud, Memento. Vide Rivet. in Gen. 2. Exerc. 13. & in quartum præc. Decal. & in Append. Ille è contrà.

I. Præceptum de sanctificando Sabbatho obligare docet vi pacti initi cum Abrahamo. De G. c. 16. a. 10. Adedque tum demum institutum.

Ubi nescio quorsum illud, quod rationis ergo apponit: Est enim instituta septimi diei sanctificatio in memoriam creationis Hexameræ. Et ubi in pacto Dei cum Abrahamo mentio Sabbathi?

II. Mandato quarto contineri officium Imperantis de constituendis locis & temporibus, quibus ad audiendum Doctores suos convenire debeant cives, & ubi leges civiles recitentur & explicentur. Lev. cap. 10. p. 160.

Quasi tempus cultui publico impendendum, de quo quarto præc., ante omnes leges civiles à Deo ipso definitum non esset. Vide Gen. 2. 2, 3. Exod. 16. 23, 29. & 20. 8 – 11. & 31. 13 – 17. Neh. 9. 14. Ezech. 20. v. 12. Et illo tempore cives convenire deberent, ut audiant in coetu leges civiles recitari, & explicari (quod Jurisconsultorum est, non Pastorum Ecclesiæ) non autem Verbum Dei, quo homines informari de-

bent non tantum aut præcipuè ad obedientiam civilem, in ordine ad pacem publicam; verum præcipuè quoad fidem in Servatorem J. Christ., & officia omnium pietatis erga Deum, tum humanitatis erga proximum, quæ Verbo Dei præcipiuntur, in ordine ad gloriam Dei, & hominum salutem æternam. Ut liquet *Levit. 23. 3. Marc. 1. 21. Luc. 4. 16-21. Act. 13. 14-14. & 17. 2, 3. & 18. 4. & 16. 13. Ps. 92. conf. Jer. 5. 39. & 20. 31. Rom. 15. 4. 2 Tim. 3. 16, 17, 18. Matt. 28. 19. Marc. 16. 16.*

III. *Quoddieireliquumest, gaudiis non prohibitis consumere licere, ait Ibid.*

Per gaudia non prohibita intelligit procul dubio choreas Venereas, lascivas comœdias, cauponas & commestationes, aliaque improbe petulantiae genera, quæ diebus Sabbathi in pagis & urbibus a profanis fieri solent, & nullâ lege civili prohiberi; quibus Homo profanus docet, post auditas leges civiles in die Sabbathi, cuique quod diei Sabbathi reliquum est consumere licere.

Resp. Quarto præcepto vult Deus, totum Sabbatum sibi sanctificari, nec ullum isto die gaudium permittit, quam quo ipse sanctificatur Jehova; *Ies. 58. v. 13. Si converteris à Sabbato pedem tuum, ne facias id, quo delectaris die sancto meo, & vocaveris Sabbathum delectationis, sanctumque honoratum diem, honoraverisque ipsum, non exercendo vias tuas, non præstando id, quo delectaris &c.*

IV. *In cultu publico locum esse histrionicæ, siue simulationi, quam ait aliquando culpa vacare. Hom. c. 14. a. 8.*

Cum passim in S. Script. omnem hypocrisin detestetur Deus; *Ies. 1. 13. &c. & 29. 13. & in cultu suo cor sincerum ubique postulet, Deut. 10. 13. Prov. 23. v. 26. & in spiritu & in veritate adorari velit, Iob. 4.*

v. 24.

Q. 24. An in cultu suo locum habere potest, & culpâ vacat, quod abominatur Dominus?

De quinto Præcepto.

Seç. I.

Quinto Præcepto Inferiorum officium erga Superiores, & contra contineri, in statu Politico, Ecclesiastico, atque OEconomico, extra controversiam est; unde præceptum hoc meritò totius *propè humanæ societatis coagulatum* Grotius appellat. Subjectionis autem gradûs varios esse, liquet inter alia, *Prov. 29. 21.* Nam major est subiectio servorum sub Dominis, quam sub Magistratu subditorum, aut sub parentibus liberorum. Vide *Ames. cas. 1. 5. c. 23.* Noster autem

I. *Æqualem esse omnium illorum subjectionem, statuit.*

Liberos subijci parentibus non minus, quam servi Dominis, & cives Civitati. Lev. c. 5. p. 22. & c. 20. p. 101, 102. C. c. 9. a. 7. c. 11. a. 6.

Cum disertè doceat Apost. *Filium differre à servo. Gal. 4. 1.* Et *Liberum, & servum esse, toties in Sacris opponantur, 1 Cor. 12. 13. Gal. 3. 28. Eph. 6. 8. Col. 3. 11. nunquam liberum esse, & filium esse; aut liberum esse, & civem esse. Imo filios liberos esse, exsertè pronuntiat Christus, Matt. 17. 26. 1. Servi subijciuntur heris suis coacti, filii parentibus suis ex pietatis, charitatis, observantiæ, & gratiæ rependendæ affectu. 2. Alius affectus est *timor filialis*, alius *servilis*, Rom. 8. 15. 3. Subiectio *servilis* ad utilitatem Regentis est; *civilis* ad civium, & *filialis* ad filiorum utilitatem comparata. 4. Filii mollius & indul-*

indulgentius tractantur, quam servi, propter *soyulub* quæ inter parentes & liberos, non inter Dominos & servos intercedit. 5. Filius-familias est Dominus servi, non servus Dominus filii, Gen. 24. 65. 6. Filius est hæres & Dominus omnium, Gal. 4. 1. non servus, Job. 8. 35. 7. Denique subjectio servilis est extrema & miserrima: Cogitur pati servus, & nemo finitur compati; dolore compellitur, & nemo condolare permittitur; at talis non est subjectio filiorum, aut civium.

II. *Subditum & liberum esse, esse duas voces, quarum significaciones sunt inconsistentes; ut si quis dicat: Quadratum esse rotundum.* L. c. 5. p. 22.

Et tamen ipse (Leo. c. 21. toto) de Libertate civium agit; nam hic est capitis illius Titulus: aut ergo dicere; *subditus est liber*, non est absurdum, aut absurdus est Capitis illius titulus. Ibidem p. 105. etiam omnes civium actiones, quas metu legum faciunt, docet, *liberas esse, si non facere potuerunt; atque Libertatem & necessitatem consistere simul posse; & tamen in libri Indice ad vocem Libertas (indicatâ pag. 105.) habetur: Libertas & Necessitas pugnant.* Proculdubio errore aut Typographi, aut Auctoris Indicis. Et cum *Ius naturale* ipse definiat, *esse libertatem, quam quisque habet utendi potentia sua ad vitæ suæ conservationem.* C. c. 1. a. 7. atque eam libertatem doceat unumquemque subditum retinere in statu Civitatis. C. c. 5. a. 7. quis non miretur ab eodem scribi; vocum (*Liberum & servum esse*) significaciones ita esse inconsistentes, ac si quis diceret; *Quadratum rotundum?*

sect. II.

A Naturi jus & Dominium in infantes Patris esse, quia illis genuit, non minus quam matris; imo propter

propter præstantiam sexûs magis esse Patris, res videtur per se nota, juxta illud; *Filius meus es, ego genui te*, Psal. 2. 7. *Quod si Pater sum, & si Dominus sum*, Mal. 1. 6. Quid Ille contra.

Dominium in infantes matris esse, ait, non patris, nisi pacto aut lege civili aliter statuatur. Cive cap. 9. a. 3.

Non esse per se evidens; Quod à me genitum est, meum est. Ibid. art. 1. contra loca citata.

Potestatem parentum in liberos esse à potentia naturali sive à vi, qua Pater filios sibi obedire cogit: vitam enim illis non alendo auferre posse. L. c. 17. p. 86.

Jure naturæ dominium infantis ad eum pertinere, qui primus in potestate sua ipsum habet. C. c. 9. a. 2.

Liberos parentibus se subdicere, ut bello victi, ne occidantur. C. c. 5. a. 12.

Dominii paterni jus patris esse, non quia illum genuit; sed quia consensit filius, vel propter alia aliqua argumenta. L. c. 20. pag. 99.

Dominium patris esse propter præstantiam sexûs, non rectè dici. C. c. 9. a. 3.

In conditione hominum naturali, ubi leges naturales sunt nullæ, patrem & matrem de dominio in infantem aut pacto disponere, aut omnino non disponere; si disponent, dominium cujus sit, à pacto indicari. Si pactum nullum interveniat, dominium matris esse. Ibid.

Patrem non fieri dominum infantium propter præstantiam sexûs: quia inæqualitas virium naturalium minor est, quam ut mas in fœminam imperium sine bello acquirere possit. Ibid.

Ubi primò falsum; *Dominium in infantes solius matris esse*, non patris, nisi pacto aut lege civili. Nam 1. Pater non minus quam mater naturali affectu impellente, jure naturali & Divino tenetur alere & curare infantem ex se natum. Pater miseretur liberorum suorum

rum, Pl. 103. 13. *Quis est ex vobis homo, qui, si filius petierit ab eo panem, det ei lapidem; & si piscem petierit, num serpentem dabit ei? Si vos igitur qui improbi estis, nostis bona dona dare liberis vestris: &c.* nempe quia suus est infans, ex se natus; uti bruta animantia solent instinctu naturali alere & curare pullos suos: quia sui sunt, & a se nati. Ergo patres domini sunt infantium suorum, non pacto aut lege civili, sed quia illos genuerunt. 2. Procul dubio eorum sunt liberi, quibus in Sacris a Deo dari dicuntur; sed liberi per generationem a Deo dari dicuntur non minus patri, quam matri; hinc Joseph ait Gen. 48. 9. *Filii mei sunt, quos dedit mihi Deus hic.* Sed non solet Deus dici ita aliquid dare, quod solo pacto aut lege civili comparatur. Et 3. jure naturali & Divino maritus est dominus uxoris; nam dixit Deus mulieri; *Ergo virum tuum appetitus tuus erit, & ipse dominabitur in te.* Gen. 3. 16. *Vir est caput mulieris: neque enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro. Neque enim conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* 1 Cor. 11. 3, v. 8, 9. 1 Tim. 2. v. 12, 13. 1 Petr. 3. 6. Eph. 5. Sed (ipso fatente) *qui dominium in personam aliquam habet, dominium habet in omnia, quæ sunt ejus,* C. c. 9. a. 4. quod si ergo dominium in infantes matris est jure naturali, eodemque jure maritus est dominus suæ uxoris; ergo etiam eodem jure illius est dominium in infantes, non autem lege civili. 4. Et Rex Salomo ut sciret, cujus esset infans, de quo duæ mulieres coram illo litigabant, non investigavit, utra illum primò in potestate sua habuerit, neque pactum aliquod respexit, aut leges civiles, sed illum adjudicavit ei, quæ Philostorgiæ affectu se revera illius matrem & dominam esse demonstravit. 1 Reg. 3. Ergo quis dominus infantis sit, non ex pacto cognoscitur aut lege civili, sed ex naturaliter insito Philostorgiæ affectu.

affectu. 5, Quin ipse alibi (sui, ut videtur, immemor) *dominium paternum*, ait, esse *dominii acquisiti genus per generationem*. Lev. c. 20. p. 99. Item, *dominium in personas hominum acquiri etiam per generationem* C. c. 8. a. 1. cum ergo liberi generentur à patre non minus, quam à matre, & per generationem (ut scribit loc. citt.) acquiratur *dominium in personas hominum*; mirum, quò hic neget; *dominii paterni jus in filium patris esse: quia illum genuit?* Secundo, ineptum est, quod ait, *Domini paterni jus patris esse, non quia illum genuit; sed quia consensit filius*: nam *filius simulatque natus est, est sub potestate & imperio patris*, ut ipse scribit, C. c. 1. a. 10. in Ann. An *filius simulatque natus est, consentire dici potest?* Tertio: nec minus absurdum est; *Jure natura dominium infantis ad eum pertinere, qui primus in potestate sua ipsum habet*. Nam tum infans jure naturali nec matris esset, nec patris, sed obstetricis: nam illa infantem natum prima omnium habet in sua potestate. Et quarto impium est illud; *Potestatem parentum in liberos esse à potentia naturali sive à vi, quâ pater filios suos obedire cogit: vitam enim illis non alendo auferre posse*. Nam non est in potestate aut patris aut matris, quod est contra *rogylw*; sed contra illam est, liberis suis non alendo vitam adimere, Ps. 103. v. 13. Math. 7. Rom. 13. 10. 1 Tim. 5. 8. Denique etiam ineptum est & ridiculum, quod ait; *Patrem non fieri dominum infantium propter præstantiam sexûs? quia inæqualitas virium naturalium minor est, quam ut mas in foeminam imperium sine bello acquirere possit*. Nam mas in tantum viribus præstat puerperæ, ut si dominium in infantem natum viribus determinandum esset, mas (si vellet) etiam sine bello imperium in foeminam facile possit acquirere.

Obj. Cum *dominium*, inquit, hoc est imperium in-
divi-

divisibile fit, ad generationem autem duæ personæ concurrant, mas & femina; impossibile est, dominium illud solâ generatione acquiri. C. c. 9. art. 1.

Resp. Cum imperium civile, quamvis indivisibile fit, tamen in pluribus personis simul esse possit, ut liquet in Polyarchiâ; multò magis imperium, quamvis indivisibile fit, simul esse potest in marito & uxore: nam 1. maritus & uxor quodammodo una persona sunt, una caro; *Gen. 2. 24. Matth. 19. 5. 1 Cor. 6. 16. Eph. 5. v. 31.* magis, quam in Polyarchiâ Magistratus. 2. In familia propter præstantiam sexus imperium supremum primariò in marito est; in uxore autem secundariò & subordinatè, *Gen. 3. 16. 1 Cor. 11. 3, 7, 8, 9.* at non ita in Polyarchiâ Imperantes uni aliis subordinantur, & tamen eorum imperium summum individuum esse potest; ergo multo magis imperium domesticum, quamvis individuum fit, simul duarum personarum, nempe mariti & uxoris, esse potest.

sect. III.

Inferiorum officium erga Superiores est 1. *Reverentia*, quâ debito honore Superiores prosequuntur, de illis honestè sentiendo, illos reverenter alloquendo, &c. atque hæc verè absque hypocrisi, cum *simplicitate cordis, ut Christo, non ad oculum serviientes, ut qui hominibus placere student, sed ut servi Christi facientes ex animo, quæ vult Deus. Eph. 6. vers. 5, 6.* 2. *Obedientia*, non absoluta & simplex, sed usque ad aras, hoc est, in rebus omnibus honestis, & licitis, sive in Domino. *Col. 3. 18. Eph. 6. 1. Vide Exod. 1. 17. 1 Sam. 22. 7. Dan. 3. & 6. Act. 4. 19.* Ille autem
 1. *Etiã adulari docet honorare esse. Leviath. c. 10. pag. 49.*

Tum

Item. 1. falsi Doctores *honorarent* auditores suos, verbum Dei illis interpretantes non ad veritatem, sed ad eorum voluntatem, quod *adulari* est. Pro. 27. 6. & 28. 23. **2.** *Honorare* alii alios jubemur in S. Script. *adulari* prohibemur, Ps. 12. 3, 4. & 28. 3. **3.** Neque *adulantium* finis est, *honorare* illum, quem *adulantur*, sed *adulando* ejus favorem aucupantes, propriam tantum utilitatem sectantur; quod non *honorare* est, sed *ridere*. **4.** Etiam homines improbi *adulari* solent potentiores, quos tamen eo non honorant: non enim de virtute norunt judicare; nec proinde *honorare* possunt. **5.** Denique ipse docet; *honorem consistere in opinione aliena potentia conjuncta cum bonitate*. Civ. c. 15. a. 9. at qui *adulatur* alium, talem opinionem revera de illo non habet, sed habere mentitur, & simulat. **6.** Nec se *adulatione* honorari existimavit Sigismundus Imp. cum aliquando *alapan* infligeret *adulatori*, eique dicens; *cur me cedis Imperator?* responderet; *Et tu quid me mordes adulator?* Similia de Tiberio refert Suetonius.

II. Ex unâ parte statuit; *Servos, qui carceribus aut ergastulis inclusi cohibentur, si aufugerint, aut Dominum suum interfecerint, nihil facere contra leges naturales*. C. C. 8. a. 9.

Quasi servi non aliter Dominis suis obligarentur, quam pacto solo; atque servi vincti necessario intelligi deberent, nihil pacti esse Heris suis. Quasi obligatio, quâ homo homini obedire obligatur, nulla nisi ex pacto esset, quod falsum: nam & ex beneficio, & *ὕποθεσι* personæ, vel etiam ex legibus, atque à jure Gentium esse potest obligatio: ut liquet in obligatione, quâ creaturæ Deo, & liberi parentibus suis obligantur; ut supra demonstravimus. Ergo servi, quamvis in carcerari, si interficerent Dominum suum, peccarent tum contra *jus natura*, nempe *gratitudinem*,
E e
quam

quam pro vita sibi servata Domino servatori suo præstare tenentur; tum contra *jus Gentium*, quod potestatem illam in servum, in bello captum & servatum, Domino concedit. Vide Grot. de I. B. libr. 3. c. 7.

III. Ex altera parte; *Inferiores teneri docet obedire Superioribus suis simpliciter & absolute in omnibus; etiam si Christum abnegare juberent.* L. c. 17. pag. 85. c. 20. p. 101, 102. c. 21. p. 107, 108. c. 25. p. 125. c. 29. p. 152. C. c. 6. a. 13. c. 9. a. 7. c. 11. a. 6. c. 12. a. 1. c. 15. a. 18. c. 16. a. 2.

Contra diversa loca S. Sript. supra citata.

Seçt. IV.

IN Superioribus damnatur. 1. *Æsopyia Rom. I. 31.*
2 Tim. 3. 3. 2. *Tyrannis: nam ut Leo rugiens est dominator improbus in populum tenuem.* Proverb. 28. vers. 15.

I. Quid autem *æsoyia* magis contrarium? quam

1. *Patrem filiis vitam non alendo auferre posse.* Lev. cap. 17. pag. 68.

Resp. E contra Apost. Si quis, inquit, suis, & maxime domesticis non providet, fidem abnegavit, & infideli deterior est. 1 Tim. 5. v. 8. & Christus; Quis est ex vobis homo, qui si filius ejus petierit ab eo panem, det ei lapidem? & si pisces petierit, num serpentem dabit ei? Matt. 7. 9, 10.

2. *Penes matrem esse, infantem aut educare, aut exponere, vel interficere.* Leviath. cap. 20. pag. 100. C. cap. 9. a. 2.

Resp. An oblivisci potest mulier fetus sui, ut non misereatur filii uteri sui? Jel. 49. 15. De patre ait Seneca: quã difficile est patri membra sua amputare! Quæ suspiria ducit secando! Quoties amputata luget! Quoties eadem
restit-

restituere conatur! Nimirum liberi partes sunt de essentia parentum. Quod si hoc Senecæ locum habet in patre, multò magis in matre, juxta illud ex Jesaiâ citatum.

2. *In principio, apud omnes Gentes, patres in filios summam habuisse potestatem, vitæ necisque arbitrium.* Lev. c. 30. pag. 160.

Resp. Usurparunt quidem olim illam potestatem Gentes quædam; ut Romani, Celtæ, Persæ, Galli, Indi, aliique plures barbari; sed quo jure, liquet ex dictis. Vide Rivet. in 5. præc. Liebenth. Coll. Pol. Exerc. 4. q. 3.

Denique, *Liberos subjici, ait, parentibus non minus, quam servi Dominis.*

De quo vide Sect. I. Aff. I.

II. Quidque proclivius ad Tyrannidem? quam

1. *Ad pacem hominum requiri, ut unusquisque voluntatem suam alterius unius voluntati ita subjiciat, ut pro voluntate omnium & singulorum habendum sit, quicquid ille voluerit.* Leviath. cap. 17. pag. 85. Civ. cap. 5. a. 6.

2. *Submissionem civis contineri his verbis; Actionum omnium hominis, cui summam tribuimus potestatem, auctorem me facio.* L. c. 21. p. 102.

3. *Jus Regium (de quo I Sam. 8.) legitimum esse.* L. c. 20. p. 102. C. c. II. a. 6.

Particularius, inquit, describitur potentia Regia à Deo ipso per Samuelem; *Prædic iis jus Regis, qui regnaturus est super eos &c. Hoc erit jus Regis; filios vestros tollet, & ponet in curribus suis &c. filias quoque vestras faciet sibi unguentarias &c. Oliveta optima tollet, & dabit servis suis &c. Nonne, inquit, hujusmodi potentia absoluta est?*

Resp. Non loquitur ibi Samuël de jure Regis legitimo, sed usurpato, moribusque pravis vicinarum Gentium,

quorum relatione populum dehortatus est ab urgenda Regis electione: nam cum illud jus Regium è diametro contrarium sit vero juri Regio, à Mose descripto, Deut. 17. 15--20. illud jus Regium legitimum esse non potest? Quare nullius valoris est, quod urget Adversarius, ab ipso Deo jus Regis appellari. Nam quod est in Hebræo, *Tô ממשל*, non jus legitimum tantum significat; sed simpliciter etiam morem, consuetudinem, ut rectè ostendit Junius ad loc. citt. ex 1 Sam. 2. 13. Quo modo hîc intelligendum esse, liquet v. 18. & Hos. 13. & Deut. 17. cit. & 1 Reg. 21. de vineâ Nabothi. Plura vide apud Voet. Disq. Text. ad illum locum. River. in 5. Præc. Alth. pol. c. 9. n. 15. Besold. Synops. Pol. c. 1. th. 4. aliosque.

4. Quicquid is, qui summam habet potestatem, exegerit à subditis suis, rectè exigi. Lev. c. 20. p. 102, 103.

Ergone quod ab Israelitis olim exegit Rex Ægypti, Exod. 1. 2. &c. & à Nabotho Rex Israelis, 1 Reg. 21. & à populo suæ ditionis Seleucus, Rex Syria, filius Antiochi Magni, dictus Traductor Exactoris, Dan. 11. v. 20. rectè exactum fuit? Locis illis contrarium liquet.

5. Facta eorum, quibus summa potestas est, non esse reprehendenda à subditis, aut disputanda. Ibid. p. 103.

Quod tamen, ut notum, fecerunt Propheta, fecit Baptista, Christus, ejusque Apostoli.

6. Eum, qui imperat, sua ipsius causa id facere. Lev. c. 25. p. 125.

Quo contradicit 1. S. Apostolo, qui Magistratum, ait, esse Ministerium Dei in bonum subditorum, Rom. 13. v. 4. Et 2. Sibimetipsi: nam imperare est aliorum utilitati inservire; ut parentes liberis suis, vir uxori imperate dicuntur. Nihil aliud, inquit Ammianus, est imperium, uti sapientes definiunt, nisi cura salutis alienæ, apud Grot. de Imp. summ. Potest. circa Sacra.

Impli-

Implicat ergo contradictionem, *Sua ipsius causa imperare, quod hac Assert, dicitur.* Optime Plinius: *Optima, inquit, Princeps conscientia sibi delatum principatum acceptat, qui non nisi animo cives servandi illud adit & obit; & quem Reipubl. utilitas & vox, non privata ejus commoditas eo inostat.* Plura vide apud *Altb. Pol. c. 18. 19. 21. n. 4.*

7. Peccare posse subditos obediendo Principibus suis, *seditiosam opinionem esse.* C. c. 12. a. 1.

8. *A subditis deberi Imperantibus obedientiam simplicem, hoc est, tantam, qua major prastari non potest,* C. c. 6. a. 1.

Quod expendi in disp. inaugur. de exemptione Principis a lege, c. 8,

9. *Magistratus in subditos; Dominos in servos; Parentes in filios injurios esse non posse.* C. cap. 7. a. 14. c. 8. a. 7. c. 9. a. 7.

10. *Iniquas esse voces; Regibus non esse obtemperandum, nisi justa praeceperint.* C. c. 12. a. 1.

Quae & similia aut genuina Tyrannis sunt, aut Tyrannis nihil est, De hisce in subjunctis Exercitt. futus.

EXERCITATIO I

Ad Art. 6, 7, 8. Cap. 5. de Cive.

Ad Art. 6.

An ad pacem hominum requiratur non modo consensus, sed etiam unio, hoc est, ut omnium sit una voluntas?

Hoc ad pacem communem, & defensionem stabilem requiritur contendit; *fortique cum unusquisque voluntas*

voluntatem suam alterius unius voluntati ita subicit, ut pro voluntate omnium & singulorum habendum sit, quicquid ille voluerit. Nam conspirationem plurium voluntatum ad eundem finem non sufficere ad conservationem pacis; proinde requirit etiam illam unionem, seu unam illam omnium voluntatem: propterea quod brutorum animantium regimen sola stet concordia, hominum non item. Confer. Art. 4, 5. & L. c. 17. p. 85.

Resp. 1. Quis intelligat discrimen inter *conspirationem* seu *consensionem* plurium voluntatum in eundem finem, vel in idem objectum; & unam omnium voluntatem? Nam una omnium voluntas dicitur vel *naturaliter*, vel *moraliter*: *Naturaliter* unam esse omnium hominum voluntatem, non minus absurdum est, quam quod olim nonnulli Philosophi censuerunt; unam & eandem numero animam rationalem esse in omnibus hominibus; aut quod statuerunt Theophrastus, Themistius, Simplicius, Averroës, aliique; Unum esse intellectum universalem, separatum quidem à singulis hominibus, sed eidem assistentem & conjunctum per imagines, quæ in cujusque phantasia insident. *Moraliter* non aliter una esse omnium & singulorum hominum voluntas intelligi potest, quam ratione consensus & conspirationis plurium voluntatum in eundem finem, vel in idem objectum. Quare nullius momenti est quod ait art. 5. *Minus rectè ab Arist. formicas, apes &c. inter animantia politica numerari: quia eorum regimen consensio tantum est, sive multæ voluntates ad unum objectum, non (ut in Civitate opus est) una voluntas. Nam (ne dicam, quam insolenter brutis animalibus tribuat voluntatem, de quo supra cap. 16. Assert. 12.) ostensum modo est, plurium unam voluntatem non aliud esse, quam eorum voluntatum consensionem. Non negamus quidem, magnam differentiam esse inter consensionem brutorum quorundam animantium,*

tium, & hominum, uti & agnoscit Arist. *Hominem omni ape, omnique animante gregali civilius esse animal, longè magis quam apes, formicæ, grues, & ejusmodi genera, quæ gregatim aluntur, & gregatim setu-entur.* 1. Pol. nam animantium illorum consensus brutalis est, hominum vero rationalis; sed hinc non sequitur, unam plurium voluntatem aliud esse, quam plurium voluntatum consensionem; aut formicas, & similia bruta animantia dicenda non esse politica, quo sensu ita ab Arist. appellantur. Sed *ut omnium una sit voluntas necessariam esse, ait, potestatem aliquam communem, per quam metu pœnæ singuli regantur; & in eo unam omnium voluntatem à consensione plurium voluntatum in unum objectum distingui, uti innuit in fine art. 5. Resp. Quamvis pœnæ metus & potestas communis necessaria sint ad consensum plurium hominum, quo actiones suas omnes ad eundem finem, & bonum commune dirigant; in brutis autem quibusdam illa consensio sit ab arcano naturæ instinctu; illa tamen differentia non facit, ut plurium hominum voluntas una intelligi aut dici possit aliter, quam moraliter tantum, aut consensione.*

2. Negamus quoque, *unicuique liberum esse, tam simpliciter & in omnibus voluntatem suam voluntati alterius hominis subjicere, ut pro voluntate omnium & singulorum habendum sit, quicquid de rebus, quæ necessariae sunt ad pacem communem, ille voluerit.* Nam I. omnium hominum voluntates, quamprimum nati sunt, jam subjæctæ sunt voluntati Dei Creatoris & Regis universi generis humani, quam omnibus manifestam fecit tum per verbum suum æternum, omnibus innatum, nim. rationem naturalem, per art. 4. c. 14. de C. tum per verbum suum supernaturaliter revelatum in S. Script.; huic aliquid contrarium statuere, aut facere, non magis est in potestate alicujus

hominis, quam in naturalibus causis inferiores, in agendo à superioribus dependentes, contra superiorum efficaciam vim agendi habent; aut in moralibus contra voluntatē supremi Magistratus inferiores Magistratus potestatem habent quicquam statuendi, aut subditi, quod sic ab illis decretum est, faciendi. Non ergo homines voluntates suas cujusquam hominis voluntati ulterius subjicere possunt, quam per leges naturales & Divinas licet. 2. Nec tutè possunt: nam pacem publicam respicit etiam Religio; in illa consensus quanti momenti sit ad pacem publicam, experientia docet. Si ergo in omnibus, quæ ad pacem publicam Princeps voluerit, hoc pacto esse debeat una omnium voluntas, ergo etiam in omnibus iis, quæ ad Religionem pertinent; sed hoc citra jacturam, aut saltem periculum salutis suæ fieri non potest à subditis, contra juris naturalis fundamentum primum de conservatione sui ipsius: nam si falsam religionem contra expressum verbum Dei Imperans in Civitatem introducere vellet, an per talem religionem in Civitatem ab Imperante introductam, & in illius voluntate receptam ab omnibus & singulis civibus, illi possent salvari? si non; tum (quod probandum erat) hæc sua obedientia subditi jacturam facerent salutis æternæ, contra legem naturæ fundamentalem; si dicas, salvari posse; tum salvari possent homines per religionem quamvis falsam, modo imperata sit ab habente summam potestatem civilem; & omnes gentes unaquæque in sua religione, quam exercent à Civitatibus introductam. Non (inquit Apost.) est in alio quoquam salus, quam in J. Christo: nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oportent nos servari. Actor. 4. vers. 12. Et (ait Servator) si cæcus caeco dux via erit, ambo in foveam ruent. Equidem errare potest Imperans in religionis

nis negotio : non enim ab errore immunis est quisquam mortalium, *Pf. 116. 11. Inter cetera (ut ait Seneca) mortalitatis incommoda & hoc est , caligo mentium ; nec tantum necessitas errandi , sed errorum amor , nisi Principes dicas , instar Prophetarum & Apostolorum , instructos esse Spiritu infallibili in religionis negotio ; quod apertè falsum esse , evincit religionum sibi mutuò contradicentium varietas in diversis regionibus.*

3. Nec (quod hîc supponit) *Pax communis* sola finis est , aut esse debet hominum in societatem civilem coeuntium ; sed præcipuè vera pietas & honestas , *1 Tim. 2. v. 2.* Quare in Civitate ejusmodi una omnium voluntas , qualem hîc Adversarius statuit , in ordine tantum ad pacem communem esse non debet , nisi quantum salvâ pietate & honestate fieri potest.

Ad. Art. 7. & 8. & L. c 21. p. 107.

Submissio voluntatum omnium civium sub unius voluntate quali pacto fiat ?

Voluntatum hæc submissio omnium illorum unius hominis voluntati tum fit (inquit Art. 7.) quando unusquisque eorum unicuique cæterorum se pæcto obligat ad non resistendum voluntati illius hominis , vel Concilii , cui se submisserit. Tanquam si unusquisque unicuique diceret ; Ego huic homini vel huic concilio auctoritatem & jus meum regendi me ipsam concedo ad conditionem , ut tu quoque tuam auctoritatem & jus tuum tui regendi in eundem transferas : ut loquitur *Leviath. c. 19. p. 85.*

Et nos pactum agnoscimus, quo plures homines aut familiae in societatem civilem coalescunt; verum non tale, quo unusquisque unicuique se obligat ad simplicem & caecam obedientiam in omnibus sine exceptione summo Imperanti praestandam; & quo ipse Imperans tanquam altera pars contrahens non continetur; sed reciprocum inter Imperantem & subditos, quo populus, aut eorum nomine Ephori, & Magistratus summus inter se mutuo certis legibus & conditionibus de subjectionis & imperii forma ac modo paciscuntur, juramento utroque citroque fide data & accepta promissave. In quo contractu reciproco praecedit obligatio Magistratus, qua se corpori universalis consociationis obstringit ad Regni, seu Reipubl. administrationem secundum leges à Deo, recta ratione, atque à corpore Reipubl. praescriptas; atque ad Regni utilitatem instituendam. Deut. 17. v. 20. *Ne effrator cor Regis super fratres suos, & ne recedat à præcepto dextrorsum, aut sinistrorsum.* Jer. 22. 3. *Audi verbum Jehovæ, Rex Judæ, qui sedes in solio Davidis, tu, & servi tui, & populus tuus, qui intratis per portas istas; Exercete jus & justitiam, & eripite eum, qui rapinam patitur, è manu oppressoris; & peregrino, pupillo, ac viduæ ne vim facitote; ne violentiâ utimini, & sanguinem innocentem ne effunditote in loco isto.* Sequitur obligatio populi, qua sese summo Magistratui, secundum praescriptas leges Rempubl. administranti, vicissim obstringit ad obedientiam, & obsequium. Non ergo *negativa* tantum est promissio à parte subditorum *de non resistendo voluntati Imperantis* (ut ille somniat) sed *positiva* de obedientia & obsequio in omnibus, quæ non sunt contra mandatum Dei. Neque etiam est pactum illud subditorum inter se, quo unusquisque unicuique coeterorum se obligaret; sed reciproca inter su-
pre-

premiū Magistratum & populum ; 2 Reg. II. 17. *Tum pepigit Sojada fœdus inter Regem & populum* 2 Sam. 5. 3. *Venerunt omnes Seniores Israëlīs ad Regem Hebronem , quibuscum pepigit Rex David fœdus Hebrone coram Iehova , & unxerunt Davidem in Regem supra Israëlēm.* Nec ullam invenias Civitatem ,

tali pacto ac hîc Hobbes fingit , constitutam ; quo non Rex & populus alter alteri se obligavit , sed quo unusquisque civium unicuique cæterorum (excluso Rege) se obligasset , ad non resistendum voluntati illius : nam si ejusmodi pacto Civitates institutæ essent , tum nulli subditi Regi aut Principi suo ullo pacto tenerentur ; sed tantum illi sibi mutuo ; & (siquidem injuria in pacti violatione adæquatè consistat , per art. 3. c. 3.) nemo subditorum Principi suo , quamvis adversus illum insurgeret , imo è medio tolleret , injuriam facere posset : etenim si Rex aut princeps illi injuriam expostularet , is qui fecit , sic diceret ; *Quid tu mihi ? quare ego tuo potius , quam meo libitu facerem : siquidem quin tu tuo , non meo arbitrato facias , non impedio ?* In quâ oratione (inquit ipse) ubi nulla intercessere pacta , non video , quid possit improbari. C. c. 3. a. 4. Et tamen ibidem ipse docet in Annot. Civitati , hoc est , Personæ illi , quæ est in Civitate cum summâ potestate , à subditis injuriam fieri posse.

Porro , pacto illo uniuscujusque cum unoquoque docet , unumquemque civium unicuique cæterorum se obligare , ne usum opum & virium suarum contra alios quoscunque deneget Imperanti ; sive (ut loquitur artic. 8.) transfert in illum omne jus virium & facultatum suarum.

Ergo in Civitate Hobbesiana nullum habent cives jus aut usum facultatum , opum , & virium suarum respectu Imperantis ; sed omnes civium omnium suo-

suorum facultates, opes, & vires, etiam uxores & liberos eorum solus Imperans & imperio possidet, & dominio; quæ sanè nota est servilissimæ subjectionis: nam quod de servo inquit Donatus ad Terent. *Quid non justum Domino in servum?* idem de ejusmodi populo dici jure potest, *Quid non justum Principi in populum?* ut cujus facultatum & virium omnium Princeps solus non *rector* tantum, sed *dominus* est absolutus; de quibus proinde pro libitu suo potest disponere. Nam quamvis doceat, *in pacto civili unumquemque intelligi, jus se ipsum contra vim defendendi retinere, etiam ab Imperante suo illatam*; id tamen non minus in servis statuit locum habere adversus Dominos suos, quam in subditis adversus Principem suum. Nec quicquam civibus usui id esse posset, si ipsis, etiam innocentibus vis inferretur ab Imperante: ut quibus nulla spes victoriæ contra illum, qui præstò habet usum opum & virium omnium civium reliquorum.

Verum cum Civitates primum pacto institutæ sint, ut ipse supponit: & qui illas instituerunt, *imperium* in unum pacto deferre potuerint, salvo sibi unicuique *jure & dominio* virium & facultatum suarum; ut *omnia Rex imperio possident, singuli* quique sua *dominio*; ut optimè distinguit Seneca 7. *de benef.* o. 5. & absque tam servili uniuscujusque subjectione sub Imperante pax & defensio communis satis stabilis haberi possit, ut experientia docet in omnibus Civitatibus Christianis; atque odiosa semper unicuique jure merito esse solet ejusmodi servilis subjectio; quis credat, in prima Civitatis institutione civium unumquemque ita præter necessitatem prostituere voluisse dulcissimam suam libertatem, tamque absolute omne jus virium & facultatum suarum in unum hominem transferre? Et cum dicter homini unicuique ratio naturalis;

lis; innocentem neminem lædi oportere, aut saltem quem nescis nocentem esse; quam ob causam Grotius aliique censent, etiam Carnifici oportere cognita esse causa merita, priusquam usum virium suarum commodare debeat Magistratui ad occidendum reum; neque aliud spectasse legem Hebræam, cum ad lapidandum reum testes vult præire populo; quo jure etiam milites Christiani sub Juliano Imperatore jussi arma expedire contra Christianos, noluerunt; & Spiculator, jussus à Rege, illi usum virium suarum concedere ad nocendum Eliæ; quî verisimile est, hominem unumquemque in primâ Civitatis institutione ita omnem humanitatem exuere voluisse, ut se pacto & juramento obstringere voluerit ad commodandum Imperanti omnium virium & opum suarum usum tam absolute in omnibus, etiam quæ contra omnem æquitatem & honestatem Ille voluerit; v. gr. ad hominem quemvis innocentem occidendum?

Alibi *submissionem civis contineri docet his verbis; Actionum omnium ejus hominis, cui summam tribuimus potestatem, authorem me facio.* Leviath. c. 21. p. 107, 108.

Ergone unusquisque in prima Civitatis institutione se pacto civili authorem fecit omnium illarum actionum, quas in Imperii administratione contra omnem pietatem, honestatem, & justitiam Rex aliquis faceret, aut aliis faciendas imposeret? Si v. gr. Deum, Christum abnegaret, falsos Deos coleret, blasphemias in Deum & Christum evomeret, inhumanis suppliciis grassaretur in homines quosvis innocentes; me aut parentem meum innocentem interficeret; atque hæc & similia abominanda aliis facienda imperaret; ergone, qui talia toto corde abominor, præsumi debeo, pacto primo civili memet ipsam
omnia

omnium illorum scelerum authorem, & p̄ricidii reum fecisse, cum primum me submissi summam habenti potestatem civilem? qūi credibile est, civium unumquemque in prima civitatis institutione id voluisse, quod tam directè contrarium est instituendæ Civitatis scopo & fini; nempe *ut quietè & tranquille vivamus in omni honestate & pietate*, 1 Tim. 2. 2. ? Et si primo pacto civili unusquisque se fecit authorem eorum omnium, quæ Princeps vel faceret, vel facere imperaret; qūi tum solius Imperantis, non meum peccatum est, quod facio jussus ab Imperante (ut passim docer) ut cujus jussi egomet ipse (ex hâc hypothefi) author sum per primum pactum civile, & facti actor; simul author sc. & actor peccati?

EXERCITATIO II.

Ad Art. 2. c. 12. de C.

An, peccare posse subditos obediendo principibus suis, seditiosa sit opinio?

Opinio eorum, inquit, qui docent; peccare subditos, quoties mandata Principum suorum, quæ sibi injusta videntur esse, exsequuntur, & erronea est, & inter eas numeranda, quæ obedientiæ civili adversantur. In margine autem; peccare posse subditos obediendo Principibus suis, seditiosa opinio.

¶ Resp. 1. Non absoluta est, ut hic supponit, obedientia, quæ à subditis debetur suis Principibus, sed per leges naturales, & supernaturaliter à Deo revelatas definita; ut demonstratum exerc. præc. his cum contraria sæpe ab Imperantibus jubeantur, ut

ex-

experientiâ constat ; & tali casu Deo potius , quam Magistratui obediendum sit , ut Apostoli docent. *Act. 4. 19. & 5. 29.* & res ipsa loquitur ; patet , opinionem illam non esse erroneam aut obedientiæ civili adversam , quæ docet ; subditos peccare posse obediendo Principibus suis. 2. Et opinio illa fuit obstetricum Ægyptiarum ; Danielis ejusque Sociorum in Babylone , Christi ipsius , Prophetarum & Apostolorum , quorum opinionem absit dicamus erroneam fuisse , aut seditiosam. *Exod. 1. 1 Sam. 15. vers. 19 --- 22. Jer. 7. 21, 22. Hos. 6. 6. Dan. 3. 6. Act. 4. & 5. cit.*

Obj. 1. *Peccatum est , inquit , quicquid quis fecerit contra conscientiam ; sed distinguendum est ; peccatum meum est , quod faciens peccatum meum esse puto , quod vero peccatum alienum esse puto ; possum quandoque sine peccato meo facere : nam si jubeam facere , quod peccatum jubentis est , modo qui jubet Dominus meus sit , id si facio , non pecco.*

Quasi 1. peccatum nullum esset , nisi quod contra conscientiam committitur ; peccato quidem gradum malitiæ supperadit , si fiat contra conscientiam ; sed hoc rationem formalem peccati non constituit ; sed *ἀνομία* , seu quod sit contra legem , *1 Ioh. 3. vers. 4.* proinde non tantum peccatum meum est , quod faciens peccatum meum esse puto ; sed quod , sive ita putem , sive non , ipse committo contra legem Dei. 2. Quasi etiam absque meo peccato cooperari possem peccato alieno : nam qui facit , quod peccatum alienum esse putat , ille saltem cooperatur peccato alieno ; ut Pilatus Christum crucifigendum tradens , quamvis hoc non suum , sed Iudæorum peccatum esse , existimaret. *Matt. 27.* nam qui facit , quod peccatum alienum esse putat , eique cooperatur , illud revera suum facit ; quamvis jure ipsius.

Do-

Dominus sit, qui id ipsi imperat faciendum. Et quæ meum peccatum non est, quod facio mihi iustum ab Imperante, si (quod docet) ego primo pacto civili ipse me authorem fecerim omnium actionum, quæ vel faciendas princeps imperaret, vel ipse faceret, hoc est, peccatum meum non est, cujus ipse ego & author & actor sum? uti etiam observavimus *Exercit. preced.*

Obj. 2. Non si militavero, inquit, jussu Civitatis, putans bellum injustè susceptum esse, idcirco injustè facturus sum; sed potius si militare recusavero, cognitionem justæ et injustæ, quæ pertinet ad Civitatem, mihi arrogans.

Quasi, Quis justius induat arma, scire nefas; Qui sciens bellum injustè susceptum esse, militaverit tamen, sanguinis injustè effusi reum se facit, utcumque jussus à Civitate, ut liquet ex modo dictis. Vide *Grot. de j. b. l. 2. c. 26.*

Ob. 3. Qui distinctionem hanc non observant, quotiescunque illis aliquid imperatum erit, quod illicitum vel est, vel videtur esse, incident in peccati necessitatem: nam faciens contra conscientiam, si obedierint; contra jus, si non obedierint.

Ubi supponit, jus Imperantis esse, aliquid imperare, quod illicitum est per leges Divinas. Impiè & ineptè!

EXERCITATIO III.

An Magistratus in subditos; Dominus in servos; Parentes in filios non possint esse injurii?

Affirmat id Hobbes de Magistratibus, de C. c. 7. a. 14. Quoniam ostensum est, inquit, (supra art.

art. 7. c. 12.) eos, qui summum in Civitate imperium adepti sunt, nullis cuiquam pactis obligari; sequitur eosdem nullam civibus posse facere injuriam. Injuria enim nihil aliud est, quam pactorum violatio; ideoque ubi nulla pacta procedunt, ibi nulla sequi potest injuria.

Resp. Qui summum imperium adepti sunt, nullis cuiquam pactis obligari (*exerc. 1. ad. art. 7. & 8. c. 5. de C.*) falsum esse, demonstravimus; proinde & falsum est illud, quod in de concludit. Et quod hinc supponit, Injuriam adæquatè in pacti violatione consistere, quam falsum sit, ad octavum præceptum ostendemus.

Potest quidem, inquit porro, & Populus, & Curia Optimum, & Monarcha multis modis peccare contra leges naturales, ut crudelitate, iniquitate, contumelia, aliisque vitiis; sed illa sub hac stricta & accurata injuriæ significatione non veniunt.

Ubi non capio, qui contra leges naturales de crudelitate, iniquitate, contumelia &c. peccare possint summi Imperantes, si injuriâ non possint, aut nemini ullis pactis sint obligati (dato non concessio, injuriam adæquatè in pacti violatione consistere) cum præcepta Decalogi. 5, 6, 7, 8, 9. quibus crudelitas, iniquitas, contumelia prohibentur, Illi simpliciter leges civiles sint, naturales tantum, quatenus lex naturalis est, Pactis standum esse; a. 14. c. 9. nisi aut dicat, crudelitatem, iniquitatem, contumeliam dictis Decal. præceptis non prohiberi, contra quod de iis docet Servator *Matth. 5.* & ipse *de C. c. 4. a. 24.* aut illa quidem dictis præceptis prohiberi; sed quid crudelitas, quid iniquitas, quid contumelia dicendum sit, lege civili definiendum esse; sed præterquam quod, quam absurdè hac dicatur, prolixè demonstravimus *suprà cap. 21. Exerc. 2.* cum Principes statuat nullis civi-

tatis legibus obligari, c. 6. §. 14. intelligi nequit, qui ullo modo illi *crudelitate, iniquitate, contumelia* peccare possint contra leges naturales, si quid illæ sint, solis legibus civilibus definiendum est; & speciatim non capio, qui *crudelitatis, iniquitatis, & contumelia* in cives rei fiant, contra quos nemini quicquam proprium est, per a. 15. c. 6. quorum imperium absolutum est, quibus simplex & absoluta in omnibus obedientiâ debetur à subditis, per a. 13. ejusdem cap. Quin alibi ipse scribit; *inde injuria nomen actioni vel amissioni tribui, quod sine jure fiat.* c. 3. a. 3. unde sequitur, Imperantes crudelitate, iniquitate, contumelia peccantes contra leges naturales adversus subditos suos, injuriam illis facere: nam sine jure fit, quod est contra leges naturales.

Idem de Dominis statuit cap. 8. a. 7. *Quod in servos suos injuri esse non possint*: nam *disponere posse Dominum de servo suo jure naturali eo modo, quo voluerit, arbitrio suo.*

Resp. Dominum in servos suos habere potestatem absolutam, ut pro arbitrio, ut voluerit, de iis possit disponere; atque utcumque crudeliter illos tractet, etiam si immerentes, aut levi de causa illos occidat, injuriam tamen in illos esse non posse, negamus. Nam 1. quamvis magna olim fuerit potestas Dominorum in servos; non tamen indefinita fuit, aut absoluta; sed cancellis æquitatis naturalis, & legum humanarum & Divinarum limitata. *Lev. 25. 42; 53. Exod. 21. 20, 26, 27. Luc. 12. v. 48. Job 31. v. 13. Eph. 6. 9. Col. 4. 1. Domini jus & æquum servis exhibete*; quæ Apostoli admonitio frustra esset, nisi Domini in servos injurii esse possent. Hic æquitatem adhibendam, ex ratione naturali agnoverunt Philosophi Gentiles, quæ facit illud Senecæ; *Servis moderate imperare laus est; & in mancipio cogitandum, non quan-*

quantum illud impune pati possit ; sed quantum tibi permittit æqui bonique natura. lib. 1. de Clementiâ c. 18. *Servi sunt ? imo homines sunt. Servi sunt ? imo contubernales sunt. Servi sunt ? imo humiles amici. Servi sunt ? imo conservi ; si cogitaveris tantundem in utrosque licere Fortuna. Quoties in mentem venit , quantum tibi in servum liceat , veniat in mentem , tantundem in te Domino tuo licere.* Epist. 47. 2. *Ut jure naturali à servo Domino suo debetur obsequium ; sic à Domino servo frugi gratitudo ,* Luc. 12. v. 37, *quam non præstans Dominus, in servum injurius est.* 3. *Ipsæ docet, injuriam in pacti violatione consistere ;* art. 4. c. 3. *& obligationem servi erga Dominum ex pacto oriri.* c. 8. a. 3. *& per art. 9. c. 2. omne pactum est mutuum ; Dominus ergo contra pactum agens cum servo in illum injurius est , juxta ipsius definitionem injuriæ.* 4. *Aliibi injuriam definit , quod sine jure est ; sed multa Dominus servo imperare potest sine jure ; nempe quæ sunt contra pietatem , honestatem , justitiam. Unde & lege civili cautum est ; ut servi ad scelera vocati Dominis parere non teneantur.* Et Antonius Pius & Severus Proconsules in Provinciis præfectum constituerunt , qui de injuriis servorum cognoscerent. *Quæ frustra essent ; si Domini in servos injurii esse non possent.*

Obj. 1. Quod unusquisque jure naturali possit disponere de bonis suis , uti libuerit.

Resp. 1. Omne dominium privatum dominio publico subiectum est , & ab æquitate naturali , & lege Divina limitatum. Sic nemini fas est re suâ abuti in præjudicium salutis publicæ. 2. Alia ratio est servorum , alia aliorum bonorum ; in illos injuria cadit , non in hæc.

Obj. 2. Quod servi voluntatem suam Domini sui voluntati subjecerint ; Quare quicquid iste facerit , ipse

volentibus fit ; volenti autem injuria fieri non potest.

Resp. 1. Non magis servi absolutè & in omnibus voluntatem suam Domini sui voluntati aut subjecerunt, aut subdicere potuerunt, quam subditi ita voluntatem suam subdicere potuerunt voluntati Imperantium, de quo vide *Exerc. 1. ad art. 6. c. 5. de C.* Et 2. volenti injuriam fieri non posse, quam falsum fit, inferius demonstramus.

Idem de *parentibus* docet cap. 9. a. 7. quod *in liberos suos injuriæ esse non possint.*

Sed 1. si Magistratus in subditos ; Domini in servos injuriæ esse possunt ; ergo multò magis parentes in liberos : nam (uti supra ad *Aff. 1.* demonstravimus) multo major est subjeçtio servorum sub Dominis, quam liberorum sub parentibus. 2. Et tum immerito filix Labani (Rachel & Lea) cum patre suo de injuriâ sibi ab illo factâ expostulassent. *Gen. 31. v. 14, 15, 16.* Vide etiam *Math. 10. v. 21. Luc. 21. v. 16. 1 Sam. 20. 30 -- 34. Eph. 6. v. 4.*

De sexto Præcepto.

Hoc præcepto studium conservandæ vitæ præcipitur, non tantum *nostræ*, sed etiam *alienæ*. *Nostræ* legitimo usu legitimorum mediorum ; quo pertinet *injuriæ propulsatio*, quæ legitima est 1. cum fit in continenti. 2. ex necessitate. 3. non ulciscendi aut lædendi animo. *Exod. 22. 2, 3.* Cui opponitur *conservatio vitæ propriæ illegitima*, quæ inter alia fit *veritatis abnegatione* ; *Math. 10. v. 33, 39.* Studio *conservandæ vitæ proximi* subordinatur *Misericordia*, item *ἐπιείκεια*, quâ de nostro jure aut propter publicam, aut eorum, qui peccant, salutem aliquid remittimus, *Phil. 4. vers. 5. ἰπικρίας ὀμωσ*
inno-

innotescat omnibus. Oppenitur autem *Pugna privata*, Jac. 4. 1. & *Bellum injustum*, quale est, quod geritur in causa injusta, aut absque authoritate publica, aut non legitimo modo, & non necessarium. Item *cædes injustæ*, quales innocentium omnes. *Exod.* 22. v. 7. Quæque privata fiunt auctoritate, quamvis nocentium, *Math.* 26. 52. Item *odium*, *invidia*, *ira*, atque *vindictæ cupiditas*: quia ad cædes disponunt. *I Iob.* 3. 15. Quid in hisce Hobbefius?

I. *Miscescere*, inquit, est *inhonorare*, uti *convitiari*, *irridere*. L. c. 10. p. 45.

Resp. 1. Quis non ægrè fert, se irrideri, aut convitiis peti? sed nostri quempiam misereri, non solemus ægrè ferre; sed grato animo agnoscere. 2. Neminem debemus inhonorare: nam *qui contemnit proximum suum, futurus est peccator*, *Prov.* 14. v. 21. misereri verò aliorum commendatur. *Math.* c. 18. v. 33. *Prov.* 19. 17. *Rom.* 12. 8. *Jud.* v. 22. 3. Nec inhonorat nos Deus, cum nostri miseretur: nam tum maximè honoraret impios, inhonoraret pios: nam piorum miseretur, non impiorum; *Pf.* 103. 13. *Ier.* 13. 14. Neque homines miseros inhonoravit Christus, cum eorum fuit misertus, *Math.* 9. 36. & 14. 14. neque inhonorari voluerunt, qui ab illo petierunt, ut sui vellet misereri. *Math.* 9. v. 27. & 15. 22. 4. Si *miscescere* est *inhonorare*, quid tum sibi voluit ille apud Comicum; *Neminis mi sereri certum est: quia mei miseret neminem?* an; Neminem inhonorare miserando certum est: quia me miserando inhonorat nemo? 5. Quin ipse docet, *honorare esse aliquem magni æstimare*; contra *parvi æstimare esse inhonorare*; at magni æstimare solemus, quorum miserescimus; nam fons misericordiæ est amor, quo illum complectimur, cujus in miseriâ constituti miserescimus; contra parvi æstimare & negligere dicimur illos,

quorum non miseresimus; quod cum nobis contingit, dolemus. Pl. 38. v. 12. *Amici mei & proximi mei in regione plagæ meæ subsistunt, & propinqui mei & longinquo absistunt.*

Hic πρῶτον λέω; *Honorem consistere tantum in opinione potentiae; de quo vide supra cap. 21. Exerc. I. ad a. 9. c. 15. de C.*

II. Pugnam singularem privatorum honorificam esse, contendit, *quamvis per leges civiles illicitam: quia in aliis generat opinionem potentiae. Leviath. cap. 10. pag. 47.*

Tum in illâ pugna multo magis honorifica esset cum proximi eadē victoria: nam magis in aliis generat opinionem potentiae, in pugna vincere, quam ad pugnam provocare; sed *virum sanguinis abominatur Jehova. Pl. 5. v. 7. Gen. 9. v. 6. Math. 26. v. 52. Quin ipse (eadem pag.) honorifica esse ait signa magni animi; sed majoris animi indicium est, iniurias æquo animo ferre, quam cum ferre non possis in arenam descendere; Recte Juven. Sat. 13.*

*Semper & infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio. Continuo sic collige, quod vindictâ
Nemo magis gaudet, quam feminu.*

Quod & suo nos exemplo docuit, qui supra omnes homines magnanimus fuit, D. N. J. Chr. Recte Arist. docet, *Magnanimum non esse μνησικακον (memorem injuriarum) quia nullas tanti æstimat, ut non negligendas illas putet potius, quam vindicandas. Næ insignis virtus Christiana est mansuetudo, patientiâ & tolerantia in ferendis injuriis; beati mites Math. 5. v. 5. Discite à me, quod lentis sim, & submissus corde. Math. 11. 29, Hoc cedit grâtiæ; si quis propter conscientiam*

scientiam Dei suffert molestias ; injuste affligitur. 1 Petr. c. 2. v. 19; sed contra illam mansuetudinem, & tolerantiam Christianam est pugna illa singularis privatorum. Solum illud laudabile est, quod Reipubl. utile est ; sed in pugna singulari vincere non utile est Reipubl. vinci etiam damnosum. Nemini honorificum esse potest, Deo ultori diffidere, & in munus honorabile Magistratus involare, quod faciunt, qui ex vindictâ privatâ pugna singulari se mutud aggrediuntur *Matth. 26. v. 52. Rom. 12. v. 19. & 13. v. 4.* Et falsum, quod supponit ; pugnam singularem privatorum solâ lege civili esse illicitam, ut liquet ex dictis.

Obj. Promptitudo ad pugnam fortitudinis signum semper est.

Resp. Viri fortis est, intrepidè adire, & constanter sustinere pericula ea solum, quæ honesta sunt, quæ Reipubl. vel factò, vel exemplo profunt, idque prudenter; *ubi, quando, & quomodo* decet, atque *bonestatis* tantum causa : quæ cum in pugna singulari privatorum minimè observentur, talis ad pugnam promptitudo fortitudinis signum aut esse, aut haberi non potest.

Instat ; Pugnam recusare non naturâ, sed legibus virtus fit, & legibus natura fortior.

Resp. Quæ natura legibus fortior ? non integra, sed corrupta ; quare non mirum, pugnam recusare non illa nostra natura, sed legibus virtutem fieri.

Hic idem *πρωτορ ψυδθ*, quod *Affert. preced.*

HE *Passiones hominum peccata esse negat ; & quæ inde oriuntur actiones, quamdiu, quæ illas prohibeat, potestatem nullam, qui faciunt, videns.* *Leviath. c. 13. pag. 65.*

Cum disertè hominum passiones *peccata* appellentur, Rom. 7. v. 7. *παθήματα τῶν ἀμαρτιῶν*, Ibid. v. 5. & passiones gentilium *facta*, & *injustitiæ*; illique ob illas *jure Divino* morte digni esse dicantur Rom. 1. 20. &c. Et *omne figmentum cogitationum cordis hominum tantummodo malum esse omni tempore*. Gen. 6. 5. easque omnes crucifigere moneamur. Gal. 5. 24. Quin *passionibus* hominum, ipse scribit, *leges naturales esse contrarias*, Leviath. cap. 17. pag. 83. ergo, inquam, *ἀνομιὰ* sunt, sive peccatum. I Job. 3. v. 4. Et de *invidia* & *cæde Caini* testatur Apostolus, quod ex *maligno* fuerint, & *opera mala*, Ibid. v. 12. & tamen (secundum Hobbesium) tunc potentia communis, quæ vindicare poterat, non existerat. Leviath. cap. 13. p. 65. Denique expresse ipse docet, in statu extra Civitatem, sive ubi potestas communis nulla est, peccare contra Deum, & *leges naturales violare*, non esse impossibile. Civ. cap. 1. art. 10. hic autem; peccatum nullum esse posse, ubi potestas civilis nulla est. Hæc quæ coherent?

Obj. 1. *Quod id ne canes quidem ignorent, qui accedentibus oblatrant, interdium quidem ignotis, noctu autem omnibus*. Nempe quod canes faciunt, idem homines facientes non peccant; atqui canes oblatrant accedentibus, interdium ignotis, noctu omnibus: quia ob tenebras tunc potestatem, quæ prohibeat, nullam vident. Ergo etiam passiones hominum, quæque inde oriuntur actiones, peccata non sunt, quamdiu potestatem nullam vident, quæ illas prohibeat.

Resp. Caninum hoc argumentum risu potius, quam responsione dignum est.

Obj. 2. *Nonne, inquit, fratrem suum Abelem invidit*

vidit interfecit Cain, tantum facinus non ausurus, si potentia communis, quæ vindicare potuisset, tunc exiisset.

Quasi ubi potentia communis existit, homines unus alium occidere non auderent, quod contra experientiam est; & peccatum non esset, quod homines facere audent nulla existente potentia communi, quæ vindicare illud posset. V. gr. horrendum illud, quod cives Gibbeæ facere ausi fuerunt adversus Levitæ mulierem concubinam temporibus illis, cum Rex non esset in Israël. *Jud. 18.* Tempore farricidii Caini nullam exitisse potentiam communem, quæ illud vindicare potuit, quam falsum sit, liquet *Gen. 4. 6-13.*

Hic *περὶ τῶν νόμων*; *Leges naturales non esse leges propriæ & accurate loquendo.* De quo vide *supra c. 20. Exerc. 6.* Et peccatum propriè dictum non esse, nisi contra *leges civiles.* De quo *infra.*

IV. *Vim & dolum, sive ferinam rapacitatem docet in bello, atque extra statum civilem, virtutes cardinales esse.* *Leviath. cap. 13. pag. 65.* *Civ. in Epist. dedicat.*

Ergo in illo hominum statu (secundum Hobbesium) quod homines sunt modestiores, sine fraude doloque, eò à virtute remotiores sunt; virtuti autem propiores homines crudeles & fraudulentii; atque inter belluas illæ magis ad virtutes cardinales accedunt, quod sunt magis indomitæ atque rapaces. En Philosophiam moralem, quâ imbuta sunt magis bruta animantia, quam homines optimi! Et tamen (hæc est hominis frons) hanc suam Philosophiam solam gloriatur nomine Philosophiæ moralis dignam esse; in quâ nempe aliquando virtutes cardinales sunt *ferina rapacitas, vis & dolus.* *C. c. 3. a. 32.*

Resp. 1. Id quod prohibet lex Divina, virtus cardinalis

divinis esse non potest: sed vim & dolum prohibet
 lex Divina: Luc. 3. 14. *Neminem, inquit Baptista
 militibus, concutite, aut dolo opprimate.* 2. Quod
 abominatur Deus; virtus cardinalis esse non potest;
 sed *vim & dolum* abominatur, Psal. 5. 7. *Virum dolo-
 sum & sanguineum abominatur Jehovah.* 3. Omnis
 virtus cardinalis fuit in Christo; sed *dolus* non fuit
 inventus in ore ejus, nec *volentia* in ipsius manibus;
 1. *Jes. 53. 10.* Idque tum, cum jure fundamentali de con-
 servatione sui ipsius (juxta Hobb.) ministris justitiæ
 resistere licebat. 4. Propter virtutes cardinales nun-
 quam Deus punit homines; sed propter vim & do-
 lum diluvio punivit primum mundum. Gen. 6. 11, 13.
 5. Quæ sunt contra leges naturales de *charitate, man-
 suetudine, misericordia*, illa non sunt virtutes cardina-
 les; sed contra illas leges naturales sunt vis & dolum:
 Mat. 5. 39, 40, 41. Denique juxta illum in statu na-
 turali, qui status belli est, *pet a: 12. c. 1. de C.* fuerunt
 Cain & Abel *L. c. 13. p. 65.* quod si ergo in tali statu
 vis & dolum virtutes cardinales sunt; tum virtus car-
 dinalis fuisset in Caino, quod vi & dolo interfecerit
 fratrem suum. Vide Gen. 4. & 1. *Job. 3.*

V. *Unicuique contendit jus esse, omnibus visis &
 mediis seipsum defendendi.* Leviath. Cap. 14. pag. 78:
 C. c. 1. 7.

Cum tamen 1. *Vx* in Judæos pronuntiet Prophe-
 ta, quod defendendi sui causa adversus hostes suos,
 auxilium Regis Ægypti imploraverint, eosque ideo
 graviter reprehendat, *Jes. 30. 1, 2. & c. 31. 1, 2.* quod
 mirum, si jus unicuique est omnibus visis & mediis
 seipsum defendendi. 2. Quod si Tyrannus aliquis
 urbem aliquam devastare minaretur, nisi illi tradatur
 homo aliquis, quem illius urbis cives introentem
 esse cognoscunt; illum sane cives tyranno jure tradere
 non possunt: quia innocentem esse sciunt; & sup-
 poni-

posuimus, illos satis vitium non habere, se aut illum innocentem adversus vim Tyranni defendendi; tali certe casu homo ille, quamvis innocens, jure naturali teneretur (posthabita vitæ suæ defensione) sese pro totius urbis salute morti offerre; sed hoc facere non teneretur, si vera esset illa Hobbesiana Assertio. 3. Nec sui conservandi causa licet Christum abnegare; Magistratui; aut Ministris justitiæ resistere; aut adversus eorum vim combinationes cum aliis fateri; mentiri, pejerare &c. Quæ omnia quamvis admittat, imò passim inculcet Hobbesius; sunt tamen aperte contra doctrinam Christi, quæ etiam cum jacturâ hujus vitæ Evangelium profiteri obligamur; *Math. 10. & Magistratibus resistere prohibemur, Rom. 13. & facete malum; ut edentur bonum. Rom. 3:8.* Sed de hoc fuisse egimus supra c. 17. *exerc. ad a. 7. c. 1. de C.*

VI. *Contingere posse, ait, & sepe contingere in Civitatibus, jussu summam habentis potestatem; innocentem sine injuriâ interfici. Ita Davidem non peccasse contra Uriam; cum eum interficere jussit; nec Jephtham contra filiam. L. c. 21. p. 106.*

An per accidens innocens aliquando occidi possit (v. gr. Si necessarium officium Imperantis requirat; ut nocens unus aut plures occidantur; illique se defendant per innocentis interpositionem. Aut si quis fugâ necessariâ & justâ per iter angustum consulens vitæ suæ, non posset vitare, quin alterum protereret in via; quæ ex raro contingentibus sunt) non disputamus. Verum an *ex intentione & consilio destinato*, jussu summam habentis potestatem innocens sine injuriâ occidi possit, quod Hobbes contendit: quia *vix necisque civium arbiter est summus Imperans*; atque exemplo Davidis & Jephthæ probare satagit? Negamus.

Nam

Nam 1. Innocentem occidere vetat lex Divina, Exod. 23. 7. *Innocentem & justum non occidito; sed nemo sine injuria sua contra legem Dei occidi potest: nam & qui hoc facit sine jure facit: quia facit contra jus sive legem Dei, & consequenter injuria, a. 3. c. 3. C. ejusque; qui sic innocens occiditur, jus ad vitam suam, quod jure Divino & naturali habet, lædit. 2. Solius arbitrio subjicitur vita hominis, qui illius auctor & Dominus est; sed ille solus Deus est, non ille qui in Civitate summam potestatem habet; quare sola illa occisio hominis justa & legitima est, quam Deus in lege sua approbavit: hominum omnium est, obedire legi Divinæ (*Non occides*) absque ulla exceptione, quæ ab Authore legis non est approbata. 3. Huc facit etiam, quod Apostolus ait, quod *Magistratus non est terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non terri Pote-state? quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis. Dei enim Minister est tuo bono.* Sed etiam bonis terrori esset Magistratus, si innocens quisque illius jussu sine injuria posset occidi.*

Obj. *Quod filiam suam occidi jusserit Jephtha; & in occasione Uriæ, etsi Rex David inique fecit, & contra Deum graviter peccavit, contra Uriam tamen non peccaverit; ut qui facti illius authorem se fecerat; (Tibi soli peccavi) inquit, sunt verba ipsius ad Deum Davidis: Deo enim soli obligari potuit Rex.*

Ubi 1. Falsum, quod supponit, Jephtham occidisse filiam suam: nam postquam in filia sua votum suum exsecutus fuit, de illa legitur (Jud. 11. 42.) *De anno in annum ibant filia Israelitarum ad confabulandum cum filia Iephtæ.* Quod qui fieri potuisset, si illam Iephta occidisset? 2. Si (quod hic ipse fatetur) David, Uriam occidi jubens innocentem, contra Deum graviter peccavit; & (quod ait) Uriam facti illius authorem se fecit (in primo nempe pacto civili) tum suæ ipsius occi-

decisionis injustæ, & peccati, quod in ea Rex David commisit, ipse Uria author fuisset, eique David imputare potuisset; dicereque: *Non tibi solus peccavi Domine; sed & Uria ipse, quem occidi innocentem: quippe qui hujus mei peccati authorem se fecit.* Absurde! 3. Omne peccatum, quâ tale, contra solum Deum committitur, 1 Joh. 3. v. 4. & hoc sensu dixit David; *Tibi soli peccavi;* unde non sequitur, à Davide Uriæ non factam esse injuriam, cum illum innocentem jussit occidi.

Παῖτον Ἰούδ; Parentes in filios, Magistratus in subditos, injurios esse non posse. Vide ad 5. *Præc. Exerc. 3. Submissionem civis contineri his verbis; Actio- num omnium ejus hominis, cui summam tribuimus potestatem, authorem me facio.* Vide ibid. *Exerc. 2. Injuriam soli ei fieri, quicum contraximus.* Vide infra ad 8. *præc. Neminem sibi ipsi injuriam facere posse.* Vide ibid. *Regem soli Deo obligari posse.* Vide ad 5. *Præc. Exerc. 1.*

VII. De populo Atheniensis inquit, cum civem per Ostracismum in exilium mitteret, non illum criminis accusasse, sed quemcumque exulare voluit numerus concivium maximus, eum exulasse: non quia violator legum erat; sed quia (propter nimiam potentiam) violare leges impune posse videbatur. Quod illos ait non fecisse injuste, sed jure Civitatis. Ibid.

Quasi 1. tantum propter nimiam potentiam olim Athenienses per Ostracismum cives in exilium misissent. Non: nam Aristidem miserunt in exilium propter justitiam: quia tantam viri justitiam pati non poterant; Damonem propter prudentiam. Et 2. quasi injuria nulla fieret civi, qui in exilium mittitur innocens a Civitate, & jure id fieret Civitatis: nullum agnoscimus jus Civitatis contra justitiam. 3. Et mirum,

mirum, propter nimiam potentiam illos impunè leges violare posse, qui etiam innocentes, minimeque leges violantes, ita possunt exilio puniri. 4. Unde nec Aristoteli sine ratione Ostracismus ille non probatur; & non absimilem Ephesiorum legem execratur Cicero; quod virtutem ex Civitate excludi nefas putaret, apud *Arnis. Pol. lib. 2. cap. 5.*

VIII. *Qui crimen aliquod commiserunt capitale, unde à Rege de vita metuunt, jus habere, statuit, & libertatem, combinationes facere, sibi invicem succurrere, & conjunctis viribus se mutuo defendere contra Civitatis potestatem summam. Leviath. c. 21. pag. 109.*

Resp. Cum primum homines in societatem civilem coiverunt, unusquisque (juxta Hobbesium) unicuique cæterorum se pacto obligavit, ad non resistendum voluntati Imperantis; sive ne usum opum & virium suarum contra alios quoscunque illi denegaret. *C. c. 5. art. 8.* Et per art. 17. cap. 2. *Pactum posterius priori contradictorium nullum est, & invalidum.* Sed pactum illud, quo criminis capitalis rei combinationes faciunt, & conjunctis viribus se mutuo contra Civitatis potestatem defendunt, pacto illi primò apertè contradictorium est. Dices; *Pacto illo primo unumquemque intelligi jus seipsum contra vim (etiam à Magistratu illatam) defendendi retinere. C. c. 2. a. 17.* Resp. 1. Pacto illo primò non tantum unusquisque unicuique cæterorum (juxta Hobbesium) se obligavit ad non resistendum voluntati Imperantis, verum etiam, ne quis usum opum & virium suarum contra alios quoscunque illi denegaret; ut liquet *C. c. 5. art. 8.* Sed qui combinationes faciunt, sibi invicem succurrunt, & mutuam opem ferunt contra vim Imperantis, illorum unusquisque usum opum & virium suarum contra unumquemque cæterorum conjurato-

rum

rum denegat Imperanti, contra pactum primum civile. 2. Nec cives primo pacto retinere potuerunt ullum jus, quod est contra jussum Dei; quale est se defendere contra vim à Magistratu legitime illatam, aut ei vi resistere. Rom. 13. 2. Plura vide in subjunctâ Exercit.

IX. In Epheso concursus illius contra Discipulos infidelium chamantium (Magna est Diana Ephesiorum) causam (consideratis Civitatis illius legibus) justam fuisse, Act. 19. L. c. 22. p. 118.

Mirum: cum expresse loci illius Magistratus hujus concursus causam nullam subesse legitimam dicat, v. 36, 39. Et quasi causa concursus legitima esse posset, qui fit ad opprimendos innocentes, quales Discipuli erant. Aut quasi illius Civitatis leges pro suâ Idololatria justæ fuissent, & pro illa illorum infidelium concursus causa legitima; injusta autem causa S. Pauli, Discipulorumque illic loci juxta mandatum Dei doctrinam Euangelii prædicantium, & profitentium, quamvis contra leges illius Civitatis.

X. In statu naturali occidere homines licitum esse, ait, cuique, quoties id suo bono conducere videbitur. L. c. 30. p. 163.

Extra Civitatem quemlibet à quolibet jure spoliari & occidi posse; in Civitate ab uno tantum. C. c. 10. a. 1. c. 8. a. 10. c. 17. a. 19.

Ergo hic in Civitate quilibet ab Uno jure spoliari & occidi potest, quoties id suo bono conducere videbitur; extra Civitatem quilibet à quolibet.

Resp. 1. Hominem innocentem occidere, aut spoliare vetat lex Divina; non tantum quatenus subest legibus civilibus, sed quatenus homo est gerens Dei imaginem, Gen. 9. 6. obligans non minus Reges, quam privatum quemque. Exod. 23-7. 2 Sam. 11.

I Reg.

1 Reg. 21. sed nihil jure fit contra legem Dei. 2. Et tum etiam Magistratus esset terrori bonis ; contra Rom. 13. Plura vide supra cap. 17. exerc. ad art. 10. c. 1. de C.

XI. *Conservandæ vitæ causa*, licitum esse, Christi-
stum negare. App. c. 3. p. 364.

De quo vide supra cap. 10. Ass. 2.

Affertionum harum *πρωτων* *ῥησῶν* ; Conser-
vationem vitæ & membrorum esse fundamentum pri-
mum omnis juris & justæ facti. Vide cap. 7. exerc. ad
art. 10. cap. 1. de C. In statu naturali mensuram
juris esse utilitatem uniuscujusque propriam, seu bonum
sibi. Vide Ibid.

EXERCITATIO

Ad Art. 18. c. 2. de Cive.

*An pactum de non resistendo inferenti damnum corpo-
ris invalidum sit ?*

Nemo, inquit, mortem, vel vulnera, vel aliud
damnum corporis inferenti pactis suis quibus-
cunque obligatur non resistere.

Respicit pactum civile, quo primum Civitas insti-
tuta est ; quo unumquemque, docet, unicuique cætero-
rum se obligasse ad non resistendum voluntati illius, cui se
submit, id est, inquit, ne usum opum & virium sua-
rum (quoniam jus se ipsum contra vim defendendi reti-
nere intelligitur) contra alios quoscunque illi deneget.
c. 5. a. 7. Eo ergo pacto civili negat quenquam obligari,
non resistere Magistratui, vim ipsi inferenti, utcunque
contra leges deliquerit, reusque factus sit. Proinde
inca-

incarceratum, & justè damnatum jure carcerem effringere, docet; & qui trahitur ad justum supplicium ministris justitiæ jure resistere. Et qui rei sunt facinoris alicujus capitalis, unde à Rege de vitâ metuunt, ope aliorum jure uti, & jus habere combinationes faciendi, sibi invicem succurrendi, & mutuam opem ferendi. Lev. c. 21. Quæ falsa & impia sunt.

Nam 1. Non est invalidum pactum, quo nos obligamus ad illud, ad quod jure naturali & Divino obligati sumus; sed illo jure obligamur non resistere Magistratui pro merito punienti. *Rom. 13.* 2. Non est invalidum pactum de licito & possibili; at tale est pactum civile de non resistendo Magistratui inferenti damnum corporis; prius liquet *Rom. 13. cit.* posterius experientia docet in Martyribus, in Saulo, 1 *Sam. 31.* aliisque *αυτοφόνους*. 3. Magistratus jure potest alicui nocenti, pro ratione delicti juxta leges, mortem, vulnera, vel aliud damnum corporeum inferre, ut ipse fatetur, *c. 6. a. 5.* quod si ergo reus jure resisteret, bellum esset ab utraque parte justum, quod esse non posse, alibi demonstramus. 4. Qui contra leges deliquerunt, pœnas illas ferre tenentur, quæ ipsi secundum leges à legitimo Magistratu irrogantur, 1. ad resarciendam noxam, quam malo suo exemplo toti communitati intulerunt: *nemo enim* (ut rectè Seneca) *errat uni sibi;* & Juvenalis, *hoc sceleribus accidere perniciosissimum*, notat, *quod malo exemplo committantur;* & *dociles imitandis turpibus ac pravis omnes sumus.* 2. Propter legem, quâ obligamur ad obedientiam, & si deliquimus etiam ad pœnam; ast legi satisfieri debet. Unde Virgilio pœnis *peccata ludi* dicuntur, ad quod Servius notat: *Luant, inquit, peccata, id est, absolvant. Dicimus autem & luo pœnam, sed melius est hic peccatum: nam peccatum solvitur pœna: qui enim crimini tenetur obnoxius, eum pœna à*

*pristinâ liberat obligatione. Peccata (ut benè Chry-
sost.) ad debiti genus referuntur. Vide Matt. 6. 12.
Quò respiciens August. inquit; Si non reddit faciendo
justitiam, reddet patiendo miseriam: quia in utroque
illud verbum debiti sonat: hoc enim etiam modo dici
potuit; si non reddit faciendo quod debet, reddet patien-
do quod debet. Ergo injustus est reus, qui aut Magi-
stratui, aut Ministris justitiæ, damnum commeritum
juxta leges corpori illius inferentibus resistit. 5. Quin
ejus, quod hic tradit, ipse disertè contrarium docet,
c. 18. a. 13. Quid, inquit, an Principibus resistendum
est, ubi obediendum non est? Minimè sanè: hoc enim
contra pactum est civile. Quid ergo agendum? eundem
ad Christum per Martyrium: Ecce Principi damnum
corporis inferenti, resistendum non est. Quare? quia,
inquit, est contra pactum civile.*

*Obj. 1. Nemo tenetur ad impossibile; sed mortem,
vulnera, vel aliud damnum corporis inferenti non resi-
stere est impossibile.*

*Resp. 1. Quod sæpe fit non est impossibile; aut
mortem &c. inferenti sæpe non resisti, supra osten-
dimus. 2. Et si non resistere inferenti damnum cor-
poris impossibile est, tum Servator jubens sui causa
mortem pati, nos obligasset ad impossibile. 3. Ne-
que hoc cohæret cum eo, quod mox ex a. 3. c. 18. de C.
citavimus. Sed dicit; hoc impossibile esse iis, qui ad
ea ferenda satis constantes non sunt. Resp. Impossibi-
litas, quæ non in re ipsa, sed in vitio personæ est, ne-
minem solvit ab eo, ad quod vel pacto, vel lege obli-
tus est.*

*Obj. 2. Es, inquit, qui pacto tenetur, creditur
(pactorum enim vinculum sola fides est) qui verò ad sup-
plicium ducuntur, sive capitale sive capitali minus,
constringuntur vinculis, vel satellitibus custodiuntur.
Quod*

Quod signum certissimum est, non videri illor pactis ad non resistendum satis obligatos esse.

Resp. 1. Si pactorum vinculum sola fides est, qui tum docet, eorum valorem omnem esse à potestate civili? a. 11. c. 2. 1. Constringuntur vinculis, non quia non tenentur non resistere; sed quia, nisi constringerentur, resisterent: quia fidem fallere plerumque homines minus malum æstimant, quam vitâ privari. 3. Imo contra hoc signum est, illos ad pœnas obligari: nam alioqui vinculis constringi jure non possent.

Obj. 3. *Aliud est, si sic paciscor; Nisi fecero, constituta die interfice; aliud, si sic; Nisi fecero, interficienti non resistam; & pacta priore, non posteriore modo intelligenda.*

Resp. Si in mera non resistantia consistit juris translatio (ut docet a. 4. c. 2.) tum sanè idem est, dare jus interficiendi, & se obligare ad non resistendum interficienti.

Obj. 4. *Pacto non resistendi obligamur duorum malorum presentium eligere illud, quod majus est: nam mors certa majus malum est, quam pugna; sed duorum malorum impossibile est non eligere minus.*

Resp. Pugna cum pacti & legis Divinæ violatione majus malum est, quam mors ipsa. Malum turpe omni malo tristi majus est. Rom. 3. 8.

De Septimo Præcepto.

AD septimum Præceptum pertinet Matrimonium; quod est unius maris & foeminae ex legitimo consensu individua conjunctio. Huic præter alia repugnat. 1. Polygamia, Gen. 2. 24. I Cor. 7. 2. 2. Incestus. Levit. 18. Atque Divortium. Mat. 19. 4, & c.

Quæ omnia contra legem Naturæ, & rectam rationem esse, probat *Ames. Cas. l. 5. c. 35. & 38.* Quid hîc Noster?

I. *Omnia matrimonia per se valida esse contendit, modo non prohibeantur à lege civili. C. c. 6. a. 16.*

II. *In statu Naturæ omnia esse omnium, etiam uxores. C. c. 1. a. 10.*

III. *Si non obstat lex civilis, matrimonia solvi posse. C. c. 6. a. 16.*

De quibus vide supra *Cap. 17. in Exerc. ad a. 10. c. 1. de C. & Cap. 21. Exerc. 2.*

IV. *Ad intemperantiam, quæ etiam septimo præcepto prohibetur, pertinet crapula sive ebrietas; de quâ docet, malitiam ejus moralem in eo solum consistere, quod judicium & rationem labefactet. C. c. 3. a. 25. & c. 4. a. 19.*

Quandoquidem, inquit, *leges naturales nihil aliud sunt, præter dictamina rectæ rationis, manifestum est, cum qui volens sciensque ea fecerit, quibus facultas rationalis destruat vel labefactetur, volentem scientemque legem naturalem violare; sed hoc manifestissime contingit ebriis & crapula gravatis. Peccatur ergo contra legem naturalem. Et cap. 4. cit. disertè negat, ebrietatis malitiam consistere in quantitate vini, quod bibitur.*

Resp. I. Hujus vitii malitia consistit in *intemperantia*; quæ non vino tantum aliove potu, qui judicium potest labefactare, committitur; verum etiam in cibo, venere, aliisque, quæ non ita manifeste judicium lædunt, cum in iis medium non servatur inter excessum & defectum; hinc illud Pythagoræorum in aureis carminibus:

————— *Sed & hac compefcere disce;*

Im-

Imprimis ventrem, somnum, veneremque, deinde Iram.

Quare cum cætera intemperantiæ vitia non in eo formaliter consistant, quod manifestè rationem & iudicium labefactant, sed quod in rerum illarum usu modus non servatur; cur minus idem de ebrietate & *crapula* statuendum? 2. Variis modis ut in *cibo*, ita etiam in *potu* excessus potest committi; nempe cum aut quoad *substantiam* pretiosiora appetuntur, quam conveniunt statui appetentium; aut quoad *quantitatem* plus consumitur, quam ratio requirit; vel cum ratione *qualitatis* nimia curiositas ad satisfaciendum suæ cupiditati; aut ratione *modi* decori ratio non habetur; vel ratione *temporis* aut sæpius, aut aliàs quam oportet, istis rebus indulgetur; vel cum res illæ immoderatè appetuntur supra modum rei familiaris; vel si quis nimis cupidè iis fruatur, doleatque, si desideratis cupiditatibus frui non potest; *Edere, inquit Arist., aut bibere, quacunque offeruntur, donec plenus sis, quam naturæ necessitas postulat, nihil aliud est, quam modum naturæ convenientem copia superare.* Quique in rerum illarum usu maiorem suavitatis, quam sanitatis, aut facultatum suarum rationem habent. Qui omnes excessus ut in cibo, ita etiam in potu committi possunt, ut tamen ratio & iudicium non manifestè labefacteretur; cumque omnes hi excessus sint contra rationem, ut constat, oportet etiam vitiosos esse & malos. 3. Privatio rationis non est per se peccatum ebrietatis, sed ejus effectum potius & poena. 4. sunt homines, qui fortes sunt ad potandum, qui supra modum potantes nullam tamen sentiunt aut rationis aut virium conturbationem; an ideo gurgites illi à peccato ebrietatis immunes

sunt? *Ve fortibus ad potandum vinum, &c.* Ios. 5. vers. 11, 25. Denique non tantum ebrietatis peccatum est, cum quis sciens & volens ea facit, quibus facultas rationalis labefactatur, ut Hobbes contendit; verum etiam si illa fecerit ex notabili negligentia. *Luc. 21. vers. 34.*

De octavo Præcepto.

Huc pertinet 1. *Iustitia*, quâ ita cum proximo agimus, ne aut nobis aut ipsi fiat injuria, neque nostrum tantum lucrum, sed & proximi adjuvamentum spectamus. *1 Thess. 4. 6.* 2. *Αὐταρχία*, quâ quis justè partis, suæque sorte contentus est. *1 Tim. 6. 6.* *Iustitiæ* opponitur 1. *furtum*, quo quis rem alienam suam facit vel nescio possessore, quod *furtum clandestinum* est; vel vi & invito Domino, quod est *rapina, latrocinium*. Fures & latrones vulgò infames esse solent, atque in S. Script. pro hominibus sceleratissimis poni. *Psal. 50: 18. Ios. 1: 23.* 2. *Injuria* sive *injustitia*, quæ non in solius pacti, sed juris alieni cujusvis violatione consistit, ut mox in *Exercitiis* demonstramus. *Tῆν ἀυταρχίαν* opponitur *avaritia*, quâ quis sua sorte non contentus, plus semper habere desiderat. *Eccl. 4: 8. & 5. 9.* Quæ omnia dominiorum distinctionem præsupponunt; atque juris sunt naturalis. *Cic. 1. de leg. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.* Et *Icti furtum naturali jure prohibitum, & natura turpe dicunt.* His adversus Hobbesius.

I. *In statu naturæ mensuram juris statuit esse utilitatem propriam, seu bonum sibi.* C. c. 1. a. 10.

Vide ad illum locum *suprà Cap. 17.*

II. Cu-

II. *Cupiditatem divitiarum ingentium (si media, quibus queruntur divitiae, mala non sunt) avaritiam honorabilem esse.* Leviath. cap. 6. pag. 28. & c. 10. pag. 44.

Quasi 1. honorabile esset, aut avaritia non culpanda, praeter modum, aut in malum finem (modo media legitima fiat) divitiis incumbere, *Math. 6. 19. Ne thesauros recondite, &c. Jes. 5. 8. Va conjungentibus damnum damnis, agrum agra adnoventibus.* Eccl. 5. v. 9. *Qui amat pecuniam non satiatur pecunia.* 2. *Avaritia (juxta Cicer.) est opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda; sed qui cupidi sunt divitiarum ingentium, talem habent de pecunia opinionem; aut hoc (juxta eundem Cic.) in se revera angusti, non magnifici animi est; Nihil, inquit, tam angusti animi est, tamque parvi, quam amare divitias, nihil honestius, magnificentiusque, quam pecuniam contempnere, si non habeas; si habeas ad beneficentiam liberalitatemque conferre.* 1. Off. 3. Alibi idem Cic. *Avaritiam ab injustitia distinguit; Nihil, inquit, avarum, nihil injuste faciendum.* 3. Off. Item Apost. 1 Cor. 6. 10. *Neque fures, neque avari, &c.* *Avaritia ergo esse potest, viro bono fugienda, quae non est injustitia, sive etiam si media, quibus divitiae queruntur, mala non sine.* 4. *Qui cupidi sunt divitiarum ingentium Nummum pro Numine aestimant, ideoque Idololatrae appellantur.* *Ep. 5. 5. Col. 3. 5. Job 31. 2.* hoc an honorabile est? 5. *Ingentium divitiarum cupidum esse est φιλαργυρία, πλεονεξία, toties in Sacris damnata, & radix omnium malorum, atque τῆ ἀυτορπιδεί seu contentationi opposita; ergo honorabilis esse non potest.* Vide 1 Tim. 6. 6--11.

III. *Antequam magnae extiterunt Civitates, Latrocinium, docet fuisse negotii genus legitimum.*

G g 4

Quod-

Quodque tum fecerunt familia parva, id nunc facere Civitates justè. Leviath. cap. 10. p. 47. C. c. 5. a. 2. Lev. c. 17. p. 83.

Rectè olim sanxisset Civitatem Lacedæmoniorum impunè fore adolescentibus, si quasdam res ita aliis auferrent, ut non deprehenderentur: hoc enim nihil aliud fuisse, quam legem facere, ut suum, non alienum esset, quod sic acquireretur. C. c. 16. a. 16.

Domini acquisitionem per vim unicuique, ut ad conservationem propriam necessariam, debere concedi. L. c. 13. p. 64.

*Resp. 1. Negotii genus legitimum esse non potest, quod est contra præceptum Dei, etiam naturaliter notum; at tale est omne furtum & latrocinium. Prov. 3. v. 10 - 16. Luc. 3. 14. Rom. 1. 32. 2. Olim tempore Nimrodi non existebant magnæ civitates, & tamen illius latrocinium taxatur ut injustum. Gen. 10. v. 9. 3. Cujus contrarium olim sanxit lex Divina, id olim rectè sancire non potuit Civitas Lacedæmoniorum; at olim lex Divina sanxit non impunè fore adolescentibus, si quasdam res ita aliis auferrent, ut non deprehenderentur. Ps. 10. v. 8. &c. *Sedet in insidiis villarum, in latebris occidit innocentem, oculi ejus ad inopem collimant. Infidiatur in latibula &c. dicit in corde suo, oblitus est Deus pauperum. Surge Iehova, ò Deus, attolle manum tuam, ne obliviscere pauperum, &c.* 4. Nulla lex civilis præstare potest, ut suum sit, si quis acquirit vi vel fraude, quod alienum est: quia hoc furtum est, quod lege civili neque permitti, neque juberi potest. Plura vide supra Cap. 21. Exerc. 2.*

I V. Justum & injustum ante constitutam civitatem nihil esse. L. c. 13. p. 65. c. 18. p. 88. C. c. 12. a. 1.

Idem Epicurum docuisse, notat Seneca Epist. 97. & refert Laertius in ejus vitâ.

Resp.

Resp. 1. Ante constitutam civitatem vixerunt Cain & Abel, ut Ipse docet *L. c. 13. p. 65.* ast horum alter *injustus*, alter *justus* fuisse legitur, *Gen. 4. Hebr. 11. 1 Job. 3.* 2. Ipse docet, *inter leges naturales esse aliqua, quorum in statu naturæ ommissio (modo id pacis, & sui conservandi causa fiat) legum naturalium impletio potius videtur, quam violatio: nam qui omnia facit contra omnia facientes, eripitque rapientibus, æquum facere.* de Cive. cap. 3. art. 27. in annot. An æquum facere, *leges naturales implere justum non est?* quamvis reverà injustum sit, quod ille æquum nuncupat. 3. Docet præterea, *esse leges aliquas naturales, quarum ne in bello (statu naturali) quidem exercitium desinit.* Ibid. Sed legum illarum exercitium, an non *justitia, violatio injustitia est?* 4. Docet denique, *in statu naturali justum & injustum non ex actionibus, sed ex consilio & conscientia agentium æstimandum esse; quod necessario, quod studio pacis, quod sui conservandi causa fit, rectè fieri. Alioqui omne damnum homini illatum, legis naturalis violationem, atque in Deum injuriam esse.* Ibid. Hæc si vera sunt, quæ, inquam, *justum & injustum* nihil est ante constitutam civitatem?

Obj. *Ubi suum non est, inquit, ibi injustum nihil est; & ubi Civitas non est, nihil est proprium.*

Resp. 1. Falsum, extra civitatem suam aut proprium nihil esse: nam quod à me genitum est, meum est; quæ nullius sunt fiunt primò occupantis; etiam mea est vita mea, quibus extra civitatem damnum inferre nemo absque *injustitia* potest. 2. Et quamvis extra civitatem nihil suum esset, tamen *justum & injustum* locum habere posset, tum ratione *bonorum communium*, si quis præter necessitatem eorum usum me prohiberet, aut non; tum ratione *legum naturalium,*

lium, quas implere justum, & violare injustum esset.

V. In conditione hominum naturali, omnium in omnia jus esse, ipsis hominum corporibus non exceptis. L. c. 14. p. 66.

Naturam dedisse unicuique jus in omnia, hoc est, in statu merè naturali unicuique licuisse facere quæcumque, & in quoscunque libebat, & possidere, uti frui omnibus, quæ volebat & poterat. Civ. cap. 1. art. 10.

De quo vide supra Cap. 17. ad illum locum.

VI. Injustitiam siue injuriam in pacti violatione adæquare consistere. Præinde soli ei fieri, quicum contraximus. Leviath. c. 15. pag. 72. de Cive. cap. 3. art. 3, 4.

VII. Pretium semper justum esse, in quod emptor & venditor consentiunt. Leviath. c. 15. p. 75. C. c. 3. a. 6.

VIII. Neminem dare nisi respicientem bonum sibi. L. c. 15. p. 75. C. c. 3.

De quibus mox in Exercitt.

EXERCITATIO I.

Ad Art. 4. cap. 2. de Cive

An juris translatio in sola non-resistentia consistat?

Cum furto opponatur juris translatio legitima, quæ fit donatione, emptione, venditione, & similibus contractibus; operæ pretium duximus, hoc loco

loco inquirere ; *At* (quod docet Hobbes loc. cit.)
ea in solâ non-resistentiâ consistat ?

Transfert, inquit, *in alterum jus*, qui signis idoneis illi alteri, id juris volenti ab illo accipere, declarat velle se, non licitum sibi amplius fore ipsi resistere, certum aliquid agenti, prout ei resistere jure antea poterat.

Hoc dicit ex eo intelligi : quod ante juris translationem is, in quem transfertur, jus habebat jam tum in omnia, unde novum jus dare non potuit : sed justa transferentis resistantia, propter quam jure suo alter frui non potuit, extinguitur. Quicumque igitur jus acquirit in statu hominum naturali, id agit tantum, ut securè & sine justa molestia, jure suo primavo frui possit : v. gr. si quis fundum suum alteri vel vanum vel dono dederit, sibi soli jus in eum fundum, non aliis item adimit.

Resp. 1. Nunquam fuit vel erit talis hominum status, in quo positivè jus est omnibus in omnia : nam distincto mei & tui homini cœva est, Gen. 1. v. 28. & 2. 24. & 3. 19. & 4. 3, 4, 16, 17. & post diluvium, Gen. 9. v. 10, 11. Adde *Att.* 17. 26. Vide supra cap. 17. in *Exercit.* ad Art. 10. c. 1. de C. 2. Neque est hoc jus transferre, sed alium jus illud jam habentem, eoque uti volentem non impedire ; hoc si jus transferre est, tum quicumque non resistit alii, eo jus suum in illum transferret, quod absurdum. 3. Nec intelligi potest, aliquid in alium transferri. quod jam possidere supponitur : etenim in quem jus transfertur, acquirit aliquid, quo antea carebat, quod merâ non-resistentiâ alterius, cum sit pura tantum negatio, fieri non potest. 4. Eriam Testamento sive ultimâ voluntate homines jus in bona sua transferunt in alium ; si ergo juris translatio consisteret in solâ promissione de non resistendo alteri, eodem jure uti frui volenti, tum qui Testamento seu ultimâ

ultimâ voluntate jus in bona sua transfert in alium, eo promitteret, quod illi alii, isto jure in bona sua uti frui volenti, post mortem suam nolit resistere; quod ridiculum. 5. Siquis jus aliquod habere intelligitur in statu hominum naturali, in quo omnia sunt communia, non aliter id potuit acquirere, quam vel *prima occupatione*, vel *sorte*: nam omnia in statu naturali communia esse, aliter intelligi nequit, quam *negativè*, quare in illo statu omnia non minus nullius, quam omnium esse dici possunt; & ipse scribit, *effectum ejus juris idem pene esse, ac si nullum jus existeret.* Unde qui id agit, ut securè & absque justâ molestiâ jure suo frui possit, non id agit, ut jus aliquod acquirat; sed ne quis ipsi, jure suo vel primâ occupatione vel fortitione antea justè acquisito uti frui volenti, injurius vel molestus sit. 6. Neque illud de fundo alteri vel vœnum vel dono dando inauditum hunc modum juris transferendi declarat, sed everit. Nam qui intelligas, quempiam alteri fundum suum vel vœnum vel dono dare in illo hominum statu, in quo omnia sunt omnium; nam quo jure quis dicat, id suum esse in illo statu, ubi idem eodem jure meum est, aut potius ubi non est meum & tuum: aut etiam donet aut vendat aliquid alteri, qui illud ipsum suum esse jure contendit? Et quodnam pretium erit, quo ille huic aliquid vœnum det, ut quod proprium venditoris est non minus, quam emptoris? aut quas gratias ei debeo, qui de meo non minus quam suo liberalis id mihi dono dederit, quod meum est non minus quam suum? Qui denique securè & sine molestiâ frui possim jure, quod alter respectu mei sibi soli non idem aliis ademit, ubi innumeri homines alii meruendi sunt, qui idem jus in fundum, quod ego, habent? Tædet nugarum.

EXER.

EXERCITATIO II.

Ad Art. 3. & 4. c. 3. de Cive.

An injuria adquatè in pacti violatione consistat ; & proinde soli illi fiat , quicum contraximus ?

HOc urget , ut obtineat ; *Patrem in filios , Dominum in servos , Principem in subditos injurios esse non posse ; ut quibus nullo pacto obligati sunt. Item in statu (quem fingit) naturali quicquid quis fecerit , injurium homini nemini esse : cum injuria in pacti violatione consistat , quod nullum esse contendit obligatorium in statu naturali. C. c. I. art. 10.*

Similiter Epicurus (apud Laert.) omnem justitiam nasci dicebat ex sola conventionione ; neque durare ulterius , quam communis duraret utilitas ; abstinendum ab iis , quæ alteri nocitura essent , solo poenæ metu.

Non negamus , injuriam ei fieri , cui fides data non servatur , sed illam solam esse injuriam ; omnis quidem pacti violatio injuria est , sed non vice versâ omnis injuria pacti violatio. Nam 1. injuria fieri potest alicui in ipso pacto seu contractu , si in rebus permutandis illa æqualitas non servatur , quæ *justitiæ commutativæ* essentialis est. 2. Et *justitia distributiva* supponit non pactum , sed ἀξίαν & meritum in personis , quibus vel præmia vel poenæ distribuendæ sunt , cujus ratio si non habeatur in illis rebus distribuendis , oritur species injuriæ , quæ προσωποληψία , hoc est , *acceptio personarum* appellatur, Exod. 23. 7, 8, 9. Levit. 19. 15. Deut. 1. 17. & 16. v. 19. Ps. 82. 2, 3, 4. Prov. 18. v. 15. & 24. v. 23. & 28. 21. Jac. 2. v. 9. 3. Etiam injuriam in eum committi , cui innocenti damnum inferitur , quamvis

vis nullum intercedat pactum, inde liquet, quod qui damnum tale recepit, illud potest vel condonare, *Math. 6. 12--15. 1 Sam. 25. v. 28. 2 Sam 19. v. 23. Math. 18.* sed non quatenus iniustitia est, aut *αγορία* (hoc enim remittere solius Dei est, *Mich. 7. v. 18.*) ergo quatenus iniuria est; Vel de eo expostulare, *Gen. 21. v. 25.* Ubi notandum, Abrahamum reprehendisse in Abimelecho, quod servi illius puteum ipsius vi occupaverant, & de injuriâ sibi in eo factâ conquestum esse, priusquam foedus inter ipsum & Regem peractum erat. Similiter Rachel & Lea conqueruntur de injuriâ sibi factâ à patre suo Labano, *Gen. 31. vers. 14, 15.* ast juxta hanc Philosophiam immeritò: cum parentes in filios injurii esse non possint, quippe quibus nullis pactis tenentur. Et simili ratione olim immeritò conquesti fuissent Israëlita de injuriâ sibi illatâ à Pharaone, quod tam dure ipsos tractaret *Exod. 5. 16, 17.* siquidem Princeps subditis suis injuriam facere non potest, iisque nullo pacto est obligatus, injuriaque in solâ pacti violatione consistit. Mosen legimus reprehendisse Hebræum, quod injuriam faceret fratri suo, *Exod. 2. Að. 7. 26, 27.* sed immeritò se hoc facere & ineptè intellexisset, si ille, qui omni sapientiâ Ægyptiorum, etiam hâc nova fuisset instructus: quippe qui scivisset, illum qui læserat fratrem suum, dicere potuisse; *Quid tu mihi? quare facerem ego tuo potius, quam meo libitu? siquidem quintu tuo, non meo arbitrato facias, non impedio.* In qua oratione (secundum Hobbesium) non habuisset Moses, quod potuisset reprehendere. Nec pactum intercesserat inter Bileamum & Asinam suam, imo nec potuit, meritò tamen illa, cum à Bileamo caderetur, quæsta est de injuria sibi facta, *Num. 22. vers. 28. 29, 30.* Et Jephtha Ammonitis injuriam Israëlitis factam exprobravit, quod

quod bellum ipsis inferrent, cum tamen nullum pactum intercederet inter utrosque, ut colligitur ex *Deut. 23. v. 6.* Similiter David cum Saulo Rege expostulat de injuria sibi ab illo facta, *1 Sam. 24. v. 10. & 25. 21.* sed juxta Hobbesium Princeps nemini ullo pacto tenetur. Vide etiam *2 Sam. 13. v. 16. Pf. 52.* Sic Ecclesia Dei in Babylone conqueritur de Tyrannide Nebucadnezaris, Deusque promittit populo suo, se injuriam illam à Tyranno ipsis factam ulturum, non tantum ob legem suam violatam, sed maximè etiam ratione injuriæ ipsis illatæ, *Jer. 51. v. 34, 35.* Quid, obsecro, pacti intercessit inter D. N. J. Christ. & Proceres populi Judaici? ille tamen de injuria sibi facta ab iis optima ratione queritur, *Math. 26. 55.* & Paulus de injuria sibi illata à Pontifice M. *Act. 23. v. 3.* Quin infinitæ occurrunt querelæ piorum in S. Codice, quibus apud Deum queruntur de injuriis, quas patiebantur ab inimicis suis; sed quis dicat, vel querelas istas fuisse tantum ob pacti violationem à suis adversariis, vel temerarias fuisse? quales fuisse oportet, si damnis, sibi innocentibus illatis ab hostibus suis, nulla ipsis facta fuisset injuria. Nec habuissent Martyres, quo gloriantur injuriis, quas pro Christo sustinuerunt: ut qui nihil passi fuissent cum injuria conjunctum, modo illis, qui indignis suppliciis ipsos affecerunt, nullo pacto fuerint obligati. Et stultè faceret, si quis tueri vellet proximum, cui damnum ab alio infertur innocenti, dummodo fides ipsi data servatur: quippe responderet, qui alium lædit: *Non habet ille de quo queratur, nec tu quod illum defendas: nam nulla illi à me fit injuria.* Nec liceret illi, cui damnum fit, jure cum illo agere, & in jus vocare, & restitutionem damni petere: nam de quo crimine illum accusaret? an injustitiæ? sed hoc non ad illum, sed Legislatorem pertinet; an damni? at hoc

hoc per se non est injuria; quare ergo aut damnum illud innocenti illatum injuria dicenda est, aut temerarius esset, qui ob damnum, sibi ab alio innocenti illatum, cum illo vellet jure agere. Etiam injuriam ei fieri, quicum nihil contractum est, inde patet; quod, qui alium læserunt, jubeantur, illud coram illo confiteri, & veniam delicti petere *Matt. 5. vers. 24.* item damnum illatum reparare. *Exod. 12. vers. 18, 19. & 21. 33, 34. & 22. 5, 6.* exemplum habemus in *Zachæo, Luc. 19,* Unde colligitur, damno innocenti dato non tantum injuriam fieri Legislatori, sed etiam proximo: nam alioqui frustra veniam delicti ab ipso petere juberemur, & noxam reparare: nam aut hoc faceremus ratione injustitiæ, aut ratione injuriæ: non illud, ut patet *Luc. 5. 21.* ergo hoc. Injuria ergo fit ei, cui ab alio innocenti damnum inferitur, quamvis nullum pactum inter illos intercedat.

EXERCITATIO III.

Ad. Art. 6. ejusdem cap.

De distinctione justitiæ particularis in commutativam & distributivam; an non utraque in aequalitate consistat?

R Ecepta hæcenus ab omnibus fuit distinctio justitiæ particularis in commutativam & distributivam; illa dicitur, quæ in contractibus servat proportionem Arithmeticam; hæc, quæ in præmiis & poenis distribuendis servat proportionem Geometricam.

In

In his agnoscit Hobbes quidem distinctionem quandam *aequalitatis*; sed, inquit, *quid hæc ad justitiam? quia si res nostras vendimus, quanti possumus, injuria nulla fit emptori, qui id voluit & petiit.*

Resp. Siquis rem suam vendat ultra valorem (qui non ex dignitate tantum rei in se, sed & variis circumstantiis æstimari debet; nempe vel ex *indigentia*, quam Arist. mensuram pretii maximè naturalem vocat; vel ex *copia*, vel etiam aliunde; sicut Plinius ait, quod *Margaritis pretia luxuria fecit*) injuriam facit emptori: quia æqualitatem Arithmeticam in contractu suo non servat; quamvis emptor id voluerit & petierit. An non Deus severè prohibuit omnem oppressionem proximi in contractibus? quæ an non fit, quando pretium rerum ultra quam par est intenditur à venditore? *Levit. 19. 13. & 25. 14. & 23. v. 19.* Imprimis huc facit *1 Thess. 4. vers. 6. τὸ μὴ υπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸ ἀδελφὸν αὐτοῦ*; quo in loco emphatica sunt verba *τὸ υπερβαίνειν*, quod *transcendere* significat, & *πλεονεκτεῖν*, *præ avaritiâ plus quam par est desiderare*; idque *ἐν τῷ πράγματι*, in negotio, hoc est, in emendo & vendendo. Vult ergo Apost. nequis præ avaritiâ in contractibus modum excedat in augendis rerum pretiis. Quo facit etiam, quod scribit idem Apost. de iis, qui volunt ditescere, *1 Tim. 6. 9, 10.* & de nimio ditescendi studio Salomon *Prov. 28. 20, 22. & 20. v. 10.* adde *Amos c. 8.* Et nisi talis venditor injuriam faceret emptori, Deus non tam severè *usuram* prohibuisset, *Exod. 22. 25. Levit. 25. 36. Deut. 23. 19. Ps. 15. 5. Prov. 28. v. 8. Qui auget substantiam suam usura & sœnore, gratiosè largituro tenuibus congregaverit eam.* An non iis locis prohibetur quæstus immodicus? unde

Hh

He-

Hebræis *usura* **רש**, *morsus* appellatur : nimirum quia damnum infert bonis, & cruciatus animo debitoris : quia *mordet sicut serpens, & non sentitur*, uti ait R. Bechai in *Comment in Legem*, fol. 113. His accedit, quod talis contractus è diametro pugnet cum charitate, quam proximo debemus, 1 Cor. 13. v. 5. & 10. 24. Phil. 2. 4. Matt. 7. v. 12. Quibus adde exemplum Zachæi & Nehemiæ, *Nehem.* 5. 2, 3, 5. confer *Ezech.* 28. 18. *Luc.* 19. Imo hac ratione artes omnes malæ & aucupia omnia, quibus injustè rem faciunt homines, defendi possent : nempe quod illa fiant absque injuriâ in proximum, eo quod qui illa faciunt, pacto nullo iis, quos ita decipiunt, sint obligati, quique læduntur, hoc velint & petant. Quin vel Ethnici dicente conscientia, rerum pretia plus justò intendere, injuriosum esse, non ignorarunt. Scitum est, quod de Mimo quodam refert August. *lib. 13. de Trinit.* qui cum promississet se in theatro quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti expectatione solito major multitudo conflueret, suspensis & silentibus omnibus, dixisse perhibetur : *Vili vultis emere, & care vendere* ; hanc, de quâ agimus, injustitiam illis exprobrans. Sed, inquit Hobbes, *emptori non fit injuria : quia id voluit & petiit.* Resp. Falsa hypothesis ; *Volenti injuriam fieri non posse* ; de quo *Exerc. seq.* Atque hæc pro *justitiâ commutativa.*

Jam videndum, *An equalitas nihil faciat ad justitiam distributivam ?* Negat Hobbesius. Nam, inquit, *si de meo distribuero plus merenti minus, modo dederò quod pactus sum, neutri fit injuria.* Id quod testatur ipse Servator noster Christus Deus in *Evangelio.*

Resp. Ad *justitiam distributivam* pertinere, in distribuendis præmiis & pœnis proportionem

Geome-

Geometricam servari, patet I. Quod ipse Deus, qui ipsa justitia est, dictam æqualitatem in distribuendis præmiis & pœnis observare dicatur, *Gen.* 18. v. 15. *Pf.* 62. 13. In hanc rem notatu digna sunt verba Elihu, *Job.* 34. 10, 11. *Absit à Deo forti improbitas, & ab Omnipotente iniquitas: nam opus hominis rependit ei, & secundum iter cujusque facit, ut obvenerat ei.* Vide etiam *Prov.* 24. 12. *Jer.* 32. 19. *Ezech.* 7. 27. & 33. v. 20. *Matt.* 16. v. 27. *Rom.* 2. v. 6. *2 Cor.* 5. v. 10. *Apoc.* 22. v. 12. Hinc *προσωποληψία* à Deo procul abesse dicitur, *Deut.* 10. 17. *2 Chr.* 19. v. 7. *Job.* 34. 19. *Eph.* 6. 9. Et speciatim in pœnis irrogandis Deus servare dicitur illam proportionem, ut non plus merenti minus, aut minus merenti plus repondat, sed unicuique pro merito suo servatâ proportionem, si non in hac vitâ, saltem in futurâ, *Matt.* 5. v. 22. & 11. 21. 22. *Luc.* 12. 47, 48. In præmiis item, quamvis ea non largiatur ex merito, sed ex mera gratia propter meritum Mediatoris nostri J. Christi, eandem proportionem servare decrevit, *Dan.* 12. *vers.* 3. *1 Cor.* cap. 15. 2. Idem Deus mandavit Principibus in populo suo, ut absque *προσωποληψία* in judiciis unicuique tribuerent, quod suum est, *Levit.* 19. 15. *Deut.* 1. 16, 17. & 16. 18 -- 20. *Prov.* 24. 23. Imo in exercenda misericordia vult Apost. rationem personarum habendam esse, *Jud.* v. 22. Et tempore Ecclesiæ primitivæ pecunia ad pedes Apostolorum deposita distribuebatur singulis, prout cuique opus erat, *Act.* 4. v. 35. Sic idem Deus in distribuenda terra Canaan observari voluit, ut qui multus esset, ei multiplicaretur possessio, qui autem paucus, paucior possessio ei assignaretur, *Num.* 26. v. 53, 54. & 33. 54. 3. Ex eodem fonte pœnarum differentiæ exsurgunt, quæ

tum in jure Divino, tum civili constitutæ sunt, non tantum in diverso genere delicti, sed & in eodem. Sic Deus olim aliter puniri voluit, qui Principi in populo maledixisset, aliter eum, qui privato; aliter qui filiam Sacerdotis violasset, aliter qui filiam privati civis. De jure civili idem notissimum.

Obj. *Si de meo distribuero plus merenti minus, neutri fit injuria, modo dederò quod pactus sum; ergo justitia distributiva nulla est, quæ postulet proportionem illam Geometricam.* Resp. *In justitia distributiva non pacti, sed dignitatis & meriti ratio habenda est, cui si poena vel præmium non respondeat in proportione Geometrica, hoc est, si minus distribuero merenti plus, tum injustitia est, sive $\pi\rho\sigma\omega\pi\omicron\lambda\eta\iota\sigma\iota\alpha$. Quod si pactum intercesserit, & dederim quod pactus sum, tum induit rationem justitiæ commutativæ, quæ versatur in commutatione, cæterisque actibus contrahentium, inque iis servat proportionem Arithmeticam, quam qui negligit, minusque alicui tribuit, quam meritus est, quamvis det quod pactus est, contra justitiam facit; de suo cuiquam distribuere plus, quam meritus est, non est propriè justitiæ, sed liberalitatis.*

Sed (instat) testatur idem Christus in Evangelio; respicit (credo) parabolam Patris-familias operarios conducentis in vineam suam, quæ exstat Math. 20. Resp. verbis Chrysoft. in c. 20. Matt. In parabolis non sunt urgenda singula verba, & membra præter & extra institutum, ad quod in Scriptura adhibentur; nec inde sunt extruenda alia dogmata, quam quæ Scriptura inde sumenda demonstrat. Ergo scopum Servatoris esse, illa parabola docere, quod Hobbes intendit, illi demonstrandum erit, non supponendum; potest etiam hic applicari, quod diximus ad obj. præced.

Con-

Concludit denique ; *Negari tamen forte non posse, quin justitia sit æqualitas aliqua; nimirum quæ in eo tantum fit æst, ut, cum æquales naturæ omnes simus, alter non arroget sibi plus juris, quam alteri concedat, nisi id juris sibi pacto acquisitum sit.*

Resp. 1. Quod hîc supponit, *omnes homines natura inter se æquales esse; neminemque posse plus juris habere præ alio, nisi id pacto acquisiverit, quam falsum fit, supra demonstravimus: nam extra Civitatem aliquis præ alio jus acquirit sine pacto in rem aliquam prima occupatione; in Civitate qui præ aliis bene de Republ. meriti sunt, etiam aliis in distributione præmiorum præferri debent, & qui gravius deliquerunt, gravius puniri. 2. Et si justitia talem, ut hîc designat, æqualitatem notat, tum injustus esset, qui in statu naturali sibi plus juris arrogaret, quam aliis concedit; quî tum verum (quod ait de Cive. cap. 12. art. 1.) *ante leges civiles justum & injustum non extitisse; item Quod quis fecerit in statu naturæ, id injurium homini nemini esse. de Cive cap. 1. art. 10. Nam qui alteri non concedit jus, quod ipsi debetur, ille facit illi injuriam; at qui in statu naturæ alteri non concedit jus, quod sibi sumit, ille non concedit illi jus, quod ei debetur; ergo &c.**

EXERCITATIO IIII.

Ad. Art. 7. ejusdem cap.

An volenti non fiat injuria ?

Vetus axioma est, inquit, *Volenti non fit injuria.*
 Quo argumento art. præc. demonstrare voluit ;
 Hh 3 in-

injuriam nullam fieri emptori, si res nostras vendamus, quanti possumus: quia, inquit, hoc emptor voluit, & petiit. Et cum eidem fundamento passim alia sua dogmata inædificet, operæ pretium duximus, hîc illud axioma paucis examinare.

Quæritur ergo; *An injuria volenti fieri non possit?* Affirmat Hobbes; nos negamus. Nam 1. Davidem legimus Amalekitam occidi jussisse, qui Saulum Regem interemerat, 2 Sam. 1. verum si volenti injuria fieri non possit, potuisset Regicida queri, se injustè à Davide occidi: quod injuriam nullam fecisset Regi, ut qui se ab illo occidi voluit & petiit; aut etiam Civitati, siquidem (secundum Hobbesium) voluntas Civitatis & singulorum civium in voluntate Imperantis continetur, ita ut quicquid velit Rex, etiam cives velint, *art. 7. cap. 5.* 2. Nemo negabit (opinor) injuriam ab adulatoribus fieri illis, quibus illi palpum obtrudunt; at hoc illi volunt, & delectantur. Reprehendit passim acriter Deus illos Doctores, qui favorem populi aucupantes, vitia illorum dissimulant, *Es. 3: 12. Rom. 16. 18. Jer. 8. 11. Ezech. 34.* nec eò minus illi in populum injuriosi sunt, quòd populus ita velit, *Es. 30. Mich. 2, 11.* Unde meritò doctiss. Rivet. *adulationem* refert inter *injurias, quæ volentibus fiunt.* 3. Injuriosi in se ipsos sunt, qui sibi voluntas manus inferunt; ipsi suam famam & honorem lædunt, opes suas dilapidant; quanquam volentes hoc faciant: quia jus, quod habemus ad vitam, ad famam tuendam, & reliqua ad eam necessaria, non pender à nostrâ ipsorum voluntate & arbitrio, sed à voluntate & mandato Dei, qui nos vitæ nostræ; & honoris, eorumque quæ ad illam necessaria sunt, custodes esse voluit. 4. Et quis negabit injuriam passos fuisse D. N. J. Christum, Martyresque ab hostibus veritatis: quia illam non
inviti

inviti sustinuerunt? 5. Vetus est, fateor, & à plerisque receptum axioma; *Volenti non fit injuria*. Sed qui illud recipiunt variè limitare solent. 1. Alii dicunt, qui damnum infert volenti, quamvis ei injuriam non faciat, eo quod volendo jure suo cedit, vel certè in arbitrio lædentis ponit, injurium tamen esse tum in Rempubl. tum in Deum, faciendo contra leges. In quo falsum supponunt; sc. unumquemque vitæ suæ, eorumque, quæ ad vitam suam necessaria sunt, absolutum habere dominium, ut pro arbitrio suo de iis possint disponere, ut liquet ex dictis. 2. Alii bona distinguunt, ratione quorum injuria fieri dicitur: vel enim sunt in nostra potestate; qualia sunt *honor, fama, opes, & similia*; quædam quorum ipsi domini non sumus, sed custodes tantum; qualia sunt *vita, corpus, ejusque membra, sanitas, conjux, proles, & similia*; ratione priorum bonorum volenti non fieri injuriam: quia in iis putant nos posse jure nostro cedere; sed ratione posteriorum etiam volenti injuriam fieri posse: quia in iis jure nostro cedere non possumus. Quasi Deus nos minus custodes esse vellet honoris, famæ, opum &c. quam vitæ, sanitatis &c. Saltem illi, volenti etiam injuriam fieri, apertè profitentur. 3. Alii denique sic limitant. 1. voluntatem esse debere plenam & liberam. 2. sanam, hoc est, cum ratione conjunctam. 3. debere illum, qui læditur, eo sine damnum velle, quo ab auctore infertur; quæ limitatio idem, quod prima supponit; & concedit, absolute loquendo, volenti injuriam fieri posse.

Objicit; *Factum sit, quod quis injurium sibi putat volenti, ergo volente eo fit id, quod per pactum non licuit. Sed volente eo fieri, quod pacto non licebat,*

paſſum ipſum fit irritum ; juſ ergo faciendi redit ; fit ergo juſ : quare injuria non eſt.

Reſp. Hic duo ſupponit in præcedd. refutata.

1. Injuriam adæquatè in paſſi violatione conſiſtere.
2. In ſtatu naturæ unumquemque habere juſ omnia faciendi. Vide *Exerc. 2. & c. 17. in Exerc. ad art. 10. c. 1. de C.*

De Nono Præcepto.

HOc præcepto *Veracitas & Fides* præcipiuntur ; quibus opponitur 1. *mendacium* , quo falſum animo fallendi verbis factive ſignificatur. Quare cum animus fallendi non fit utenti *Metaphoriſ* , *Allegoriſ* , liquet illas mendacia non eſſe, 2. *Perfidia* , qua quis non præſtat , quod promiſit. Hic Hobbes

I. *Verbis uti Metaphoricis* , ait , *abufum eſſe ſermonis ; quique hoc faciunt , alios decipere. Metaphoras eſſe ignes fatuos. Leviath. cap. 4. pag. 14. & cap. 6. pag. 24.*

Reſp. I. S. Script. homines non decipit , neque ſermone abutitur : nam *doctrina Jehovæ eſt integra &c. Pſal. 19. 8--12. & tamen ſcætet Metaphoriſ & Allegoriſ.* 2. Mirum ; cum ille hæc ſcribens eodem ſpiritu *Metaphoras* ipſe metaphoricè appellet *ignes fatuos.*

II. *Verba de futuro negat donationis ſignum idoneum eſſe : quia voluntatem tantum futuram, id eſt, incertam indicant. L. c. 14. p. 68.*

Qui dicit in futuro : *Cras dabo* , non voluntatem futuram , ſed præſentem de cras dando ſignificat ; quam poſtea , ſalva veritate & fide , ſine legitima cauſa

fa mutare non potest. Pf. 15. 4. *Si juravit in damnatum suum, tamen non mutat.*

III. *Quicquid tortus confitetur, sive verum sive falsum, jure facere.* L. c. 14. p. 75.

Resp. Contra conscientiam falsum dicere, est mentiri, quod nullo casu jure fieri potest: nam non est faciendum malum, ut eveniat bonum. Rom. 3. 8.

Πρώτον ἰσχύει; *conservationem vitæ & membrorum esse mensuram omnis juris.* De quo vide c. 17. Exerc. ad a. 7. c. 1. de C.

IV. *Verba, inquit, per se nullam vim habere constringendi homines ad pactorum præstationem.* Leviath. c. 5. p. 71.

Leges naturales & pacta ad securitatem hominum per se sine armis inutilia esse: verba enim esse: & dum verba tantum sunt, non timeri.

Resp. 1. Quod homini, etiam invito, intimat jus Dei supremi Legislatoris, eumque pro re nata vel excusat, vel accusat, non est nudum verbum nullius efficaciam; sed hoc faciunt leges naturales. Rom. 1. 32. & 2. 14, 15. 2. Verba vim habent constringendi homines ad pacta præstanda ex Nono Decalogi præcepto; *Non dices falsum;* & ex lege æterna atque immutabili veritatis & fidei. Quod nisi esset, homines ad pacta præstanda jure armis cogi non possent. 3. Pacta, quamvis verbis consistant, tamen per se non esse nullius efficaciam, patet ex illo Salomonis Prov. 6. 1, 2. *Fili mi, si spondidisti pro proximo tuo, illaqueasti te sermonibus oris tui.* 4. Quin ipse, pactum nudum, ait, non minus obligare, quam in quod juravimus: quia juramentum ad punitionem Divinam attinet, quam provocare ineptum esset, si pacti violatio per se non esset illicita. C. c. 2, a. 22. *Qui sic: si pacta,*

quia verba tantum sunt, per se nullam vim habent constringendi ?

V. *Fidem fallere negat esse contrarationem: quia est contra veritatem & fidem; sed contra conservationem propriam.* L. c. 15, p. 72.

Quasi 1. quod quis facit contra veritatem & fidem, non esset contra conservationem sui æternam, vide Pf. 5. 7. & non ideo à Magistratu puniri deberet perfidia: quia est contra veritatem & fidem, 2. Et quasi *fidem fallere* non esset contra rationem, si quis illud ad sui conservationem necessarium esse judicaret. Et quia hoc nostro corrupto sæculo *qui fœdera rumpit, ditatur sæpè, qui seruat eget*, contra rationem facerent, qui pacta præstarent.

VI. *In conditione hominum naturali non esse contrarationem, pacta custodire vel non custodire arbitrio suo. Ibi saltem locum habere; fidem regnandi causa violandam esse.* Ibid.

Pacta mutue fidei in statu nature, ubi nemo est, qui utrumque cogere potest, esse invalida. C. c. 2. a. II.

Quocirca quoties metus cogentis abest, hinc liberum est unicuique pactum non servare. Quis contra rationem facerent, qui cum securè possunt, utilitatis propriæ, aut regnandi causâ, fidem datam non violarent.

Quis hinc non videt, omnem fidem, quam Cicero *fundamentum justitiæ* appellat; Horat. *Iustitiæ sororem*; Seneca, *sanctissimum humani pectoris bonum*; imo ipsam *justitiam*, quam Platonici ἀλάθειαν nuncupant, quamque Simonides definit; *Non modo acceptum reddere, sed & verum dicere, è medio tolli?* Quod sanè in Republ. Christiana tolerari non debet.

EXERCITATIO I.

Ad Art. 11. c. 2. de Cive.

*An pacta mutue fidei in statu natura sint invalida,
in statu civili non item?*

Pacta, inquit, quæ fiunt in contractu, ubi fides mutua est, neutro quicquam statim præstante, in statu natura sunt invalida. Et postea; hæc ita se habent in statu natura. Cæterum in statu civili, ubi est, qui utrumque cogere potest, qui per contractum prior est ad præstandum, prior præstare debet: quoniam, cum alter cogi possit, cessat ratio, propter quam, ne non præstaret, metuebat.

Et Lev. c. 15. p. 72. In conditione hominum naturali non est contra rationem, pacta custodire vel non custodire arbitrio suo.

Negat ergo, obligationem ad fidem servandam à natura esse; sive seposita potestate coactiva, pacta mutue fidei per se obligare; sed omnem illorum valorem solummodo à potestate coactiva dependere.

Resp. 1. Passim videmus in Sacris laudari, qui bona fide præstant, quod promiserunt, *Jos. 6. 17, 22, 23, 25. cum c. 2. 14. Jud. 1. v. 24, 25. Ruth. 3. v. 18. 1 Sam. 24. 22, 23. 1 Reg. 2. 8. Ps. 15. 4. & constantiam in præstandis promissis commendari, Mat. 5. 37. & 23. 23. 2 Cor. 1. 17. Jac. 1. 4. & 5. 12. sed qui præstant, quod in se & sua natura honestum non est, solo poena metu laude digni non sunt. 2. Ad pacta præstanda obligamur non solum aut præcipue à potestate coactiva, sed ab æterna & immutabili natura veritatis, fidelitatis, & justitiæ: nam qui paciſcuntur, vi promissionis*

fionis & stipulationis mutuz, jura ad res sitas, unus in alterum transferunt, quo jam libertatem non præstandi, quod promiserunt, amplius non habent. *Prov. 6. 1.* tum propter *veritatem & fidem*, quæ postulat, ut facta dictis conformemur; tum propter justitiam, quæ requirit, ut suum unicuique jus tribuamus. 3. Hinc promissio, quæ in omni pacto mutua est, Hebræis *קֶבֶץ*, *vinculum* appellatur, *Num. 30. 2--14.* & Græcis *ὑπόσχεσις*, cujus vocabuli similem vim esse, notat Eustat. *ad 2. Iliad.* & Lat. *fides* dicta: quia (teste Cicerone) quod dictum est fieri debet. Eadem ratio est *stipulationis*, quam à *stipulo*, & hoc à *stipite*, cui boves alligari solent, dictam volunt, juxta illud;

Verba ligant homines, taurorum cornua funes.

4. Ipse docet, *legem naturalem jubere, pactis standum esse. 1. quia frustra essent, nisi illis staretur. 2. Quia hoc necessarium est ad pacem. C. 3. a. 1.* Sed, inquam, etiam frustra forent pacta mutuz fidei in statu naturæ, nisi iis staretur. Et qui minus ad pacem necessarium est, servare pacta mutuz fidei, quam reliqua? & cur magis valor pactorum mutuz fidei à potestate coactiva dependet, quam cæterorum? Dices, in reliquis pactis præter verba de futuro adesse & alia signa voluntatis: puta quod alter præstiterit jam prius, aut simile. Resp. 1. Verba de futuro per se debere sufficere. 2. & in pactis mutuz fidei bonum mutuo accipiendum signum sufficiens est voluntatis præstandi ab utraque parte. 5. Quin ipse docet etiam, omnes leges naturales obligare in virtute legis de pacto servando. *C. c. 14. a. 9.* Quare aut nullæ leges naturales sunt, aut nihil tam naturale est, quam

quam pacta servare. Quare nullius momenti est, quod ait, *hec ita se habere in statu naturali, non autem in statu Civili, ubi est, qui utrumque cogere potest*: nam si à natura est pactorum obligatio, nullus hominum status fingi potest, in quo per se valida non sint pacta omnia, modo adsint omnes illæ conditiones, quæ in pacto legitimè facto requiruntur. Nam aut status ille naturæ pactum, de quo agimus, impedit, aut non: si prius, tum absurdè contendit, pactum illud invalidum esse in illo statu, qui pactum ejusmodi non admittit: nam *non entis nullæ sunt affectiones*. Sin pactum impedire nequit, ergo etiam præstare non potest, ut sit invalidum: *nam (sunt ipsissima illius verba in Annot. ad hunc Art.) causa, quæ impedire non poterat, quin pactum fiat, impedire non debet, quin præstetur*. 6. Si ejusmodi pacta valida sunt in statu civili; tantùm quia ibi est, qui utrumque cogere potest, tum frustra & invalida essent pacta in mari, in vacua insula, & inter diversarum Civitatum cives per literas facta; quin etiam inter duas Civitates, seu supremas potestates: quia nemo est, qui utrumque paciscentium cogere potest. Si dicas, non esse invalida: quia mutuis pactis se arbitrio & potestati aliarum Civitatum potentiorum subicere possunt; dicam & ego, duos homines in statu naturali sese similiter posse subicere potestati & arbitrio plurium hominum sese fortiorum. Invalida etiam forent pacta, quæ inter Principem & populum intercedunt, saltem à parte Principis: quia nulli potestati coactivæ superiori subicitur. Quod licet admittat, tamen quam falsum sit, demonstravimus *ad 5. præc. Exerc.* 7. Imo si uterque paciscentium jure cogi potest ad pactum servandum, ergo omne pactum sua natura ratum esse debet: nemo enim jure cogi potest ad indebitum; non ergo pactum validum est: quia paciscentes

centes ad præstandum cogi possunt : sed ideo jure cogi possunt : quia sua natura est validum. 8. Si à potestate coactiva valor pacti penderet, tum etiam in statu civili, liberum esset illud non præstare, quoties aut Magistratus officium suum non facit in punienda perfidia ; aut paciscentes evadere possunt illius potentiam coactivam. 9. Denique in statu integritatis homines absque pœnæ metu, sponte sua, fidem rectumque coluissent ; jam autem homines ad fidem cogi debent, non quia pacta per se & sua natura non sunt obligatoria ; sed propter hominum malitiam.

Sed *pacta mutua fidei in statu naturæ invalida esse dicit, si justus ex utràvis parte metus oriatur : rationis enim non esse, ut aliquis præstet prior, si verisimile non est, alterum præstiturum post. Nam (inquit in Annot.) nisi causa nova metus existat ex facto, vel alio signo voluntatis non præstandi à parte altera, metus justus censeri non potest. In statu autem civili &c. qui per contractum prior est ad præstandum, prior præstare debet : quoniam &c.*

Resp. 1. Aliud est pactum per se invalidum esse, aliud culpa hujus aut illius effectum non sortiri : nam non ideo per se invalidum est, quia non præstatur ab uno, ideoque nec alter præstare tenetur, juxta illud ; *Frangenti fidem, fides frangatur eidem* : nam quamvis non faciat injustè, qui posterior à pacto recedit ; tamen qui prior facto aut alio signo voluntatis justum metum pactum non præstandi dedit, revera injustus est : quia non præstat, quod debet ; facta dictis non conformat ; fidem non servat, pactum violat, ideoque in alterum injurius est : nam *abominationi sunt Jehovah labia fallacia ; qui autem agunt fideliter accepti sunt ei.* Prov. 12. 21. injustus autem non esset, si pactum illud sua natura fuisset invalidum. 2. Fingit in statu naturæ aliquando non esse justum metum, quod qui

quæ cum hypothefi de mutuo hominum metû in ftatu naturæ (cap. I. §. 2—6.) confiftat, capiat qui poteft.

EXERCITATIO II.

Ad Art. 16. C. 2. de Cive.

*An pacta ea, qua metu extorquentur, obligatoria
fint, nec ne?*

Obligamur, inquit, pactis à metu profectis, nifi lex aliqua prohibeat, per quam quod promittitur, fiat illicitum. In fine Art.

In margine: *Promiffa metu mortis extorta in ftatu naturæ valida non effe.*

Ubi fufpicor legendum effe *valida effe, aut non effe, invalida*: nam cum nulla lex civilis exiftat in ftatu naturæ, fi obligamur pactis à metu profectis, ubi nulla exiftit lex civilis, per quam quod promittitur, fiat illicitum; fequitur, pacta metu mortis extorta in ftatu naturæ effe valida. Idem fequentia verba non obfcure poftulare videntur. *Quamquam, inquit, aliquando pactum ejufmodi invalidum cenferi debeat, non tamen eo nomine invalidum erit, quod à metu procefferit; propterea quod inde fequeretur, pacta ea, quibus in vitam civilem homines congregantur, & leges condunt, invalida effe: procedit enim à metu mutue cadis, quod alter alterius regimini fe fubmittat.*

Statuit ergo, *pacta, quæ metu extorquentur, obligatoria effe.* Exempli caufâ, *fi ad vitam à Latrone redimendam, pactus ei fuero traditurum me illi mille aureos poftero die, neque facturum quicquam quod comprobentur in jus duci poffit, querit, utrum teneat nec ne?*

me affirmat : *quia licitum est & ad redimendam vitam promittere , & de meo dare , quicquid voluero , etiam latroni .*

Resp. 1. Hypothesis de latrone thesi propositæ non congruit : loquitur enim thesis de statu naturæ , ut expressè habetur in margine , at hypothesis supponit statum civilem : loquitur enim de *Latrone , & foro civili* : supponit enim promissum esse in vasori , nihil faciendum esse , quo comprehensus in jus duci possit ; at *latrocinium & forum civile* in statu naturali , in quo omnia sunt omnium , & quicquid lubet licet , atque unusquisque est iudex in propria causa , per a. 7. & 9. c. 1. locum habere non possunt. 2. Notandum etiam , supra (a. 6.) illum docuisse : *verba de futuro non transferre jus , nisi adsint alia signa voluntatis ; sed oportere esse vel de præsentis , vel de præterito . Si dixero , eras dabo , verba illa non transferre jus ; sed si dixero ; do vel dedi habendum cras ; sed hîc supponit , me promississe latroni , traditurum illi postero die mille aureos ; nota , non in præsentis aut præterito do aut dedi eras habendos illos aureos ; sed in futuro , me illos traditurum postero die ; hæc ergo promissio facta latroni verbis de futuro quæ est obligatoria , si verba in futuro prolata non transferunt jus ? Dices ; hîc præter verba de futuro adessè aliud signum voluntatis : quia non est libera promissio sive donatio , sed pactum : quia supponit , me illos aureos promississe ad vitam meam redimendam .*
 Resp. Certè non est libera promissio , quæ metu mortis extorta est ; sed an promissio coacta , & metu mortis extorta magis est obligatoria , quam promissio libera ? aut an verba in futuro prolata in promissione coacta , & metu mortis extorta , majorem vim habent obligandi promissorem , quam in promissione libera ? aut an in promissione , verbis de futuro facta , hoc signum voluntatis est , quod sit coacta , & metu mortis extorta ?

extorta? putabam ego, metu mortis cogi ad aliquid faciendum, magis noluntatis, quam voluntatis signum esse: nam quod quis coactus facit, invitus facit, & contra voluntatem, quæ cogi non potest. Aut ergo verba, etiam in futuro prolata in promissione libera, transferunt jus ad rem in futuro habendam, contra *a. 8. hujus cap.* aut negandum, pacta metu mortis extorta esse obligatoria, contra *hunc art. 3.* Pacta hujusmodi non esse obligatoria, multi viri eruditi statuunt; sic Amesius, *consensum, metu gravi extortum, negat sufficere ad validum contractum: quia ad validum contractum requiritur, ut contrahentium consensus sit liber, ita saltem ut quis teneatur libere velle & consentire, quamvis actu elicito non velit.* *Cas. l. 5, c. 42. th. 4. & 5.* Nos hinc distinguendum putamus, non inter *statum naturæ & Civitatis*, ut in priori valida essent pacta talia dicenda, posteriori invalida, non semper, sed demum ubi lex civilis existit, quæ ea reddit invalida: nam distinctionem illam inter *statum naturæ & Civitatis* non admittimus; sed inter *jus naturæ & positivum*; deinde inter *metum gravem* vel absolutè talem, vel ratione personæ metuentis, & *levem*; præterea aut metus *justè* est incussus, aut *injustè*; denique vel in illum finem est illatus, ut extorqueatur consensus, vel non. Si metus ob alium finem est illatus, quam ut extorqueatur consensus, & qui patitur metum, ad evadendum illud malum faceret contractum, talis contractus extra controversiam validus esset; ut si captus à latrone promitteret tertio pecuniæ summam, ut ab ipso liberetur, talis metus non esset causa, sed occasio illius contractus. Etiam extra controversiam obligatorium est pactum, quod processit ex metu justè incusso; sic qui violavit virginem, compellitur illam dotare, vel ducere, aut si quis formidine poenæ, legibus statuta,

contrahat cum illo, quem injuria affecit, talis contractus est validus; similiter qui promisit aliquid, ne accusaretur de crimine, de quo jure poterat, tenetur. Quod si vero pactum processerit ex metu gravi, injustè incusso (ut in casu proposito) quamvis id neque jure naturæ, neque jure positivo omnino irritum sit; rescindi tamen potest, & in irritum revocari pro arbitrio ejus, qui injustè-metum passus est: non quia ex metu processit: nam tum etiam pacta, quæ ex justo metu facta sunt, rescindi possent; sed ex injusto metu; neque tantum jure civili; verum etiam, si promissor velit, tenetur latro vi legis & justitiæ naturalis liberare promissorem ab obligatione, & in priorem statum restituere, quamvis nulla lex civilis existeret, quæ quod promissum est fecit illicitum. Aut si restitutionem impetrare non possit promissor à latrone, eam sibi præstare posse, docet Grotius de I. b. pag. 604.

Obj. Tale pactum cum latrone validum esse: quia licitum est & ad redimendam vitam promittere, & de modo dare, quicquid voluero, etiam latroni.

Resp. Concedo; at hinc non sequitur, pactum ejusmodi rescindi jure non posse. Nam quamvis promissor non peccet promittendo, & quod latroni promisit præstando; latro tamen peccavit, & injuriam fecit illi, cui mortis metu illam promissionem extorsit. Quare jus habet promissor exigendi restitutionem; & jure naturæ tenetur latro liberare promissorem, & in priorem statum restituere.

Confessarium. Cum Adversarius à metu mutua cædis statuatur originem esse societatis civilis; C. c. I. a. 2. liquet ex dictis, quam debili, infirmo, & ruinoso fundamento innitatur totum ipsius edificium politicum. Nam (ut in eodem exemplo de latrone maneamus) aut metus, quo quis à latrone cogitur, ad
redi-

redimendam vitam aliquid promittere, est justè incussus, aut injustè; si justè dicas, tum (quod absurdum) justè aut saltem non injustè facit, qui metu mortis alium cogit innocentem aliquid promittere. Si injustè, ergo juxta dicta illud pactum tale est, quod rescindi potest non tantum jure civili; verum etiam à quo latro jure naturali obligatur absolvere promissorem; aut juxta alios, quod sua natura est invalidum: nam per dicta, sola pacta ex metu justè incusso, aut injustè quidem sed levi, jure naturæ sunt valida, ut rescindi jure non possint. At mutuus ille metus, quò fingit homines coaluisse in statum civilem, neque justè incussus est unicuique ab unoquoque, quia immerentibus infertur ab aliis ex vana gloria & falsa virium suarum æstimatione, *a. 4. c. 1.* neque levis: quia est mortis certæ, *a. 13. c. 1.* quod maximum est malorum naturalium, ad cujus fugam docet homines ferri necessitate non minore, quam quâ lapis fertur deorsum, *a. 7. c. 1.* Pactum ergo, cui innititur Civitas Hobbesiana, tale est, quod ad arbitrium promissoris rescindi potest jure civili & naturali; vel juxta alios, quod sua natura non est validum & obligatorium. Si ergo societas civilis tantum originem habet à pacto hominum, ex metu mutux cædis profecto, quod Hobbes vult, sequitur inniti illam fundamento debili, infirmo, & ruinoso. Quod erat demonstrandum.

EXERCITATIO III.

Ad Art. 19. ejusdem Cap.

An pactum de se accusando sit invalidum?

IN constituenda Civitate docet (art. 7. §. 2. c. 5.) unumquemque pacto voluntatem suam in omnibus simpliciter subjecisse Unius voluntati, ut pro voluntate omnium & singulorum habendum sit, quicque ille voluerit. Unde sequi videtur, vi pacti illius neminem, si auctoritate summi Magistratus jubeatur crimen à se commissum confiteri, si reus est, confessionem illam jure retractare posse. Sed docet hic, quamvis unusquisque cum ceteris omnibus hujusmodi pactum inierit, tamen pactum de se accusando esse invalidum, etiam de alio, cujus damnatione vita sibi acerba futura est.

Ita, inquit, neque pater in filium, neque conjux in conjugem, neque filius in patrem, neque quisquam in eum, sine quò ali non potest, testimonium dicere obligatur. Et (in fine art.) quamvis reum cruciatus ad respondendum dicat cogi posse, tamen jure facere, sive verum, sive falsum, sive omnino non respondeat.

At 1. In jure civili inter causas, ob quas exheredari possunt liberi, recenserur & hoc, si eos in criminalibus causis accusaverint, quæ non sunt adversus Principem, sive Rempubl. Quo videtur innuere jus civile, teneri liberos accusare parentes, si adversus Principem, aut Rempubl. enorme crimen commiserunt; in reliquis causis criminalibus teneri non accusare, non ideo, quod eorum damnatione vita sibi acerba

acerba esset, quasi conservatio vitæ suæ, ejusque tranquillitas norma esset & fundamentum juris naturalis: nam tunc ne quidem tenerentur, cum enorme crimen commiserunt contra Principem vel Republicam: sed quia est contra *sophylu'*. 2. Non licet cuiquam, imprimis si juridicè interrogetur, crimen, cujus se reum novit, negare: nam hoc est mendacium contra 9. præc. nisi dicas, peccatum non esse mendacium sui conservandi causa, contra *Rom.* 3. v. 8. & quod ipse ait, peccare eum, qui aliquid facit contra conscientiam, *4. 28. c. 3.* sed qui negat crimen, cujus sibi conscius est, loquitur contra conscientiam. Dices forsàn, peccare quidem, qui se mendacio defendit, jure tamen facere. Resp. Nemo jure peccat. 3. Quamvis nemo teneatur seipsum accusare; negamus tamen, si quis se pacto obligavit ad veritatem confitendam contra sese, si juridicè interrogetur, pactum illud invalidum esse: quippe quod est de licito, quia est de facienda veritate, & de possibili; utrumque liquet *Gen. 3. 11. & 4. 9, 10, 11. Jos. 7. 19. Num. 5. 19. Math. 26. 64.* Dices, illicitum esse, quia, ex hypothesi, illa confessio esset cum certo mortis periculo. Resp. Non hoc per se esset à criminis commissi seu veritatis confessione, quam pacto promississe supponimus; sed ab ipso commissio crimine, quo se poenæ capitalis reum fecit, qua illud luere obligatur, ut disputavimus *supra ad 6. præc. in Exerc.*

Obj. Frustra est testimonium, quod à natura corrumpi præsumitur, sed tale est testimonium alicujus contra seipsum.

Resp. Quamvis non sine ratione hoc præsumatur de testimonio negativo, quo quis crimen, cujus insimulatur, negat; non tamen de affirmativo, quo crimen à se commissum ingenuè confiteretur; eò mi-

nus, quod se pacto ad illud obligasse supponimus.

Objicit sibi; *In questione publica quis ad respondendum cruciatu cogi potest, ergo ad se accusandum tenetur.* Ad hoc respondet; *Responsiones illæ facti testimonium non sunt, sed investigandæ veritatis adjumenta: ita ut sive verum, sive falsum cruciatu respondeat, sive omnino non respondeat, jure faciat.*

Resp. 1. Nemo jure ad illud; ad quod non obligatur, cruciatu a quoquam cogi potest. 2. Et frivolum est; *responsiones illas facti testimonium non esse, sed veritatis investigandæ adjumenta:* nam responsio ejus, qui cruciatu cogitur, ad quæsitam, quid aliud est, quam facti testimonium, sive verum, sive falsum? Et quæ responsiones illæ veritati investigandæ inferre possunt, si non sunt facti testimonium? 3. Falsum respondere, contra veritatem est, & juridicè interrogatum omnino non respondere, contra obedientiam civilem, ad quas unusquisque obligatur jure naturali & Divino, *Psal. 15. 2. Rom. 13. 1.* Quæ ergo a cruciatu jure fieri non possunt.

An reus ad respondendum cruciatu cogi possit, in medio relinquo. Vide *Zepperum de Leg. Mos. lib. 4. cap. 10.*

De decimo Præcepto.

Quid velit supremus Legislatoꝝ præcepto; *Non concupisces*, declarat Apostolus, *Rom. 7. 7.* *Etiã concupiscentiam non sciebam peccatum esse, nisi lex dixisset, Non concupisces.* Nam cum citra illam legem Apostolus, & quotquot legem naturalem meditantur, scire possunt, peccatum esse concupiscentiam bonorum, fervorum, & uxoris proximi

proximi cum intentione & consilio per fraudem aut vim illa occupandi; eaque damnetur 6. 7. & 8. præc. ut patet *Math.* 5. 28. liquet hoc præcepto omnes cogitationes & concupiscentias inordinatas damnari, quibus non accedit assensus voluntatis, etiam motus concupiscentiæ primò-primos. Hobbes contra,

I. *Si quis bona, servos, uxorem proximi sui videns, frui illis cum delectatione imaginatus tantum fuerit, absque omni intentione vel consilio per fraudem aut vim ea occupandi, peccatum esse, negat, aut præcepti (Non concupisces) violationem,*

Motus animi primos, ait, peccata non esse. *Leviath.* c. 27. pag. 137.

Resp. 1. ἀνομία seu discrepantia à lege peccatum est, *1 7ob.* 3. 4. sed bonis, servis, uxore proximi frui cum delectatione imaginari, omnesque animi motus inordinati sunt discrepantia à lege: nam lex spiritus ualis est, *Rom.* 7. 14. & obedientiam postulat ex toto corde, integris viribus, atque omni cogitatione, *Matt.* 22. 23. *Luc.* 10. v. 27. quam non præstant, qui bonis, servis, uxore proximi frui cum delectatione imaginantur. 2. Quod procedit ex malo & peccaminoso principio, non potest non esse malum & peccaminosum, *Matt.* 7. v. 18. sed bonis, servis, uxore proximi frui cum delectatione imaginari procedit ex malo principio; nempe ex avaritiâ, carnis concupiscentiâ, atque animo huic mundo, carni, suisque commodis nimis dedito & inhiante. *Matt.* 15. v. 19. *Gal.* 5. 17. *1 7ob.* 2, 16. 3. Quod hominem seducit, & peccatum ulterius producit non potest non esse malum & peccatum, sed hæc facit illa (dequâ agimus) imaginatio cum delectatione. *7ac.* 1. 14, 15. 4. Uxore proximi frui cum delectatione imaginari, est illam adulterare in corde suo, quod peccatum esse, promuniat *Serva-*

tor, *Matt. 5. v. 28.* 5. Ita videre bona, servos, uxorem proximi sui, peccatum non esse, non putavit *Jobus cap. 31. v. 1.* *Fœdus pepigi cum oculis meis; & quid advertissem animum ad virginem.* Nec *David Ps. 119. 37.* *Averte oculos meos, ne respicias res vanas.* Nec *Servator, Matt. 5. 29.* *Quod si oculus tuus dexter facit, ut tu offendas, erue eum & abjice à te.* & *9. 4.* *Quare cogitatis mala in cordibus vestris?* Nec *Apostolus, Rom. 8. v. 7.* *τὸ σφόνημα σαρπιδὲ ἐξ ὧν αἱ δυνάμεις διαβ.* Rectè *Hieronimus;* Primum peccatum est, cogitasse quæ mala sunt; secundum cogitationibus acquiescere; tertium quod mente decreveris opere complexisse; quartum post peccatum non agere pœnitentiam. *Chrysostomus;* Cor cogitando tenetur in crimine. *Gregorius;* Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere: in corde namque suggestionem, delectationem, consensum, & defensionis audaciâ perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem &c. De peccato delectationis in cogitatione peccati vide *Lectiorem Petri de Soto in Institut. Sacerdot.* & *eximium tractatum Thomæ Goodwin de vanitate cogitationum, in Jer. c. 4. v. 14.*

Objicit; Jucundi imaginatione delectari ita homini naturale esse, ut lex, quæ id prohiberet, etiam hominem esse prohiberet.

Resp. 1. Jucundum aliquod turpe esse potest, quo delectari peccatum est. *Prov. 2. v. 14.* 2. Neque omne, quod homini naturale est, sive cum eo nascitur, ad essentiam ejus pertinet; v. gr. Omnium hominum cordibus innata malitia, unde est illa in jucundi turpis imaginatione delectatio; *Pf. 51. 7.* quam ergo lex prohibens, hominem esse non prohibet.

II. Sen-

II. *Sententiam eorum*, ait, *qui motus animi primos peccata esse ajunt, sibi nimis severam videri.* Ibid.

Resp. Sententia ipsius Dei Legislatoris non debet nobis hominibus nimis severa videri; sed motus animi primos inordinatos peccatum esse; esse sententiam decimi Præcepti (*Non concupisces*) declarat Apost. Rom. 7. 7. ut supra ostendimus.

III. *Affectus animi malos esse*, negat de Cive in præf.

Passiones hominum peccata esse. Leviath. cap. 13. pag. 65.

Vide supra ad 6. præc. Assert. 3.

CAPUT. XXIII.

De Conscientiâ.

AD legem Divinam pertinet Conscientia; Quæ est *judicium hominis de se ipso, prout subjicitur judicio Dei.* Vel ut alii; *est facultas animæ rationalis, qua homo & juris divini, & actionum sibi suarum conscius, de se fert judicium, sub judicio divino.* Jes. 5. v. 3. I Cor. II. v. 31. Rom. 1. v. 32. & 2. 14, 15. 2 Cor. 5. 11. Quam ergo leges nullæ humanæ per se obligare possunt, sed sola lex Divina, vi cujus obligationis illa (conscientia) etiam homines pios sæpe impellit ad faciendum, quod lex civilis faciendum prohibet; aut ad omittendum, quod lex civilis faciendum jubet. Act. 4. 19, 20. Ier. 20. 9. Dan. 3. & 6. Exod. 1. Hobbes autem,

I. *Falsam docet esse opinionem; Legem esse sibi cuique*

cuique conscientiam suam ; Leviath. cap. 30. pag.
161.

Legem civilem vult unicuique civi pro conscientia habendam esse. L. c. 29. p. 152.

Tum 1. Falsa esset doctrina Apostoli Rom. 1. 32. & 2. 14, 15: ubi homini unicuique docet conscientiam suam esse jus Dei inscriptum cordibus suis : nam jus illud Dei non est lex civilis. 2. Quod Paulus prædicavit, debuit esse conscientia hominum, 2 Cor. 4. v. 2. sed leges civiles non prædicavit, sed fidem in J. Christum, & observantiam legum Divinarum 2 Cor. 5. 11. Et 3. conscientia peccatorum, de quâ Hebr. 9. 14. & 10. 2, 22. 1 Iob. 3: 20, 21. Tit. 1. 15. 1 Tim. 4. 2. non est tantum aut præcipuè eorum, quæ contra leges civiles commissa fuerunt. 4. Ipse Apostolus bonam conscientiam coram Deo profitetur, 2 Tim. 1. 3. Act. 23. 1. & 24. 16. & Hebr. 13. 18. quamvis legi civili ejus loci, ubi versabatur, non obediret : mandabat enim idololatriam, & falsum cultum. 5. Eodem facit, quod S. Petrus ait, 1 Petr. 3. 15. *Conscientiam bonam retinete, ut pro eo quod obloquantur vobis tanquam nocentibus, pudeant, qui incessunt vestram illam in Christo bonam conversationem.* Ubi Apostolus bonam Christianorum conscientiam appellat bonam ipsorum conversationem in Christo secundum Evangelium. 6. Neque leges civiles fuerunt, quas rejecerunt Hymenæus & Alexander, cum illos bonam conscientiam rejecisse testatur Apostolus 1 Tim. 1. 19, 20, cum v. 5. Et 7. cum docet Apostolus Rom. 13. 5. *Oportet nos subjectos esse Potestatibus propter conscientiam ; an hoc est, propter leges civiles ? absurdè ! Confer 1 Petr. 2. 13, 19.*

II. *Seditiosam opinionem esse, clamitat ; quicquid*

quid faciat civis contra conscientiam, peccatum esse.

Nam iudicium & conscientiam hominis eandem rem esse, & erroribus obnoxiam; proinde iis, qui legibus civilibus se subjecerunt, non privatam, sed publicam legem (civilem) unicuique civi pro conscientia habendam esse. Ibid.

Quasi lex divina, tum S. Literis expressa, tum hominum rationi naturali impressa, lex privata non publica esset: nam si (quod ipse scribit) *lex naturalis sive moralis est, quam Deus omnibus hominibus patefecit per verbum suum æternum ipsis innatum, nimirum rationem naturalem. C. cap. 14. art. 4. eamque Deus per naturam rationalem omnibus communem tam perspicue promulgavit omnibus hominibus, ut omnis tollatur ignorantia excusatio. cap. 15. art. 3. quæ lex Divina naturalis sive moralis lex privata est, non publica? Et quasi lex civilis magis publica esset, quam lex Divina in S. Script. revelata. Vide Rom. 10. 18. Aut iudices boni & mali se facerent homines minus, de factis suis secundum leges civiles iudicantes, quam iudicantes de iis secundum leges Divinas. Et quasi erroribus obnoxia non esset lex civilis, quod & contra experientiam est, & quod de lege civili ipse fatetur C. c. 14. a. 10. talem ferri posse, quæ tendit in contumeliam Dei. Denique si lex civilis unicuique civi pro conscientia habenda est, tum conscientia Theologis definienda esset; iudicium hominis de se ipso, prout subicitur iudicio Civitatis.*

Obicit; Nisi in Civitate lex publica unicuique civi pro conscientia habenda sit, in tanta conscientiarum varietate, id est, opinionum privatarum, necessario civitas divideretur, nec summæ potestati obediet quisquam, nisi quatenus sibi metepsi visum erit.

Resp.

Resp. 1. Lex divina five naturalis, five *positiva*, quæ sola est adæquata regula conscientiæ, non est varia, sed una & simplex; hæc si informatæ sint civium conscientiæ, uti oportet, non sequetur illud incommodum. 2. Neque (quod supponit) idem est *hominis cujusque conscientia*, & *uniuscujusque opinio privata*; atque *agere juxta dictamen conscientia*, & *facere quod sibi visum est*: nam multi homines faciunt, quod sibi visum est, contra conscientiam, five contra dictamen rectæ rationis, & verbi Dei, ut notum est. 3. Falsa hypothesis; pacem publicam normam esse omnis juris & justè facti, five bonitatis moralis actionum humanarum. Vide *supra cap. 20. Exercit. 2.*

LOCUS XII.

De peccato & pœnis.

Cap. 24.

De Peccato.

AB ipsa nativitate omnibus hominibus inesse hæreditariam corruptionem, per lapsum Adami introductam, quæ sunt ab omni bono averfi, & ad omne bonum proni & proclives, quod *peccatum originale* appellatur, manifestè docet S. Scriptura. *Pf. 51. v. 7. Iob. 3. 3, 6. Rom. 5. 12, 14. Gen. 6. 5. & 8. 21. Iob. 14. 5. Eph. 2. 3, 5.* Quæ loca etiam illud revera peccatum five culpam esse demonstrant, *Peccatum actuale* est omne cogitatum, dictum, & factum contra legem, vel omissio ejus, quod

quod precipit lex. Legem intelligo solius Dei, qui solus est Legislator, *Iac. 4. vers. 12.* Peccatum ergo est *ἀνομία*, seu legis Divinæ transgressio, *1 Iob. 3.*

v. 4. Hic Ille

I. Cum Pelagianis, Socinianis, Anabaptistis peccatum illud originale disertè negat.

Homines natura malos esse, sine impietate, inquit, concedi non posse.

Negat, *homines malos ita factos esse à natura.*

Habere quidem homines à natura cupiditatem, metum, iram, cæterasque affectus animales, tamen malos factos à natura esse, negat: quia affectus animi, qui à natura animali proficiuntur, mali non sunt ipsi, sed actiones inde provenientes male aliquando sunt.

Proinde infantes docet culpa macare, neque malos esse. C. in Præf.

Cum aperte dicatur *Gen. 6. 5.* *Omne sumentum ac cogitationes cordis humani tantummodo malum esse omni tempore: imò ab ipsa pueritia, Gen. 8. 21.* & contra loca supra cit. Vide supra ad 6. præf. *Affert. 3.* & Antagonistas Socinianorum, Anabaptistarum &c.

II. Omne peccatum propriè dictum contendit esse tantum legis civilis transgressionem.

Nullum factum, dictum, volitum contra rectam rationem esse peccatum stricte & propriè dictum; sed improprè & latissime accepto vocabulo (peccatum) quo etiam continetur omne factum imprudens.

Peccatum stricte dictum esse, quod quis fecerit, omiserit, dixerit, & voluerit contra rationem Civitatis, id est, contra leges civiles. de Cive. cap. 14. art. 16, 17.

Tum. I. nunquam qui in Civitate summam habet potestatem, cum nullis Civitatis legibus teneatur

neatur. per art. 4. cap. 12. & art. 14. cap. 6. peccare
 posset proprie & stricte loquendo; contra Ps. 51: 6.
 2. Neque homines in statu naturæ, ubi nullæ sunt
 leges civiles; nec Cain occidens fratrem suum pec-
 casset proprie & stricte loquendo: quippe tum (si
 Hobbesio credimus) potentia communis, quæ vin-
 dicare potuit, nulla existeret. *Leviath. cap. 13. p. 65.*
 neque ideo proprie puniri potuisset; cum tamen
 ipse dicat (Gen. 4: vers. 13.) *Major est pœna mea,*
quam ut sustinere possim. Vide 1 Iob. 3. vers. 12.
 3. Neque proprie & stricte loquendo cogitationi-
 bus & voluntate peccari posset, contra Rom. 7: 7.
 & 8: vers. 7. nam de his non feruntur leges civiles.
 4. Angeli peccaverunt, 2 Petr. 2: 4. primus homo
 peccavit proprie & stricte loquendo Gen. cap. 3. &
 Rom. 5. nec tamen contra leges civiles, ut no-
 tum.

Obj. Peccatum, inquit, stricte dictum est, quod
 cum ratione culpatur; quid autem cum ratione culpand-
 um sit, non est mensurandum per rationem singulo-
 rum, unius magis quam alterius. 1. quia quod unus
 bonum, alter malum vocat, prout quisque affectus est.
 2. propter equalitatem naturæ humanæ. Relinqui-
 tur ergo, quid ratione culpandum sit, definiendum esse
 à Civitate.

Resp: 1. Quid cum ratione culpandum sit, tam
 perfecte ac perspicue lege Divinâ naturali, & in S.
 Script. revelata definitum est, ut nulla remaneat
 ignorantia excusatio, 2 Tim. 3. 16. Rom. 1. 32. &
 2. 14, 15. quod ipse de lege naturali agnoscit. C. c. 3.
 art. 26. & c. 15. a. 3. 2. Hominum diversum de
 bono & malo iudicium agnoscimus in legis ad factum
 applicatione, nempe an hoc vel illud factum sit con-
 tra leges; sed non minus ratione legum civilium,
 quam Divinarum; si ergo hanc ob causam, quid
 cum

cum ratione culpandum sit, ab unoquoque cognosci non possit ex lege Divina, ergo eandem ob causam idem sciri non posset ex lege civili. 3. Sequitur quidem, quid mihi cum ratione culpandum sit, mensurandum non esse per rationem hominis alterius privati; non vero fieri id non posse per rationem naturalem uniuscujusque suam, aut S. Scripturam. 4. Eriam quod una Civitas ut faciendum præscribit, alia ut fugiendum sæpè definit, & contra; & tamen unusquisque (secundum Adversarium) ex legibus suæ Civitatis scire potest, quid cum ratione culpandum sit; qui magis ergo, ob diversum hominum singulorum de bono & malo iudicium, unusquisque idem scire non potest per rationem suam naturalem, aut S. Scripturam?

III. Errare, decipi, malè sentire sua natura crimen non esse, ait App. c. 2. p. 351.

Quin errare ratiocinando ne quidem peccatum esse in latissima significatione; ratiocinando quidem errari; sola vero actione & voluntate peccari.

Hinc peccatum significatione latissima definit; *Omne factum, dictum & volitum contra rectam ratiocinationem.* C. c. 14. a. 16.

Resp. 1. Errare, decipi, malè sentire, est mentis cæcitas, at mentis cæcitas sua natura peccatum est. *Eph. 4. 17, 18.* 2. A quo nobis cavere monemur, & quod reprehenditur in S. Script. illud, per se est peccatum; sed ab errore nobis cavere monemur. *2 Chron. 29. 11. 1 Cor. 15. 33. & 6. 9. Gal. 6. 7. Jac. 1. 16.* & errare reprehenditur; *Matth. 22. 29.* 3. Præter homo errans ratiocinando peccavit, præterquam volendo aut faciendo. *Gen. 3. 2 Cor. 11. 3.* 4. Peccatum in Sacris Hebr. *שגגה*, Græcè *ἁμαρτία* errorem vel aberrationem significat. Ea peccata populi *ἁμαρτιαὶ* errata dicuntur. *Hebr. 9. 7. Mi-*

rum si *errare, decipi, malè sentire*, ne quidem voce peccati latissimè sumptà, peccata dici debeant. 5. *Ecce tum Atheismus* Hobbesio tantum error mentis sit, in malè ratiocinando tantum consistens, C. c. 14. s. 19. tum neque Atheismus ullo modo peccatum esset, ne quidem in latissima significatione; & tamen *Atheismus* scribitur peccatum esse maximum, damnosissimumque, ibid. Hæc quæ coherent? 5. In quo consistit omnium legum naturalium transgressio, illud procul dubio peccatum est, saltem latissimè dictum; sed ipse omnium legum naturalium transgressionem statuit consistere in falsa ratiocinatione; de *Cive. cap. 2. art. 1.*

IV. *Crimen non esse, nisi cujus homo hominem insimulare potest coram homine judice. Sic velle furari peccatum esse, non crimen, docet Leviath. cap. 27. pag. 138.*

Resp. 1. *Velle furari, occidere, non minus hominem reum facit coram Deo in foro poli; quam ipsum furari, occidere coram homine judice in foro soli. Exod. 20. 17. 1 Job. 3. 15.* qui ergo *velle furari peccatum esse* fateretur, crimen esse negat? 2. Solum *crimen* esse delictum, cujus homo hominem insimulare potest coram homine judice, unde habet? nam peccata quælibet, quorum homo coram Deo insimulari potest, *crimina* appellantur, Rom 8. v. 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei?* 3. *Crimen* dicitur quasi *cernimen* à *cerno*, ut *discrimen* quasi *discernimen* à *discerno*; sed *velle furari* &c. cernitur à Deo & conscientia peccatoris non minus, quam ipsum *furari* ab hominibus cerni potest. 4. Denique ipse, *Atheismus*, agnoscit, *crimen esse Lesie Majest. Divinæ in Regno Dei per pactum.* C. c. 18. art. 8. sed *Atheismus* in corde hominis per se occultus est, cujus ergo per se homo hominem accusare non potest coram homine judice. V. Si-

V. *Siquis ad faciendum aliquid contra legem mortis imminentis metu compulsus sit, plene excusari docet: quia vitæ suæ conservationem negligere nemo obligatur.*

Lev. cap. 27. p. 141.

Resp. 1. Hoc non existimavit petrus, cum mortis metu Christum abnegaverat. *Matt. 26. 75.* Nec innumeri Martyres, qui mortis imminentis metu loqui noluerunt contra conscientiam, ut vitam suam conservarent. *Pf. 44. 23.* 2. Obligamur ex duobus malis eligere quod minus est, sed minus malum est mori, quam peccare: nam illud malum *triste* tantum, hoc *turpe*, quod quovis tristi pejus est. *Rom. 3. v. 8.* 3. Christianos obligari aliquando, negligere hujus vitæ suæ conservationem, liquet. *Matt. 10. 28, &c. & 16. 25, 26. Luc. 14. 26. Apoc. 21. 8.*

Πρώτον ψῦδ ; vitæ conservationem esse fundamentum primum omnis juris & justè facti, de quo Vide *Cap. 17. in Exerc. ad art. 7. c. 1. de C. & cap. 10. de fidei Confessione & cap. 11. de Martyrio.*

CAPUT. XXV.

De Peccati poena.

Succedit quæ peccatum sequitur *Pœna* pede claudo; quæ est malum peccatori propter peccatum inflitum ab eo, qui puniendi jus habet; à Deo inflicta vel infligenda, poena *Divina* est, aut *temporalis*, ut mors corporea, *Rom. 5. v. 12.* aut *eterna*; inflicta vel infligenda à Magistratu, tanquam Dei ministro, poena *civilis* est. *Rom. 13. 4.* In utraque locum habet *justitia*, quæ *vindicativa* & *retributiva* appellatur, quæ postulat peccatum puniri. *Gen. 18. 25. Rom. 13.*

K k

v. 4.

v. 4. & proportionem servari inter delictum & poenam. Hic Hobbes

1. In ultionibus negat respiciendum esse ad magnitudinem mali præteriti, sed magnitudinem boni nascituri. L. c. 14. p. 76.

Infligere poenas nullo alio fine licitum esse ait, nisi ut ipse, qui peccavit, corrigatur, vel alii ipsius supplicio moniti fiant meliores. C. c. 3. a. 11.

Sed 1. Poenas infligere delinquentibus, est actus justitiæ, quam vindictivam seu retributivam appellari diximus, quas ideo Deus immittere dicitur, quia justus est, & propter peccatum. Apoc. 16. 5-7. & 19. 2. Rom. 1. 32. 2 Thess. 1. 6. hinc peccatores, ultricem Dei manum sentientes, & pœd agnoscunt in poenis sibi illatis Dei justitiam, & peccata sua confitentur; 2 Chron. 12. 9. Nehem. 9. 33. Ps. 11. 7. & 129. 4. Thren. 1. v. 18. Dav. 9. v. 14. Et de poenis à Magistratu illatis, aut inferendis idem constat Rom. 13. v. 4. Hinc colligo, poenas respicere debere non tantum bonum futurum, sed & malum præteritum: nam si futurum tantum spectarent, hoc est, ut qui peccavit corrigatur, cæteri quæ ejus exemplo moniti fiant meliores, poenæ non provenirent ex justitiâ, sed bonitate: nam justitiæ est respicere, bonitatis autem prospicere. Si autem ex justitiâ proveniunt; ergo meritum seu reatum in puniendo præsupponunt, & obligationem ad poenam; proinde respiciunt non tantum bonum futurum, verum etiam peccatum præteritum. 2. Quo etiam facit, quod (ut diximus) proportio servari debeat inter delictum & poenam, sic ut delictum præteritum poenæ inferendæ mensura esse debeat, quod apertum est in poenâ talionis, Exod. 21. 23-25. Matt. 7. 2. at si nullo alio fine, quam ille hic statuit, liceret poenas irrogare; tum mensura poenarum esse deberet non delictum antecedens,

dens, sed correctio delinquentis, & exemplum aliorum; unde aliquando delicta graviora levioribus, & leviora gravioribus poenis essent punienda, prout ad bonum illud futurum obtinendum expedire iudicabitur, quod contra justitiam est. 3. Ut se habet remuneratio ad bonum, ita se habet punitio ad peccatum; sed illa respicit bonum præteritum, ergo hæc etiam malum præteritum debet respicere. 4. Deinde sunt quædam poenæ, quæ illos fines ex naturæ suæ conditione respuunt. Sic punit quandoque Deus peccata peccatis, cœcitate mentis, & duritie cordis, *Exod. 7. 3. Ps. 81. 13. Rom. 1. 28. & II. 8. 2 Cor. 4. 4. 2 Theff. 2. v. II.* & peccatum originale poenæ rationem habet respectu peccati primi Adami; at sic non punit Deus, ut qui peccavit corrigatur: nam per se notum est, ejusmodi poenâ non corrigi illum qui peccavit, sed reddi deteriore; neque ut alii talis exemplo poenæ fiant meliores: nam peccatum suâ naturâ non est exemplum ad bonum, sed ad malum. 5. In poenis capitalibus idem liquet: nam tali poenâ qui peccavit non corrigitur, sed vitâ privatur; nec infligitur per se & suâ naturâ, ut alii tali exemplo fiant meliores: nam tum talis poena non deberetur tali delicto per se ratione delinquentis, sed ratione hominum aliorum; nec qui deliquit tali poenâ puniretur propter suum peccatum, sed propter peccatum aliorum, ne fieret. Vide *Ezech. 18. 4, 20. Deut. 24. 16. 2 Reg. 14. 6. Jer. 31. 30. 6.* Deus passim in Sacris dicitur propter peccata animadvertere in homines; at propter tum non notat causam finalem, sed meritoriam & antecedentem. Quod liquet in poenis, quibus Deus dicitur afficere posteros propter peccata Majorum, *Exod. 20. 5. Ps. 109. v. 14. Jer. 32. 18. Ps. 106. 27.* Sed tum propter causam finalem significare nequit, hoc est, Deum posteros punire,

ut Majores corrigantur ; notat ergo causam antecedentem & meritoriam. 7. His accedit, quod poena politica, quæ in multâ, bonorum publicatione & ademptione consistit, in Reipubl. usum converti soleat, quod signum est, in poenis etiam spectari malum præteritum, nempe damnum Reipubl. illatum, quod æquum est hâc ratione resarciri. *Alth. Pol. c. 10. n. 11.* 8. Si poenæ essent tantum ob bonum futurum, non ob malum præteritum, tum quas Deus immittit peccantibus, provenirent non ex naturali Dei justitiâ, sed ex liberâ ejus electione: quia medium essent non necessarium ad illum finem: nam potest Deus, si lubet, aliâ ratione peccantes corrigere; verum poenas esse ex libera Dei electione, non ejus justitia naturali, falsum est: nam peccata mortem mereri, atque hoc esse jus Dei lumine naturæ norunt ipsi Gentiles, *Rom. 1. v. 32.* & demonstrant terrores conscientiæ in illis, de quibus, *Es. 57. 25. Rom. 2. 15.* sed per naturam notum non est, quod ex liberâ Dei electione procedit: 9. Fatemur, poenas etiam infligendas esse, tum ut qui peccavit corrigatur, *1 Cor. 5. 5.* tum ut alii illius supplicio fiant meliores, *Deut. 13. 11. & 19. 20. Prov. 19. 25. & 21. v. 11. Að. 5. 11. 1 Tim. 2. 2. & 5. 19, 20. 1 Cor. 10. v. 6.* sed ut rectè monet Besold. *Syn. Pol. l. 2. c. 3.* ea magis castigatio est, *παιδεία* *1 Cor. 11. 32.* quam poena propriè dicta, Græcis *τιμωρία*, Latinis *ultio*; quippe quâ peccatum præteritum imprimis spectatur, & satisfactio justitiæ. Hinc Chrysostomus; *Non punimur, non pœnas damus, sed erudimur.* Unde poena propriè dicta *ultio*, *vindicta* dicitur, in quâ malum præteritum spectari, liquet *Apoc. 19: v. 2. 2 Thess. 1. 6. Rom. 13: 4, 6. 1 Petr. 2: 14.* sic Deus dicitur *ulcisci sanguinem suorum*, *Deut. 32: 43. repende-*

re,

re, *Es.* 66: 6. quæ respectum ad malum præteritum significant, *Pf.* 99: 8. *Es.* 1: 24. *Ezech.* 5: 13. Idem constat ex eo, quod Moses tradit de expiatione cædis incerto auctore perpetratæ, *Deut.* 21: 7-9. ubi dicitur, effusione sanguinis innoxii populum Israël reatum incurrere, doceturque qua ratione sanguis ille expiari debeat; & quod traditur *Num.* 35: 31. ubi terra dicitur pollui sanguine innoxio, & homicida dignus esse morte, neque pro illa terra sanguinis in ea effusi expiationem fieri posse, nisi per sanguinem ejus, qui effudit illum. Quæ expiatio certè malum præteritum respicit, nempe reatum cæde contractum. 10. Denique poenæ luitione ira Dei mitigatur, *Num.* 25: 7, 8. *Jos.* 7: 26. *1 Sam.* 4. *Jon.* 1. ejusque benedictio acquiritur, *Deut.* 19: v. 13. nempe non præcipuè, quod poenis illatis qui peccavit corrigatur, aut alii ejus exemplo fiant meliores; sed quod hac ratione justitiæ Divinæ satisfiat, quod loca citata non obscure significant. Liquet idem in poenis, quas nostro loco tanquam Sponsor noster sustinuit Servator, *Rom.* 3: 25. & poenis æternis, post hanc vitam impiis à Deo infligendis.

Obj. 1. *Quod unusquisque lege naturali teneatur alteri ignoscere, modo cautum prius sit de futuro tempore.*

Resp. Tenetur quidem unusquisque privatus lege naturali alteri ignoscere. *Levit.* 19: 18. *Rom.* 12: 19. publica tamen vindicta tantum abest, ut sit contra legem naturalem, ut Magistratui à Deo sit imperata, *Rom.* 13: v. 9. *1 Petr.* 2: vers. 14. exigit enim Deus & bonum commune, ut justitiæ publicæ satisfiat.

Obj. 2. *Quod ultio, quatenus solum præteritum consideratur, nihil aliud sit præter triumphum & gloriam animi, quæ ad nullum finem dirigitur (nam præteritum*

veritatem contemplari, finem autem futuram rem esse) quodque ad nullum finem dirigitur, vanum esse.

Resp. Quamvis ultio malum præteritum contempletur; tamen occasione mali illius præteriti intendit ordinem justitiæ, cui satisfieri tum Dei universi mundi Rectoris, & boni publici maximè interest. Rom. 3: v. 5, 6. Gen. 18: 25.

II. Morte corporeâ (quam diserte Apostolus docet in mundum introisse per peccatum Rom. 5: 12.) negat, hominem justè à Deo affigi non potuisse, nisi peccasset L. c. 31: p. 168: C. c. 15. a. d.

Vide suprâ cap. 19. Assert. 3. p. 28: & 284.

III. De pœnâ æternâ, quam ipse non negat Deum comminatum esse peccatoribus, statuit inane tantum terriculamentum esse. Lev. c. 28. pag. 147. & cap. 30. pag. 164. de Cive. cap. 4. art. 9. De quo infra cap. ultim.

IV. Magistratum jus puniendi civem habere docet non sibi datum, sed relictum; nempe ex eo, quod ante Civitatem unicuique jurerat naturale quilibet faciendi in quemlibet. L. c. 28: p. 146.

Resp. 1. Hoc non putavit Dominus, cum Pilato diceret; Non esset tibi in me potestas ulla, nisi datum esset tibi à supernis, Ioh. 19: 11. nec Apost. Rom. 13. vers. 1. Non est potestas quæ non à Deo sit: & quæ potestates sunt, à Deo sunt constitutæ. & Prov. 8: 16. per me (inquit Deus) Principes gerunt principatum.
2. Magistratus jus puniendi habet tanquam Minister Dei, in bonum subditorum, & justam ultionem delinquentium, Rom. 13: 4. sed jus puniendi, quod unum in alterum habuisse fingit ante constitutam civitatem, dici non potest unus in alium habuisse tanquam minister Dei, neque in bonum aliorum, neque ad justam vindictam malè: nam in illo statum, fingit,

fingit; unicuique mensuram juris fuisse utilitatem propriam, jus habuisse unumquemque, alium quemvis occidere innoentem; facere quaecumque & in quoscunque lubebat, possidere, uti, frui omnibus, quæ volebat, & poterat; quæ certè nemo facit ut minister Dei, nec in bonum aliorum. 3. In statu naturali, docet, unum alium occidere jure belli tanquam hostem; non, inquam, sic Magistratus civem, per a. 5. 6, 7 : c. 6 : C. 4. Nunquam (quod supponit) fuit talis hominum status, in quo unus homo privatus puniendi alium jus habuit: vindicta privata semper est, & fuit illicita. De Hypothesi status naturalis, in quo unicuique jus est, quidlibet faciendi in quemlibet, supra Cap. 17: prolixè disputavimus.

V. *Multam pecuniariam, lege civili definitam, negat; propriè penam esse; sed privilegium ait esse, sive exemptionis à lege pretium.* Leviath. cap. 28: pag. 148.

Hic ergo privilegium peccandi pretio vendi & emi potest.

VI. *Exilium (quo solo statuit puniendum esse Atheum & blasphemum) per se penam esse negat, sed mandatum publicum esse fugiendi penam.* Lev. c. 24: p. 149.

Quod si verum esset, tum Magistratus, qui jure Divino tenetur fontes punire, contra officium faceret, si fontem aliquem in exilium mitteret. Vide supra ad I Præv. Assert. 8. & ad 3. præc. Assert. 5.

LOCUS XIII.

Caput. 26.

De gratia & libero arbitrio.

AD *fidem & sanctitatem* nullum inesse naturaliter homini *liberum arbitrium*, easque non educatione, disciplinâ, correctione, aliisque causis naturalibus solo studio & ratione (uti virtutes morales) comparari; sed supernaturaliter à Sp. S. per auditum Verbi cordibus electorum infundi, contra Pelagianos constans semper fuit fides Ecclesie Christiane. Nam *omne signum cordis humani tantummodo malum est omni tempore.* Gen. 6. v. 5. *Non potest arbor mala fructus bonos ferre* Matt. 7. 18. *aut caro subijci legi Dei*, Rom. 8. v. 7. *Homo animalis non cognoscit quae sunt Spiritus Dei, sunt ei stultitia*, 1 Cor. 2: v. 14. & *Nemo*, inquit Christus, *potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, Joh. 6. 29. *Fides non est ex nobis, sed donum Dei*, Eph. 2. 8. *Gratis datum est vobis in Christi negotio, credere in eum.* Phil. 1. v. 29. Vide etiam Eph. 2: v. 1. 2 Cor. 3: v. 5. Matth. 13. v. 11. Act. 16. 14. 1 Thess. 5. 23. Ezech. 36: 26, 27. Ille vero,

I. *Verba haec (infusa virtus, inflata virtus) dicit esse nomina insignificantia; sicut verba haec; Quadratum rotundum.* Leviath. cap. 4. p. 19. & c. 5. pag. 22.

Vide supra c. 18. Ass. 1.

II. *Fidem & sanctitatem acquiri studio & ratione non posse, sed supernaturaliter inspiratas vel infusas esse,*

esse, ait, *seditiosam esse doctrinam; & qui hoc sentiunt, apostatas esse à ratione naturali.* Lev. cap. 29. p. 152. C. c. 12. a. 6.

Contra loca modò allegata.

III. *Fidem & sanctitatem etsi raras, non ideo esse miracula; sed ab educatione, & disciplina, correctione, aliisque causis naturalibus procedere.* Leviath. cap. 29. pag. 153.

Resp. Ipse miracula in S. Script. vocari docet signa voluntatis Dei, eaque rara esse debere, ut si bos aut equus loqueretur; & ab operatione Dei immediata, L. c. 37. p. 403. Quamvis ergo fides & sanctitas modo supernaturali producantur in electis, miracula tamen dicenda non sunt: nam 1. non incurrunt in sensus, ut signa esse possint. 2. Non sunt ita raræ, ut si bos aut equus loqueretur. 3. Ordinariè non sunt opera Dei immediata, sed mediatè per ministerium verbi à Sp. S. in homine producantur.

IV. *Ex Scripturis per interpretationem rectam, cautamque ratiocinationem, præcepta & regulas ad scientiam officiorum nostrorum tum erga Deum, tum erga homines necessarias sine enthyasmo, aut inspiratione supernaturali facile depromi posse,* ait, Leviath. cap. 32. pag. 176.

Quorsum tum illæ Sanctorum preces? *Vias tuas, Iehova, notas fac mihi; semitas tuas doce me.* Psal. 25. 4. *Rege oculos meos, ut intuear mirabilia legis tuæ.* Psal. 119. 18. *Doceme, Iehova, viam statutorum tuorum; fac ut intelligam, ut custodiam legem tuam.* Ibid. v. 33, 34. *Det Deus vobis Spiritum sapientiae & revelationis per agnitionem ipsius, & illuminentur oculi cordium vestrorum, ut sciatis &c.* Eph. I. v. 16, 17, 18. Vide etiam Luc. 24: 45. Act. 16: 14. Deut. 29: 4.

V. *Homines ad pietatem, justitiam, misericordiam,*

veritatem, fidem, & virtutum genus omne, tam morale
 tum intellectuale, non aliter Deum disponere, quam per
 doctrinam, exemplum, aliasque vias naturales, &
 quotidianas, docet. L. c. 36. p. 200.

Nimirum non fecus, ac ad impietatem, injustitiam,
 crudelitatem, mendacia, infidelitatem, & vitiorum
 omne genus homines disponit Diabolus. Impiè! Vide
 Eph. 1: 19. Psal. 51: 12.

VL. Homines natura malos esse, concedi sine impie-
 tate non posse, contendit. C. in Præf.

Vide suprâ cap. 24. Ass. 1.

VII. Cum justitia & charitas (infidelium) virtutes
 sint morales, se (ait) iis assentiri non posse, qui eas ap-
 pellarunt splendida peccata. De Hom. c. 14. a. 7.

Resp. Quicquid non est ex fide peccatum est,
 Rom. 14. 23. & sine fide impossibile est Deo placere,
 Hebr. 11. 6. sed infidelium justitia, & charitas, alia-
 que virtutes morales non sunt ex fide: nam sunt infi-
 delium; ergo peccata sunt; sed quia veræ justitiæ &
 charitatis fidelium externam speciem habent, rectè
 splendida peccata appellantur.

In his omnibus superat ipsum Pelagium.

Neque secum convenit: cum ait L. c. 26. pag. 136:
 Credere animi actum esse, non à Deo jussum, sed factum,
 quem, quando & quibus vult, Deus dat negatque. Et
 c. 6. pag. 8. In electis sanctis Joannis Sp. S. personam
 Dei gessisse, scribit. Et c. 44. p. 300. Deum facere in
 celo & terra quicquid vult, in cujus manu sunt corda
 hominum omnium, qui in hominibus operatur tum factu-
 retum velle, & sine cujus gratia libera nemo habet ne-
 que inclinationem ad bonum, neque resipiscenciam à
 malo.

Nimirum locis prioribus agit de obedientia civili;
 quare nequis inspirationem propriam præponeret le-
 gibus Civitatis (quod esset judicium boni & mali sibi
 arro-

arrogare, neglectisque legibus, regendos se præbere ab arbitrio proprio) ibi negandum erat, fidem & sanctitatem supernaturaliter inspirari vel infundi; sed studio & ratione acquiri. Sed loco proxime citato durum esse contendit, peccata reproborum punienda esse cruciatibus æternis; quare? *quis*, inquit, *sine Dei gratia libera nemo habet aut inclinationem ad bonum, aut resipiscenciam à malo.* Ita ludunt profani in rebus adeo sacris.

L O C U S XIV.

De persona & officiis Christi Mediatoris.

C A P U T XXVII.

De Persona J. Christi.

Postquam quæ Adversarius docet circa Regnum Dei per pactum legale expendimus; sequitur, ut jam quæ circa Regnum Dei per pactum Evangelicum tradit à Religione Christiana aliena, similiter producamus, & ad veritatis normam paucis examinemus. Foederis hujus Mediator est D. N. J. Christus, 1 Tim. 2. 5. æternus Dei filius, modo incomprehensibili & ineffabili ab æterno à Deo Patre genitus, verus & æternus Deus, Deo Patri $\epsilon\pi\alpha\upsilon\sigma\tau\omicron\varsigma$, Ps. 2. 7. Mich. 5. 1. Rom. 9. 5. Col. 1. 15, 16. 1 Job. 5. v. 24. Job. 17. 5. simul in eadem $\epsilon\pi\omega\varsigma\delta\omicron\sigma\alpha$ verus homo, in plenitudine temporis sine patre ex beata Virgine

Virgine operatione Sp. S. genitus, *Luc. 1. 35.* adeoque verus Immanuel, *Jes. 7. 14. Matt. 1. 23.* ἱεραρχῶν, ut Deus-Homo Mediator esset inter Deum & homines. Quæ de Servatore nostro in Epistolis Paulinis clarè & exsertè legi, apertè fatentur ipsi Muhammedani. *Hoornb. Summ. Controv. pag. 141.* dictus λόγος θεῶν (Verbum Dei) *Iob. 1. v. 1. I. Iob. 1. v. 1. Apoc. 19. 13.* tum quia est æterna Dei Patris Sapiencia ἡ σοφία τοῦ πατρὸς, *Prov. 8.* tum quia per ipsum Deus Pater jam a principio mundi sese revelavit hominibus, *Iob. 1. 18.* Vide *Gomar. in cap. 1. Iob.* Ille vero

I. Christum esse docet Deum & hominem: quia est homo, quem Deus ab æterno supernaturali modo per Sp. S. voluit producere; homo, inquit, qui potest facere omnia, quæ vellet. *App. c. 1. p. 339.*

Nota bene; omnia quæ vellet, non omnia, quæ fieri possunt absolutè; cum ipse dicat Christus *Joh. 5. 19. Quæcumque pater facit, filius pariter facit.* & *Apost. Phil. 3. 21.* quod vi sua efficace possit sibi subjicere omnia.

Est hoc revera Christum verum & æternum Deum, Deo Patri ὁμοῦσιον, esse negare, & unam in illo tantum cum Arianis & Socinianis humanam naturam agnoscere, sed secundum æternum Dei decretum modo supernaturali a Sp. S. productam, contra loca citata.

II. In Symbolo Niceno Christum dici, ait, genitum non factum: quia genitus est ab ipso Deo Patre ex materia Virginis. *Ibid. p. 333.*

Dicit Symbolum, Christum genitum esse ex Patre ante omnia secula; genitum non factum, Patri ὁμοῦσιον; sed Christus quatenus a Deo Patre productus est de materia Virginis, dici non potest genitus esse ex Patre ante omnia secula, *Gal. 4. 4.* nec Deo Patri ὁμο-

ὁμοῦσι. Non ergo Symbolum dicit Christum genitum, non factum, uti sua illa assert. Hobbes contendit.

III. Verbum in lingua sacra sæpe accipi dicit pro ipsa re, quæ decreta est, vel promissa; & locum (Joh. 1.) ita intelligendum esse. Nihilque se circa mysterium Incarnationis quærere amplius velle. Ibid. pag. 332.

Deum esse Filium ex eo, quod Virgo illum ex Sp. S. id est, ex Deo conceperat. Imo Deum ab æterno esse, etsi nondum carnem induisset: nam de eo, quod ab æterno decreverat (cui omnia sunt præsentia) loqui Deum sæpe numero tanquam de præsentis. Leviath. cap. 46. pag. 317.

Verbum Dei appellari Christum; quia à principio promissus. In principio apud Deum fuisse: nempe quia venturum illum ab æterno decreverat Deus, & assumpturum carnem humanam. Eodem sensu Joh. Epist. 1. appellare eum Verbum vita, & vitam æternam, quæ erat apud Patrem; & in Apocal. 19. 13. Nomen ejus esse Verbum Dei; quasi diceret; Hic est, quem venturum Deus ab æterno decreverat, & in principio mundi promiserat. Leviath. cap. 36. pag. 196. App. cap. 3. pag. 364.

Quasi non etiam de omnibus & singulis hominibus ab æterno decreverit Deus, illos suo quemque tempore nascituros, qui tamen ideo, ab æterno esse, & in principio fuisse apud Deum verè dici non possunt. Et Johannem Baptistam venturum Deus ab æterno decreverat, & olim in V. T. per Prophetas promiserat, nec tamen ideo nomen ejus Verbum Dei est. Et quasi revera in sua persona ab æterno non fuisset necessariò, quem in principio mundum creasse S. Script. testatur, Iob. 1: vers. 1, 2, 3. Col. 1: v. 16, 17. Hebr. 1: vers. 2.

Ergo

Ergo illum post Arianos cum Socinianis negare D. N. J. Christum esse verum & æternum Deum, Deo Patri ὁμοῦσιον, reveraque extitisse, priusquam in utero Beatæ Virginis secundum carnem ex Sp. S. conciperetur, citata dubitare non sinit.

Qui pluribus orthodoxam fidem contra Adversarios assertam & vindicatam videre desiderat, adeat imprimis insignes *Iesue Placai Disputat. de argumentis, quibus efficitur, Christum prius fuisse, quam in utero Beatæ Virginis secundum carnem conciperetur.*

C A P U T XXVIII.

De Officiis Christi Mediatoris.

S E C T. I.

De Officio ejus Prophetico.

DOctrina, quam Christus qua Propheta prædicavit hominibus, vel per se vel Apostolos suos, procul dubio habuit vim obligandi omnes ad fidem & obedientiam, quibus illam annuntiavit: nam si per Angelos dictus sermo fuit firmus, omnisque transgressio & inobediensia justam mercedis retributionem retulit: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum primùm enarrari cœpit per ipsum Dominum, ab iis qui ipsum audierant, fuit nobis confirmata: testimonium illis præbente Deo & signis & prodigiis &c. Hebr. 2. 2 - 4. Neque aliam docuit Servator viam salutis, aut modum redemptionis in N. T. quam in
V.T.

V. T. docuerunt Moses & Prophetæ. I Cor. 10. 3, 4.
Act. 15. 11. Ille contra,

I. Christum ipsum, inquit, potestatem nullam habuisse Legislatoris, sed invitatoris; neque leges, sed regulas vitæ solummodo nobis reliquisset.

Non leges reliquisset, sed regulas quasdam, quas unusquisque vel accipere possit, vel negligere absque iniustitia.

Doctrinam ejus neminem in hoc mundo obligare; sed consilium tantum esse. Leviath. cap. 42. pag. 246. &c.

Sic verba hæc: *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me; panitemini, baptizamini, custodite mandata, credite Evangelium, venite ad me, & similia, quæ Christus tanquam Propheta prædicavit, consilia esse non præcepta, non leges sed vocationem ad fidem.* C. c. 17. a. 9.

Resp. 1. Quem Deus in omnibus audire imperavit; cujusque doctrinam sibi annuntiatam non recipere, homines reos facit damnationis; & ex qua homines sunt judicandi; illa doctrina est obligatoria ad fidem & obedientiam; sed 1. Deus Christum in omnibus audire imperavit, Matth. 17. 5. *Hic est Filius ille meus dilectus ille in quo acquiesco; ipsum audite.* 2. Et Christi doctrinam sibi annuntiatam non recipere, homines reos facit damnationis, Deut. 18. 18, 19. Iob. 3. 36. Matth. 11. 20 -- 24. Marc. 6. v. 11. 2 Thess. 1. 8. Et 3. ex illa homines sunt judicandi. Rom. 2. 16. Ergo doctrina Christi obligatoria est ad fidem & obedientiam. 2. Procul dubio (etiam Hobbesio fatente) obligatoria fuit doctrina V. T. Moïsi & Prophetarum; sed extra eam Christus, ejusque Apostoli nihil docuerunt. Job. 5. 39. Luc. 24. 25, 26, 27. Act. 26. 22. 3. Quin doctrina Christi obligatoria est supra leges civiles, ut manifestè docetur, Act. 4.

19. & 5. 29. 4. Denique alibi ipse *officii Servatoris nostri summam fuisse*, scribit, *viam docere, & media omnia ad salutem & vitam eternam, non ut theoremata, sed ut leges, per auctoritatem divinam ostendendo, talem esse voluntatem Dei.* C. c. 17. a. 13. Hæc si summa fuit officii Servatoris, qui illius doctrina non est obligatoria? Plura vide supra *cap. 4. Ass. II. & 12. & cap. 7. Ass. 23.*

II. In V. T. *sacrificium hirci immaculati pretium redemptionis sufficiens fuisse ait: quia majus non postulabatur*; atque hanc fuisse viam salutis, quam in V. T. docuerunt Moses & Prophetæ. Sed in N. T. *mortem Christi similiter pro peccatis totius generis humani ideo satisfecisse: quia non amplius à Deo postulatum est*; atque hanc esse viam redemptionis, quam in N. T. docuerunt Christus, ejusque Apostoli. *Leviath. c. 41. pag. 227.*

Cum apertè salvari dicamur per gratiam J. Christi, quo modo salvi facti fuerunt fideles V. T. *Act. 15. 11. & Christus dicatur heri & hodie idem esse, & in secula; Hebr. 13. 8. & agnus ille mactatus jam inde a jacto mundi fundamento. Apoc. 13. 8. Et expressè dicit Apost. Non posse sanguinem taurorum & hircorum auferre peccata. Hebr. 10. 4.*

S E C T. II.

De Officio Christi Sacerdotali.

D. N. I. Christum quà *Sacerdotem in cruce sacrificio mortis suæ justitiæ Divinæ pro nostris peccatis plenissimè satisfecisse, tanquam Sponsorem nostro loco, fidei Christianæ indubitatum fundamentum est.* 1 Cor. 15. 1--3. *Notum facio vobis, Fratres,*
Evan-

Euangelium, quod euangelizavi vobis, quod & accepistis, in quo etiam statis; per quod etiam, si retinetis, quo sermone vobis euangelizaverim, servamini. Tradidi enim vobis imprimis quod & accepi; Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris secundum Scripturas. Nam quia iustitia Dei (quam non magis, quam seipsum abnegare potest) postulabat, ut peccata hominum, adversus infinitam suam Majest. commissa, secundum iustitiæ strictas regulas pro merito punirentur (Exod. 34. 7. Nab. 1. Rom. 1. 32. 2 Theff. 1. 6.) vel in ipsis hominibus peccatoribus (Gal. 3. 10) vel loco ipsorum in Sponsore idoneo (Heb. 7. 22. 1 Tim. 2. v. 5, 6.) hoc autem in hominibus ipsis factum nunquam est, aut fieri potest (Ps. 130. 3. & 49. 8, 9. 1 Tes. 3. 14. 1 Jer. 4. 4.) cum Deo reconciliari, peccatorumq; remissionem nunquam impetrare potuissemus, nisi nostro loco D.N.J. Christus tanquam Sponsor noster sacrificio mortis suæ plenissimè satisfecisset iustitiæ Divinæ. Rom. 3. 25. & 8. 3, 4. 1 Tes. 5. 5. 2 Cor. 5. v. 21. Eph. 1. 7. 1 Tim. 2. 5, 6. Econtra Adversarius,

I. Si homo, inquit, injurias sibi illatas remittere sine iniustitia potest, nulla exacta pœna; nulla causa est, quare non possit Deus peccatoribus saltem pœnitentibus, sine ulla ipsorum, aut aliorum pro ipsis accepta pœna ignoscere. De hom. c. 14. a. 6.

Resp. Causa est: quia postulat veritas & essentialis iustitia Dei Iudicis (quam non magis, quam seipsum, abnegare potest, 2 Tim. 2. 13.) ut hominum peccata vel in ipsis, vel ipsorum loco in Sponsore idoneo pro merito puniantur: nam hoc jus Dei est, ut qui talia faciunt digni sint morte, Rom. 1. 32. An Iudex totius terræ non exerceret jus? Gen. 18. 25. Et qui mentiri non potest, maledictum pronunciavit, qui

non præstiterit verba legis hujus faciendo ea, Deut. 27. v. 26. & ideo Deus dicitur nullo pacto absolvere fontem. Exod. 34. 7. Nam Deus Zelotes & ultor est Iehova, ultor est Iehova, & æstuans; ultor est Iehova in hostes suos, & æsservat iram in inimicos suos, & ullo pacto non absolvit. Nahum. 1. 2, 3. Vide etiam Rom. 3. 5, 6, 24, 25. Homines privati injurias sibi illatas remittere obligantur, Deoque ultori vindicandas relinquere: quia injurias ulcisci solius Dei est. Rom. 12. 19. Deut. 32. 35. Hebr. 10. 30. & ipsius nomine Magistratûs. Rom. 13.

II. *Servatoris nostræ mortem negat fuisse peccantium pœnam; sed pro peccatis sacrificium, hoc est, peccantium sese ad Deum convertentium, & ad obedientiam pristinam redeuntium signum esse, ait Ibid.*

Cum disertè contrarium apertis verbis testetur Iesaias, c. 53. 4--8. & Apostolus 2 Cor. 5. 21. 1 Pet. 2. 24. Et quî mors Christi pro peccatis sacrificium fuit, si non fuit in illo tanquam Sponsore pœna peccantium? nec de sacrificio mortis Christi intelligi potest, quod fuerit ipsius, aut peccatorum se convertentium signum.

III. *Pretium redemptionis nostræ esse, ait, quicquid Deo imponere visum erit. Lev. c. 38. p. 217.*

Tum si Deo visum fuisset, per victimas legales peccata expiari potuissent; aut etiam remissio eorum impetrari absque sanguinis effusione, quod utrumque apertis verbis negat Apostolus, Hebr. 9. 9, 22. aut sanguinis effusione alterius quam Filii Dei, contra Rom. 8. 3. 1 Iob. 1. 7. Eph. 1. 7.

IV. *Per restitutionem aut compensationem peccatum tolli posse, negat Ibid.*

Resp. Ubi est alicujus à peccato redemptio intercedente pretio, demerito peccati proportionato, ibi est peccati sublatio per compensationem; sed nos ita per

per Christum à peccato redempti sumus, ut liquet *Math. 20. 26. Actor. 20. 28. 1 Tim. 2. 6. 1 Petr. 1. 18, 19. Rom. 8. 3.* Hoc ergo si factum est, qui fieri non potuit?

In Belgico additur hæc ratio: *quia tum libertas peccandi res esset, quæ vendi posset.*

Mirum: cum ipse multam pecuniariam, lege civili definitam, privilegium peccandi esse doceat, sive exemptionis à lege pretium, L. c. 28. p. 148. Et quasi idem essent, libertatem peccandi vendere, & reatum peccato contractum redimere.

V. Deum docet peccatori jure ignoscere aut gratis, aut pœna quantulacunque redimere posse, quanquam illum punire minatus erat: cum etiam apud homines etsi promissio boni promissorem obliget; mina tamen, id est, promissio mali neminem obligat, multo minus Deum, cujus misericordia est infinita. *Ibid.*

Resp. 1. Ne jam dicam, quam insolenter ab illo minæ appellentur promissio mali; cum promissio boni à Deo facta proveniat ex gratuita ipsius benevolentia; comminatio autem ex naturali ejus justitia, si promissio boni obligat Deum (ut hîc ipse fatetur) multo magis eum obligabit sua comminatio. 2. Nec minus infinita est Dei justitia essentialis, & veritas illius immutabilis, quam misericordia illius infinita est. In nostri redemptione per mortem Christi utramque manifestam fecit; infinitam suam misericordiam, quod hoc pacto nos miseros peccatores sibi reconciliare dignatus fuerit; justitiam suam infinitam in morte Christi Sponsoris pro nobis. *Rom. 3. 25.*

VI. Servatorem ergo nostrum, ut nos redimeret, non ita pro peccatis hominum satisfecisse ait Patri suo, ut punitio peccatorum propter eam rem injusta esset. *Ibid.*

Resp. Pro quorum peccatis Christus ita satisfecit,

ut nulla ipsis sit amplius condemnatio, pro eorum peccatis ita satisfecit, ut eorum puniatio esset injusta; sed pro fidelium peccatis ita Christus satisfecit, ut jam non sit condemnatio iis, qui sunt in Christo I. Rom. 8. 1. Quis jam intentabit crimina adversus electos Dei? Deus justificat. Quis condemnet? Christus mortuus est. Ibid. v. 33, 34.

VII. Christum ait pretium redemptionis solvisse, non ut pro peccatis hominum unius hominis mors, quam justissimi, secundum justitiæ strictas regulas posset satisfacere; sed quia, quod Deus summè misericors in pretium redemptionis lege postulaverat, illud Christus præstitit. L. c. 41. p. 226.

Resp. Quod Deus ex justitia sua lege postulavit ab homine peccatore, fuit maledictio, Deut. 27. ab hac nos Christus liberavit, factus maledictio pro nobis, Gal. 3. 13. Et quod Deus à Christo Mediatore postulavit in pretium nostræ redemptionis, & olim sacrificiis legalibus præfiguravit, fuit mors Christi, Ies. 53. 10. quæ satisfacere potuit pro omnium electorum peccatis: quia illa fuit non $\text{ἡ μὲν ἀποθνήσκουσα}$, sed ἡ ζωοποιουσα , in eadem persona veri & æterni Dei. Act. 20. 1 Iob. 1. 7.

Sed cum hæc in Socinianis abundè ab aliis refutata legi possint, iis hîc diutius immorari, esset oleum & operam perdere. Vide imprimis *Triumphum crucis Essensii contra Crellium*.

SECTIO III.

De Munere Christi Regio.

QUæ de illo docet Hobbefius, ex ejus scriptis enotavimus, refutavimusque supra Cap. 19. De

De Regno & Fœdere Dei. Quò ergo Lectorem remittimus.

L O C U S XV.

De Beneficiis Christi.

C A P U T XXIX.

De Vocatione.

Quamvis peccatum infidelitas sit, quâ per Euangelium vocati neque credunt, neque respiciunt, liquet ex iis, quæ disputavimus *supra cap. 9. de Fide.*

Ille contra, *infidelitatem illam, quâ vocati venire recusant, peccatum esse negat, aut puniendam. C. c. 17. a. 9.*

Nam verbum hoc Christi & Apostolorum (*credite & respicite*) consilium esse contendit, non præceptum. *L. c. 25. p. 126. C. c. 17. a. 9.*

Proinde qui per Euangelium vocati venire recusant, peccare tantum contra prudentiam, non legem aliquam. *L. c. 26. p. 136.*

De quibus vide *supra cap. 4. Ass. 12. & cap. 7. ass. 23. & c. 20. Ass. 8. & cap. 22. ad 1. Præc. Ass. 4.*

C A P U T XXX.

De Justificatione.

Docet Servator, docent in Scriptis suis Apostoli, hominem peccatorem in iudicio Dei, gratis

sola fide in Christum, absque operibus legis justificari: Vide *Luc. 15. & 18. Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. Tit. 3. v. 5.* Fidem intelligunt non generalem sive historicam tantum; sed specialem illam, quâ verè fideles Christum Mediatorem, sive perfectissimam illius justitiam, ab illo vice nostri præstitam, & à Deo in Evangelio oblatam, cum fame & siti spirituali justitiæ, ex peccatorum suorum, & condemnationis sensu, devoto corde sibi recipiunt, & applicant, *Gal. 2. 20.*

Ille cum Socinianis *nos fide justificari docet illa tantum historica, qua credimus, Iesum esse Christum (quod credunt etiam Muhammedani) atque obedientia, sive observantia legum, eaque imperfecta (quod veluimus, quod conati fuimus legem implere, & quod peccata nostra condemnavimus) non legum Divinarum (ut quas per se vim obligandi nullam habere censet, vide supra cap. 4. de S. Script. & c. 20. de lege in gen.) sed legum civilium. Leviath. cap. 43. pag. 287. C. cap. 18. a. 12.* In quo deterior est Socinianis: quippe qui hic præceptorum Evangelicorum observantiam intelligunt.

Secundum hoc Evangelium justificari coram Deo possunt Muhammedani quâ tales non minus, quam Christiani; siquidem illi etiam possunt leges suas civiles implere conari. Vide supra *cap. 7. ass. 26. & cap. 8. Assert. 1. & 2. & Hoornb. Soc. confut. Tom. 2. lib. 3. cap. 2.*

CAPUT. XXXI.

De Pœnitentia & bonis operibus.

S E C T I O I.

De Pœnitentia.

Pœnitentia est, qua peccata agnoscimus, agnita deploramus, & fiducia in Dei misericordia & Christi merito de remissione peccatorum nos erigimus, cum firmissimo a peccatis abstinendi & Deo obediendi proposito. Pœnitentia ergo consistit
 1. In dolore secundum Deum; 2 Cor. 7. 10. 2. Fide in J. Christum, Hebr. 11. 6. Act. 16. 31. 3. Nova obedientia, Act. 2. 38. Ut primò existat dolor de peccatis, deinde fides in Christum ad remissionem peccatorum, denique nova obedientia sive emendationis propositum. Quæ omnia peccatorum agnitionem, quæ est ex sola lege divina (Rom. 3. vers. 20.) præsupponunt. Remissio autem peccatorum, sive absolutio à peccatis, ipsa fide in Christum Servatorem comparatur; neque illa fide recipitur, nisi peccatorum confessio, quæ coram solo Deo necessaria, antecesserit, 1 Iob. 1. vers. 9. Prov. 28. vers. 13. neque hæc vera est, nisi ex corde contrito proveniat. Proinde dolor de peccatis, sive pœnitentia necessario peccatorum confessionem antecedit, non sequitur, ut liquet Luc. 15. in Filio prodigo. Econtra Adversarius,

I. *Pœnitentiam negat in dolore consistere. C. cap. 18. art. 3.*

Cum disertè Apostolus *ad resipiscentiam salutarem* requirat *tristitiam secundum Deum*, 2 Cor. 7. v. 10. dicitur enim *pœnitere quasi pœna teneri*; ob rem aliquam à se factam aut prætermittam animo angust. Ovid. l. 1. de Ponto;

Pœnitet, & factò torqueor ipse meo.

Pœnitentiâ ergo salutaris est affectus doloris spiritualis ob commissa peccata. Est (ut ait Ambrosius) *præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere*. Et juxta Alium, *pœnitenda non admittere, & admissa deslere*. Bernardus, *Verus*, inquit, *pœnitens semper est in labore & dolore, dolet de præteritis &c.* quod apertum est in exemplis pœnitentium in S. Script. *Jud. cap. 2. 2 Sam. 12. Ps. 51. 2 Chron. 33. Jon. 3. Luc. 7. 37. Matt. 26: Act. 2. 37.* Quin pœnitentiâ passionem quandam animi esse, quæ veniat de offensâ sententiæ prioris, naturâ tenus norant homines cœci sine Domini lumine, teste Tertull. *in lib. de pœnit.* Omnium ergo testimonio & vero (ut ait Luther. Tom. 1. disp. 1. de pœnit.) pœnitentiâ est dolor de peccato. Solus Hobbes pro authoritate suâ pœnitentiâ negat in dolore consistere.

II. Negat etiam, *veram pœnitentiâ antecedere confessionem*; *sedeam sequi*, contendit.

Nam negat, *quenquam scire posse, se peccasse, nisi actiones suas ante fuerit confessus coram legis Interprete, cujus est judicare, an quod factum est, contra legem factum sit, nec ne: non enim judicem esse unumquemque facti sui, an sit peccatum.* Quod si *acquiescat peccator*, *statuatque non amplius facere, pœnitentiâ esse.* C. c. 17. a. 24. Ecce confessionem ante pœnitentiâ.

Quasi

Quasi 1. nemo, absque alio legis Interprete, scire posset, an, quod facturus sit aut fecerit, sit contra leges nec ne. Quis tum revera peccati reus esse potest, qui antè scire non potuit, quod fecit contra legem esse? quæ ignorantia facti cum sit, non affectata, sed necessaria & inevitabilis, excusat; cujus ergo poenitentia esse non potest. 2. Actiones suas confiteri coram legis Interprete, qui de illis judicet, an contra leges sint nec ne, non est peccata sua confiteri; sed de actionibus suis alium consulere, an peccata sint. 3. Et quam falsum sit, non esse unumquemque judicem facti sui, liquet Zephan. 2. vers. 1. I Cor. 11. 28, 31. Rom. 2. 15.

III. Negat etiam, *fide remissionem peccatorum obtineri*. Ibid.

Cum passim videamus, ab Apostolo nostri justificationem, seu remissionem peccatorum nostrorum, fidei tribui. Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. Act. 10. v. 43. liquet idem Joh. 3. 16. & alibi passim.

IV. Pastores, contendit, *habere potestatem peccata absolutè & verè remittendi*.

Sic, *judicare an sit peccatum, pertinere ad legis Interpretem, id est, ad Judicem summum; peccatum remittere, ad Pastorem*.

Resp. Cum remissio peccatorum obtinenda pendeat a verâ fide & poenitentiâ peccatoris (Vide Aff. præc.) an autem verè & ex animo credam nec ne, nemo sciat nisi solus *Καρδιωγνώστης* Deus; nemo etiam præter solum Deum peccata ita remittere potest verè & absolutè. Quare (etiam ipso Christo ad stipulante) rectè illum hominem blasphemum esse censuerunt Pharisei, qui sic peccata remittendi potestatem sibi arrogaret, Matt. 9. v. 3--6. Vide Jac. 4. vers. 12. Jes. 43. 25. Ps. 130. 4.

S E C T I O II.

De bonis operibus.

Moralem illorum bonitatem, palam est, consistere in eorum cum lege Divinâ convenientiâ in ordine ad gloriam Dei : nam sola lex Divina norma est actionum humanarum, *ſac. 4. verſ. 12.* & gloria Dei earum finis eſſe debet, *1 Cor. 10. verſ. 31.*

Ille bonitatem actionum moralium conſiſtere ſtatuit in eo, quod ſint in ordine ad pacem; malitiam, quod ſint in ordine ad diſcordiâ. C. c. 3. a. 32.

Nam primam & fundamentalem legem naturæ eſſe; quærendam eſſe pacem, ubi haberi poteſt; ubi non poteſt, quærenda eſſe belli auxilia. Cæteras ab hæc derivari, præcipereque vias vel pacis, vel deſenſionis acquirende. C. cap. 2. art. 2.

Proinde fidem, juſtitiam, gratitudinem, miſericordiam, modeſtiam, æquitatem, humanitatem, bonos eſſe mores, ſeu virtutes morales: quia ſunt media ad pacem neceſſaria; è contrâ peccata non ſervare, injuriam, ingritudinem, crudelitatem, contumeliam, ſuperbiam, immodeſtiam, acceptionem perſonarum &c. malos eſſe mores, ſeu vitia moralia: quia ſunt contra pacem. C. c. 2. & 3.

Quaſi non multa eſſe poſſent in ordine ad pacem, quæ tamen ſunt contra legem & gloriam Dei. Matt. 12. v. 26. & multa legi Divinæ conformia & in ordine ad gloriam Dei, unde diſcordiæ oriuntur. Matt. 10. Vide ſupra cap. 20. Exerc. 2. & ſubjunctas Exercitt.

EXER-

EXERCITATIO I.

Ad Art. 8. c. 3. de Cive.

De Beneficentia & Gratitude.

Bonitatem moralem virtutum moralium, seu bonorum operum, non in eo formaliter consistere, quod sint in ordine ad pacem; & contra vitiorum malitiam moralem in eo, quod sint in ordine ad discordiam, supra in genere disputavimus c. 20. *Exercit. 2. Et hoc cap. Sect. 2.* paucis designavimus. Illud jam fusius experiri in quibusdam (quas enumerat c. 3. de C.) virtutibus moralibus in specie, operæ prætitium duximus. Et primò quidem de *Gratitude* agemus: nam de *fide*, & *justitiâ*, eique opposita *Injustitiâ* sive *Injuria*, superius egimus ad 8. & 9. *Præceptum.*

De illâ docet (*loc. cit.*) *Legis naturalis præceptum esse; Ne cum, qui fiducia tui tibi prior benefecerit, eam ob rem deteriori conditione esse patiaris, sive ne accipias quisquam beneficium nisi animo nitendi, ne datum dati merito peniteat.* Nam absque hoc, inquit; contra rationem faceret, si quis, quod periturum videt beneficium, prior contulerit.

Et L. c. 15. p. 75. *Nemo enim dat, inquit, nisi ut bonum sibi aliquod acquirat: quippe voluntaria est donatio; objectum autem omnium, quæ à voluntate fiunt, altiorum est (NB) proprium cujusque bonum, cujus si homines se frustratos fore præviderent, nullum esset aut benevolentiae, aut fidei initium.*

Et C. l. cit. *Id enim si fiat (hoc est nisi rependas ei, qui dedit prius) omnis sublata erit inter homines beneficentia & fiducia, unaque omnis benevolentia, neque esset inter eos quicquam mutuae opis, nec ullum gratiæ consiliandæ initium: ex quo status belli necessa-*
rio

rid mansurus esset, contra legem naturæ fundamentalem.

Resp. Contra legem naturalem esse *ingratitude-
nem*, nemo ambigit: nam uti ingratitude nihil mali non inest, & ingrato homine terra pejus nihil creat; sic Grato animo nihil honestius est; omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes con-
clamabunt; in omni judiciorum diversitate, referendam bene merentibus gratiam, omnes uno ore affirmabunt; in his discors turba consentit, ut præclare disse-
rit Seneca Epist. 83. Imo innatum esse ipsis peccatoribus gratitudinis sensum, indicat Servator, *Luc. 6. v. 32. Matt. 5. 47.* Ergo legis naturalis præceptum esse, concedimus; *Ne accipiat quisquam beneficium, nisi animo nitendi, ne dantem dati merito pœniteat.* Hoc ergo non est quod hîc quæritur; verum. 1. *An semper ille, qui beneficium accepit, præsumere debeat, eum, qui prior beneficium contulit, id spe beneficij recipiendi fecisse; sive An recte dicatur beneficus esse, non qui alterius sed sui ipsius causa beneficium confert in alium; seu qui fiducia (uti loquitur) ejus, cui benefacit, hoc est, spe recipiendi prior benefacit? 2. An gratitudo non sit eligenda per se, sed propter metum, ne omnia in bellicum statum relabantur, quod dicit futurum, ni illi, qui beneficia acceperunt, se gratos præstent erga beneficos? Utrumque statuit Adversarius, ut ex citatis liquet. Nos contra statuimus,*

1. Beneficia conferenda esse non spe lucri alicujus recipiendi ab eo, cui benefacimus, sive utilitatis propriæ causâ; sed ut illi, cui gratificari volumus, aliquid boni contingat.

Nam. 1. Si Deum respiciamus, qui modo perfectissimo est beneficus, & in cujus imitatione perfectio virtutis consistit, illè in creaturas suas, & imprimis in nos homines beneficia confert innume-
ra;

ra, non fiducia nostri, five spe recipiendi à nobis boni alicujus: nam 1. tot ac tanta sunt ejus beneficia, ut rependi à nobis non possint. Ps. 116: 12. & 40. v. 6, & 8. 5. & 71. 15. 2. Nec boni quicquam habemus, quod ad illum pertingat, qui omnis boni ipse fons est, *וְיָיָהוָה אֱלֹהֵינוּ*, sibi abundè sufficiens, juxta quod de Natura Lucret. *Ipsa suis contenta opibus, non indiga nostri.* Quo sensu Plato Deum appellat *ἀναίδειον*, nullius indigum. Job. 22 vers. 2, 3, *An Deo prodesse potest vir? quin potius prodest sibi ipsi intelligens; an oblectationi est Omnipotenti, quod justus es? aut lucro, cum integras facis vias tuas?* item c. 35. 7. Ps. 16. 2. Rom. II. v. 35. nec tamen præter rationem facit Deus, cum beneficiis suis nos obruit. Quin imprimis in eo elucet Dei beneficentia, quod eam præstet non tantum erga justos & gratos, verum etiam pravos & ingratos, *Matt. 5. v. 45. Luc. 6. 35.* quod exemplum Dei nos imitari jubet Christus, additque si benefici tantum sumus erga diligentes nos, spe recipiendi, nullam nobis repositam esse mercedem apud Deum; neque illam Christianorum, sed Publicanorum esse beneficentiam. 2. Quin expressè monemur, spe non recipiendi benefacere, *Luc. 6. 30. Cuius petenti abs te dato; & ab eo, qui tollit res tuas, ne repetito.* Ubi *ἀραιῶν* (tollere) non est *ἀφαιρῶν* (per vim auferre) illud enim repetere licere, extra dubium est; sed *sumere, accipere* ab aliquo; ut in illo Homeri, *ἀραιῶναι μισθὸν* (mercedem accipere). Quo ergo Servator jubet mutuo dare, & non repetere, quod est spe non recipiendi benefacere. Item v. 34. *Si mutuo dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ χάρις (gratia) est vobis? hoc est, quæ vestra in eo est liberalitas & beneficentia; nam χάρις (desinente Arist.)*

Arist.) est, per quam, qui habet, dicitur gratificari indigenti, non ut aliquid sibi reddatur, aut utilitas ex eo obveniat; sed solum, ut illi, cui gratificari vult, aliquid boni obtingat. Diserta sunt etiam verba Servatoris v. 25. *Diligite inimicos vestros, & iis benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes.* 3. Quis dicat, præter rationem fecisse Servatorem, qui cum in hac terrâ versaretur, multis beneficiis prosequutus est eos, à quibus non ignoravit, se non tantum nihil boni recepturum esse, sed omnibus modis crudeliter habendum? Act. 10. v. 38, 39. Neque destitit beneficus esse erga Judam proditorem, quem tamen se proditurum & præscivit, & prædixit. 4. Jubemur benefacere iis, à quibus minima spes est aliquid recipiendi, ut pauperibus & peregrinis, Deut. 15. Levit. 25. v. 35. ubi notanda ratio istius mandati, quæ non est, ut rependatur tibi; sed *ut vivant*; alia datur, Jes. 58. *quia est caro vestra.* Imo expressè benefacere monemur iis, qui nihil habent, quod rependant. Luc. 14. v. 13, 14. 5. Plurimis locis S. Script. beneficentia commendatur, nec tamen unquam mentio fit lucri alicujus ab hominibus sperandi, cujus intuitu ad benefaciendum moveremur; quin damnantur, qui omiſſis pauperibus, benefici tantum sunt erga divites, Prov. 22. 16. quo non damnatur donum, sed dandi consilium, sc. quod tales spe recipiendi (hoc est, sui non proximi amore) hoc facere credantur. 6. His accedit, quod aliquando alios cum summâ molestiâ, damno & jactura beneficiis prosequi debemus, etiam cum dispendio vitæ propriæ, 1 Job. 3. 16. cujus exemplum habemus in Servatore, cui Jephtha quodammodo similis fuit, qui asseruit Israëlitas in libertatem, cum magno suo discrimine, quod ostendit ea, quam usurpavit, loquendi formula; *Posui animam meam in manibus meis,*

meis, id est, de vita periclitari non recusavi, *Iud.* 12. p. 3. 7. Nec locum haberet illud, *Act.* 20. *Beatius est dare, quam accipere*; si propter accipere esset ipsum dare.

Apæ ergo talem beneficentiam, qua homines prosequimur non secus, quam opiliones, bubulci, & subulci suos boves, oves, & sues curant, quibus dum pabulum sufficiunt, quæstum suum & lucrum tantum venantur, alioqui non facturi. Quid multis? ubicunque proximum diligere admonemur, jubemur non nostri, sed illius gratia benefacere illi: qui spe lucri recipiendi beneficus est in alium, ille non tam proximum, quam seipsum diligit; nec tam aliis, quam sibi gratificatur, quod contra naturam charitatis est, quippe quæ non tam suum, quam alterius bonum intendit. *I Cor.* 13. 3. & *Io.* v. 24. *Phil.* 2. v. 4. cui consonat *Aristot.* τὸ φιλεῖν (amare) definiens, *Velle alicui, quæ putat bona, idque illius, non sui causa, & paratum esse ad ea pro viribus efficienda.*

Ex quibus omnibus concludimus, quamvis præceptum naturæ sit, ut gratias referamus ei, qui prior benefecit; beneficium tamen minimè dicendum esse, qui spe recipiendi liberalis est. Rectè *Seneca*: *Mihi cæteris plus dedit, quamvis idem aliis dedisset, qui sine spe recipiendi dedit. Beneficia ergo danda sunt, non fœneranda: nam beneficia dare spe recipendi, non beneficium est, sed fœnus.*

Obj. Quod pereat beneficium, quod confertur ingrato; & præter rationem faciat; si quis, quod perituum videt beneficium, prior contulerit.

Resp. Nec perit ratione ejus, cui confertur: quia hoc pacto indigentia ejus succurritur. Nec ratione conferentis: nam 1. *Deus remunerabitur, Prov.* 19. v. 17. *Luc.* 6. v. 35. 2. *Voluptas conscientia inde enasci-*

enascitur, quâ nihil dulcius. Optimè Seneca: *Viri boni officium est, beneficium dare. Quare dat? ne non det, ne occasionem benefaciendi perdat. Vobis voluptas est, inertii otio assuefacere corpusculum &c. nobis voluptas est, dare beneficia vel laboriosa, dum aliorum labores levent; periculosa, dum alios à periculis extrahant.* de Benef. Et juxta Claud. *Ipsa quidem virtus pretium sibi.* Indignus quidem est homo ingratus, qui beneficium accipiat; non indignus beneficus, qui indigno conferat; quin tanto præstantior est beneficentia, quo spes recipiendi minor est, Rom. 12. v. 20, 21. Quod si omnino hæreat in suâ ingratitudine homo ingratus, nullâque ratione expugnari queat; tum concedo, non præter officium facturum esse beneficium, si homini tali aliquando beneficia subtrahat, modo non faciat odio, vel ultionis cupiditate impulsus; verum ut corrigatur ingratus, & ne beneficia, quæ Dei dona sunt. perpetuò contumeliis afficiat.

Sequitur alterum; *Angratitudo non sit eligenda per se; sed ne omnia in bellicum vitæ statum relabantur? sive Anratio formalis bonitatis hujus officii sit; quod sit in ordine ad pacem; è contrâ ingratitude malitiæ, quod sit in ordine ad discordiam?*

Sic Ille; Nam, inquit, *absque hoc* (sc. ne accipiat quisquam beneficium, nisi animo nitendi, ne dantem dati meritò poeniteat) *status belli necessarius mansurus est, contra legem naturæ fundamentalem.*

Sed 1. Lex illa fundamentalis illi est; *Pacem querere, ubi haberi potest; ubi haberi non potest, sui defensionem per bellum, hoc est, vim & dolum.* C. c. 2. art. 2. Unde non minus legis naturalis præceptum esset; nos ingratos præstare erga beneficos, si pax haberi non potest, propter nostri defensionem, *quana*

quam pacis gratiâ nos erga illos gratos præstare, si pax haberi potest. Qui ergo dicitur, ingratitude malitia in eo consistere, quod comparata sit ad statum belli? cur non aliquando moraliter bona esse defenditur (nempe si pax haberi non potest) propter necessariam sui defensionem, quam non minus ait præcipere legem naturæ fundamentalem, quam pacem quærere, ubi haberi potest? 2. Imprimis gratos nos præstare debemus erga Deum pro acceptis innumeris ab ipso beneficiis; an pacis gratiâ, sive ne status belli oriatur inter nos & Deum? Proinde si nulla pœna metuenda esset ingratis propter ingratitude suam; aut gratis non expectanda essent majora beneficia propter gratitudinem, tum ad gratitudinem erga Deum pro acceptis beneficiis nemo obligaretur? 3. Sæpe contingit, gratis ob gratitudinem præstitam evenire inimicitias, discordias, & rixas; V. Gr. cum Abel, ut se gratum præberet erga Deum, ex primogenitis ovium suarum sacrificium offerret Deo, eamque illius gratitudinem Deus acceptam haberet, eam ob causam Cain odio & invidiâ flagrans contra Abelem fratrem suum, illum occidit; verum si ad gratitudinem nemo obligaretur, nisi in ordine ad pacem, debuisset Abel, si scivisset, Cainum eam ob causam sibi offensum fore, pacis gratiâ illam suam gratiarum actionem ommittere, neque Deo grata fuisset; *Gen. 4.* Et Joseph, cum recusavit rem habere cum uxore Heri sui, quod illa instanter ab ipso postulabat, non minus eo revera gratum se præbuit erga illum, quamvis inde non pax illi, sed inimicitia fuerit, *Gen. 39. v. 8, 9.* Similiter Davidi grave bellum evenit ex gratitudine, quam per legatos suos deferebat ad Regem Ammonitarum, *2 Sam. 10.* an illa propterea vera gratitudo non fuit? Nec minus verè gratus fuit Naâman Syrus erga Elifzum Prophetam,

M m

phetam,

phetam, cum illius famulum donavit duobus talentis argenti, quamvis inde discordiæ natæ fuerint inter Prophetam & famulum suum, 2 Reg. 5. Et Rex Babylonæ ut se gratum præstaret erga Danielem, illum in domo suâ ornavit magno honore, quæ Regis vera gratitudo esse non desit, quia hoc in Principibus illius Regni Danieli magnam conflavit invidiam. Item Cæcus natus, pro visu sibi miraculose à Christo restituto, verè gratum se præstitit erga illum; hinc tamen rixæ multæ & discordiæ natæ fuerunt, Job. 9. Et qui nomen Christi palam profitentur, eo se gratos præbent erga Dominum; at hinc quam sæpe discordiæ, persecutiones, & bella oriuntur? Matt. 10. v. 21, 22, 34, 35, 36. Jam vero manifestum est, rei alicujus rationem formalem non in eo posse consistere, quod ab eâ, salvâ ipsius naturâ, separari potest.

4. Etiam innatus videtur quidam gratitudinis impetus brutis quibusdam, ut bobus, asinis, canibus, Ies. 1. 3. qui certè ex studio pacis, quam ignorant, nec curant, non provenit. 5. Proficisci debet gratitudo ex amore illius, qui nobis benefecit, sive Dei sive hominis; at si gratiæ referendæ essent tantum, aut præcipuè, pacis gratia, ne status belli eveniat, propter conservationem sui ipsius, juxta legem (quam vocat) naturæ fundamentalem, tum illa non ex amore benefici, qui beneficium dedit, sed sui ipsius, qui accepit, provenire deberet. 6. Grati-tudo consistit primariò, tum in agnitione beneficii accepti, quod *veritatis* est, tum in referenda bene merentibus gratiâ, quod *justitiæ* est; non ergo ratio bonitatis moralis gratitudinis in eò consistit, quod comparata sit ad pacem & amicitiam inter homines; & ingrati-tudinis malitia, quod sit comparata ad discordias & bellum; sed quod illa consentanea sit legi æternæ veritatis & justitiæ; hæc ei contraria.

EXER-

EXERCITATIO II.

Ad Art. 9. ejusdem cap.

De Commoditate, seu Humanitate.

Quartum, inquit, naturæ præceptum est, ut unusquisque se cæteris commodum præstet; qui legem hanc violat, incommodus & molestus dici potest; Cicero tamen commodo opponit inhumanum. Incommodum cæteris, & molestum esse dicit, qui præ ingenii asperitate, retentis superfluis sibi, necessaria aliis adimit, neque præ affectuum contumaciâ corrigi potest.

Quod legis naturalis præceptum (a. 7. c. 4.) colligit ex Prov. 3. 30. *Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit.* & c. 15. v. 18. *Vir iracundus provocat rixas, qui patiens est mitigat suscitatas.*

Hinc liquet, *incommodum, molestum, inhumanum* dicendum esse non tantum, qui retentis superfluis sibi, necessaria aliis adimit; sed unumquemque, qui in rebus aliis quibuscunque tantillum pacis gratia aliis cedere recusat. Ergo per *commodum* intelligere videtur, quod Apostolus appellat *τὸ ἐπιεικὲς*, Phil. 4. vers. 5. In quem locum Calvinus, *sensus est*, inquit, *quod jubeat eos potius cedere jure suo, quam ut de ipsorum acerbitate, vel rigore quisquam queri possit.*

Fatemur, præceptum esse legis naturalis, ut unusquisque se *commodum, humanum, æquum & facilem* præbeat aliis hominibus; quod ergo non est,

M m 2

quod

quod hic queritur ; verum. 1. *An jure faciat , si quis , ut necessaria ad sui conservationem consequatur , bellum suscipiat ?* sive (ut aliis verbis dicam) *An si quis in gravissima necessitate constitutus id , quod ad vitam suam necessarium est , sumat aliunde , jure facturus sit ?* si nempe ille , qui pro superfluis contra contendit , ea vel prima occupatione , vel justo pacto , vel alio modo sibi jure acquisivit ; & ille , qui sumit aliunde , hoc facit invito possessore. Docet Hobbes , jure facturum ; *Unusquisque* , inquit , *non jure modo , sed etiam necessitate naturali totis viribus in id incumbere supponitur , ut necessaria ad sui conservationem consequatur.*

Non ignoro , à multis receptam esse hanc sententiam , qui tamen in assignanda ejus ratione non consentiunt. 1. Quidam hujus suæ sententiæ rationem hanc reddunt ; quod rei dominus ex charitatis regulam egenti dare teneatur. 2. Alii , quod tali casu jus primævum , quoad rerum omnium communionem , intelligatur reviviscere. 3. Noster , quod unusquisque necessitate naturali totis viribus in id incumbere supponatur , ut necessaria ad sui conservationem consequatur. Verum rationum harum nulla videtur rem conficere. Non *prima* : quia alius jus non habet ad illud , quod ego ex charitatis regula ei dare teneor : nam alioqui etiam pauperes extra talem casum necessitatis jus haberent ad eleemosynas : quippe quas etiam extra talem casum ex charitatis regula iis dare tenemur. Non *altera* : quia supponit , fuisse aliquando statum hominum , in quo positivè jus fuit omnibus in omnia , quod supra refutavimus *cap. 17. in Exerc. ad art. 10. c. 1. de C.* Non *postrema* : quia non necessitas naturalis per se norma est juris & justè facti , sed recta ratio ; Vide *Ibid. ad art. 7.* Neque illi , qui hanc sententiam recipiunt ,

cipiunt, simpliciter & absolute ita statuunt, uti Hobbes; sed cautiones aliquas adhibere solent. 1. oportere esse extremam necessitatem. 2. ut prius omni modo tentetur, an non alia ratione necessitati subveniri possit; vel adeundo Magistratum; aut tentando, an rei usus à domino precibus obtineri queat, &c. 3. Nisi pari necessitate possessor teneatur; nam in pari causa melior est conditio possidentis. 4. ubi fieri potest, faciendam esse restitutionem. Vide Grot. de f. b. p. 116.

2. *An pax nudè & per se spectata sit ratio formalis, norma, & mensura hujus officii? juxta illud; Bonitatem actionum moralium in eo consistere, quod sint in ordine ad pacem.*

Siquis, inquit, pro superfluis velit contra contendere, illius culpa orietur bellum, &c. facit ergo contra legem naturæ fundamentalem de pace quaerenda.

Resp. Si pax per se spectata norma esset hujus virtutis, & ratio formalis, tum nunquam vitiosa esse posset morum facilitas, dummodo ad pacem comparata sit. Oportet quidem pacis ergo nos cæteris hominibus commodos præstare, sed non uti omnium horarum homines; verum quantum fieri potest salva semper veritate, Zach. 8. v. 19. justitia, Ps. 85. & sanctitate, Hebr. 12. 14. In iis decet, quæ nostri juris sunt; in reliquis autem, quantumvis bellum oriretur, oportet nos orthodoxiæ, veritatis, & justitiæ esse tenacissimos; & ne latum quidem unguem cedere iis pacis causâ, quibus pro erroribus suis contra contendere certum est. Ab Episcopis requirit Apost. ut sint æqui, faciles, & commodi, 1 Tim. 3. v. 3. illi tamen pacis studio non debent desistere à peccatis & erroribus hominum acriter redarguendis, 1 Tim. 5. 20. 2 Tim. 4. v. 2. Ezech. 3.

etiam Magnatum, uti olim magno cum zelo fecerunt Prophetæ; sed Hobbes hoc illos fecisse fingit: quia jus Regum illorum non intellexerunt; proinde iniquum esse, jura Regum exemplis ductis ab ignorantia vel doctrina Prophetæ oppugnari. Quam profane! Vide 2 Petr. 1. 19. 2 Tim. 3. v. 16. Quis negabit, Prophetas & Apostolos, aliosque Sanctos maxime fuisse æquos, humanos, & commodos? qui tamen pacis gratiâ nihil admiserunt, quod compertum habuerunt gloriæ Dei, suæque conscientiæ tranquillitati incommodare. De Mose dicitur, quod *omnium mortalium fuerit mitissimus*, Num. 12. 3: ille tamen pacis studio non omisit apud Pharaonem urgere exitum Israël ex Ægypto; neque cessit hominum seditiosorum voluntati in deserto. E contra Aarõnem graviter peccasse legimus, cum, ut se Israëlitis commodum præstaret, ipsorum idololatriæ morem gessit. An non optimi Dei Servi sæpenumero pacis publicæ turbones audiverunt, qui tamen (quantum per conscientiam potuerunt) in rebus aliis moderatissimi fuerunt? 1 Reg. 18. Amos 7. v. 10. Luc. 23. Að. 24. v. 5. Severissimè Deus reprehendit illos Doctores, qui ut pacis causâ sese populo commodos præberent, & tales haberentur, vitia populi, & imprimis Magnatum dissimulabant, Jes. 56. Jer. 6. Procul dubio supra omnes homines huic virtuti operam dedit Servator, qui tamen nunquam pacis gratiâ cessit contumaciæ Judæorum. Et S. Paulus pacis ergo cedere noluit, ne ad momentum quidem, irreptitiis falsis fratribus, qui irrepsertant ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in J. Christo, Gal. 2. 5. Prædixit Christus persequutiones, & bella Euangelii causâ; quis ideo dicet, Euangelium respuere hanc morum facilitatem & æquitatem, quâ pacis gratiâ aliis, quantum licet, cedere parati esse debe-

debemus? aut etiam morosos, inhumanos, incommodos, aut molestos dicendos esse, qui pacis gratiâ non dissimulant, aut abnegant Evangelium? Quare pax per se sola æquitatis & moderationis Christianæ norma & mensura esse non potest.

Privatæ quidem injuriæ æquo animo ferendæ sunt, & pacis causa quandoque in gratiam aliorum jure nostro cedere debemus; qui autem immoderato pacis studio omnibus commodus est cum detrimento veritatis & justitiæ, facit quod Christianum hominem minimè decet. Graviter Cyrillus in Apol. ad Imper. Theod. *Privatas injurias mussitandas; sed ad veræ fidei corruptelas nequaquam tacendum: in-tempestivi silentii Deo reddendam rationem; non dissimulandam veritatis defensionem: silentium de gloriâ Dei peccatum esse longè gravissimum.* Quæ scripsit Cyrillus, cum amici & Imperator existimarent, illum rixis non necessariis perturbare & distrahere Ecclesiam.

Denique & hîc notandum, quod Adversario lex naturæ fundamentalis sit, vel *pacem esse quærendam*, ubi haberi potest; ubi non potest haberi, *quærendam esse sui defensionem per bellum, vim & dolum*; ergo ubi pax haberi non potest, non minus legis naturalis præceptum esset, ut nos aliis hominibus præstemus incommodos, inhumanos, atque molestos, propter nostri defensionem; quam ut pacis gratiâ nos iis præstemus commodos, ubi illa potest obtineri.

EXERCITATIO III.

Ad Art. 10. ejusdem cap.

*De Misericordia, & remissione offense;
& num hujus officii bonitas moralis in eo consistat, quod sit in ordine ad pacem?*

LEgis naturæ quintum præceptum est, inquit, Oportere alterum alteri, sumpta cautione futuri temporis, præteriti veniam petenti & penitenti concedere. In margine hanc vocat legem naturæ de Misericordia.

Agnoscamus, legem naturæ præcipere Misericordiam; item actum Misericordiae esse, offensas remittere, Eph. 4. v. ult. negamus tamen, actum illum totam virtutem Misericordiae exhaustire: nam respicit illa quamlibet miseriam in alio, sive illa sit spiritualis, sive corporalis, quæ multiplex esse potest. Et Misericordis est, alteri in quacunque miseria constituto condolere & succurrere: recte Gregorius in Moral. Misericordia a misero corde vocata est, eo quod unusquisque intuetur quempiam miserum, & ei compatiens de dolore animus tangitur: ipse cor miserum facit, ut eum à miseria liberet, cui intendit. Non ergo in sola remissione offensæ misericordia consistit; sed (ut loquitur August.) in animi condolentis affectu, cum additamento beneficii erga alium in qualibet miseria constitutum. Unde nec remissio offensæ misericordia dicenda est, nisi ex animi miserantis affectu proveniat. Aristot. addit,

addit, esse erga miserum, qui isto malo indignus est; *ἔτι ἀνάξιός γε κολοῦνται*, ut loquitur Laert. in Zenone; quod sic expressit Cicero; *Misericordia est clementia ex miseria alterius injuria laborantis*. Quod non probo: minus enim miser est, qui indignè, quam qui dignè patitur: quippe quem peccatum bis miserum facit. *Estque pars poenam, quam meruisse, minus*. Vide *1 Petr. 2. 19, 20. & 4. 15, 16*. Ex quibus colligo 1. Remissionem offensæ non esse actum misericordiæ, nisi fiat ex animi condolentis affectu. 2. Quamvis ex illo animi affectu proveniret, totam tamen virtutem *Misericordiæ* non exhaurire, sed esse tantum partem ejus, quæ appellatur *Placabilitas*, cui affinis est *Mansuetudo*, *Patientia*, & *Longanimitas*; de quibus *Amei. Cas. p. 338*.

Duo porro requirit in eo, cui remissio offensæ, seu pax (hæc enim pro eodem sumit) concedenda est. 1. *Ut veniam petat, & poenitent*: *pax enim concessa inquit, non poenitenti, hoc est, animum hostilem retinenti, non est pax, sed metus*.

Decet quidem eum, qui injuriam fecit alteri, veniam petere; & poenitere; quod si tamen adeo pertinax est, ut hoc non faciat, sed animum hostilem retineat, nostrum tamen est. 1. Eum adire, monere, convincere, hortari ad recipiscentiam, meliorem mentem illi precari, *Levit. 19. Matt. 18. 2.* Quantum in nobis est, veniam & pacem concedere, sive vindictam privatam, aut (ut loquitur Hobbes) animum hostilem deponere, *Matt. 5. Luc. 23. Rom. 12. 1 Petr. 2.* Dices; monet Servator, ut poenitentibus & veniam petentibus ignoscamus, *Luc. 17. 3, 4.* & non poenitenti, sive animum hostilem retinenti remittere, non est pax, sed metus. Respondeo verbis Calvini in *Matt. 18.* ad similem objectionem. *Bisariam remitti peccata. 1. Si quis injuriam tibi fecerit, tu*

autem deposito vindictæ affectu, eum amare non desinis, quin & beneficium rependis loco injuriæ, quamvis de illo sinistre sentias, ut meretur; remittere tamen illi dicis: nam cum Deus hostibus nos bene velle jubet, non ideo protinus exigit, ut probemus in illis, quæ ipse damnat; sed tantum animos nostros omni odio vult esse purgatos. In hoc genere veniæ adeo non est expectandum, ut qui peccavit, ulro ad nos pacandos accedat &c.

2. Cum ita fratrem recipimus in gratiam, ut de eo rectè sentiamus, simusque persuasi, deletam coram Deo esse peccati ejus memoriam &c. Id quod fieri non potest, nisi poeniteat, & veniam petat.

Alterum, quod requirit in eo, cui venia concedenda est, est ut cautionem præstet temporis futuri.

Resp. Non videtur consentaneum charitati christianæ, hunc actum misericordiæ à tali cautione suspendere: non enim *charitas querit, quæ sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat.* 1 Cor. 13. 5, 7. Monet Servator, ut septies de die, imo 77. fratri ignoscamus, Luc. 17. 3, 4. Matt. 18. 21, 22. Unde non verisimile est, talem cautionem temporis futuri necessario præstandam, aut præstari posse ei, qui veniam delicti daturus est, quæ ipsum securum reddere posset in posterum: nam alioqui Christus à Petro interrogatus, quoties fratri delicti veniam concederet, dixisset; priusquam ignoscas injuriam, fac præster tibi cautionem temporis futuri, neque erit necesse de eo, quod queris, esse sollicitum. Et (quod notandum) nusquam in S. Script. hujusmodi cautionis mentio in hoc negotio, uti poenitentix, & veniæ petendæ. His accedit, quod talis cautio, quæ aliquem in posterum securum præstaret, videtur impossibilis: nam quæ erit illa cautio? an nuda promissio? sed illam, cum verba
tantum

tantum sint, docet nullam vim habere, præter eam, quam à publico naçta est gladio, a. 11. c. 7. unde sequeretur. 1. Neminem in statu naturæ obligari alteri ignoscere. 2. Aut in statu Civitatis, ubi Magistratus negligens est in faciendo officio. 3. Aut offensas minoris momenti, ut quas Magistratus non curat. An ergo juramentum? ast de illo ipse docet, quod nihil superaddat obligationi, quæ est ex pacto. a. 22. c. 2. An denique pignus aliquod? sed hoc accipere prohibet Deus severè in pecunia, vel cibo &c. pauperi mutuo datis, Deut. 24. 10-13. Job. 24. 3, 9. Ezech. 18; 12, 16. Exod. 22. 26, 27. Job. 22. 6. multò minùs Christianum decet, illud exigere ab eo, qui veniam delicti petit, injuriæque remissionem ei negare, nisi pignore aliquo ab illo securus reddatur in posterum.

Obj. *Qui futuri temporis cautionem non dat, non pacem, sed opportunitatem nocendi capiat.*

Resp. 1. Non temerè exigenda est ejusmodi cautio. 2. Aliud est non dare illam, aliud dare nolle; prius non arguit animum hostilem, nec posterius apodicticè. 3. Aliam rationem, quàm nos in posterum securos præstemus, indicat Apost. Rom. 12. 20, 21. 1 Pet. 3. 13.

Sequitur jam investigandum, Num bonitas moralis bujus officii pendeat ab eo, quod sit in ordine ad pacem; seu An obligatio ad hoc officium derivetur solummodo, aut saltem primariò à lege fundamentalì de pace quaerenda? Sic Ille ut de aliis, ita etiam de hoc officio statuit.

Nam, inquit, *venia præteriti, sive remissio offensæ nihil aliud est, quam illi, qui cum laceraverit ad bellum, factipænitens pacem orat, pax concessa. Cæterum qui pænitenti, & de futuro cautionem adhibenti nolit ignoscere,*

cere, ei pax ipsa non placet; quod est contra legem naturalem.

Non negamus, studium pacis suadere hoc officium; sed hujus officii bonitatem moralem formaliter in eo consistere, quod sit in ordine ad pacem. Nam 1. non tenetur qui læsus est, offensam remittere, nisi qui læsit restitutionem damni præstet, quamvis poeniteat, & cautionem temporis futuri præstare paratus sit. Exod. 21. 18, 19, 33, 34. & 22. 5, 6. Levit. 6. ad initium. Num. 5. 8. Philem. v. 18. Et per se iniquum est, ut quis ex culpa sua lucrum caperet. Hinc August. Epist. 14. ad Maced. *Quod in epistola tua sequitur, ubi dicis: verum nunc ut mores nostri sunt, & sceleris penam cupiunt omnes sibi relaxari, & id, propter quod scelus admissum est, possidere. Pessimum hominum genus commemoras, cui poenitendi medicina omnino non prodest: si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non reddatur, non agitur poenitentia, sed fingitur; si autem veraciter agitur; non remitteretur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quantum momenti huic restitutionis officio etiam coram Deo insit, ut qui proximum læsit, remissionem peccati sui ab ipso obtineat, ipse testatur, Ezech. 33. 14. Hinc videmus in Zachariæ historia, non prius Servatorem salutarem illius statum prædicasse, quam audisset hanc ab illo publicè factam sponsonem: Dimidium rerum meorum do pauperibus, & si quid abstuli, quadruplum ejus reddo. Luc. 19. Quin nec ipse Deus peccata remittit poenitentibus, nisi interveniente lytro, & satisfactione Sponsoris. Ergo fieri potest, ut quis poenitenti, & veniam petenti non ignoscat; nec tamen peccet contra legem naturalem de pace quaerenda. Et si semper peccarent contra illam legem, qui poenitentibus, & cautionem præstantibus nolunt ignoscere, tum contra illam legem naturalem peccarent*

rent Magistratus, cum fontibus poenitentibus, & cautionem præstantibus non ignoscunt. 2. Quod remissio offensæ opus sit moraliter bonum, non est primariò ex eo, quod ab affectu & studio pacis proveniat, sed ex affectu misericordiæ & charitatis fraternæ; nam potes ex affectu pacis alteri condonare, & tamen in eo peccare, si sc. non facias ex affectu charitatis, & ex animo. Quin D. N. J. Christus in ipso mortis articulo inimicis suis injurias, quibus ipsum affecerant, condonavit, *Luc. 23.* idem fecit Stephanus, *Act. 7.* & nos facere obligamur, & qui alios læserunt, piè solent ab iis in articulo mortis veniam petere, quod ex affectu pacis præcipuè non est credibile proficisci, aut hanc spectare jam jam morientes; sed tum ex charitatis affectu, tum salutis desiderio, quod sciant, illam remissionem ipsum Deum in cælo ratam habere, *Matt. 18.* Et Deo maximè proprium est, peccata nobis remittere, quod tamen non facis sui, hoc est (secundum Hobbesium) pacis causa, sed nostri causa ex affectu misericordiæ. *Num. 14. 19. Neb. 13. 22. Psal. 25. 6, 7. & 51. 3. Mich. 7. 18. Matt. 18. 25. Eph. 1. 7. & ex eodem affectu nos idem facere monemur, Eph. 4. 32.* Ergo offensas remittere moraliter bonum est propterea, quia legi charitatis consentaneum est. *1 Cor. 13. Matt. 7. 12.* Quod etiam facit, quod non satis sit, veniam petentibus condonare, verum etiam illos hortari debemus ad seriam resipiscentiam, Deumque pro illis precari, quod indicium est, non tam ex affectu pacis, quam misericordiæ & charitatis hoc officium proficisci debere: quare ubi in S. Script. ad hoc officium admonemur, non tam urgeri solet ratio illa à pace desumpta, quod procul dubio fieret, si præcipua aut formalis ratio hujus officii in ordine ad pacem consisteret; quam quidem à dilectione fraterna & misericordia. 3. Denique

nique fieri potest, ut aliquis benefactis alterius se lædi putet, & ille alter metu illius poenitentiam simulet, & quasi delicti veniam petat, exemplum habemus in Hizkia & Assyriorum Rege, 2 Reg. 18. 7, 13, 14. An ergo qui benefacti poenitentiam simulat, & qui poenitentiam simulanti pacem concedit, faciunt consentaneè legi naturali: quia hoc uterque facit studio pacis? non arbitror. Nec intelligo, qui offensas remittere poenitenti, actus misericordiæ dici queat, si ex studio pacis, hoc est, propter sui conservationem, non ex amore erga poenitentem fieri debeat.

EXERCITATIO IV.

Ad Art. 12. ejusdem cap.

De Contumelia; an illa sit contra legem naturalem præcipue: quia est in ordine ad discordiam?

Septimo loco, inquit, lege naturali præscriptum est; Nequis vel factis, vel verbis, vel vultu, vel risu ostendat alteri, se illum vel odisse vel contemnere. Cujus legis violatio Contumelia nominatur.

Id contra legem naturalem esse, probat: Quoniam signa omnia odii & contemptionis ad iram & pugnam maximè omnium provocant; adeo ut plerique vitam, nedum pacem amittere, quam contumeliam pati malint.

Fatemur, contumeliam, sive verbis fiat, sive factis &c. adversari legi naturali, eamque comparatam esse ad pacem turbendam: nihil quippe magis commo-
 mover

movet homines, & accendit iram ipsorum, quam contumelia; adeo ut ipsi viri pii, quique optima præditi sunt indole, vehementer afficiantur contumeliis, vituperio & dedecore conjunctis, Exemplum habemus in Hanna, 1 Sam. I. 6, 7, 8. in Davide, 1 Sam. 25, 13, 21, 22. cum v. 10, 11. habet enim (ut ait Cicero) quendam aculeum contumelia, quam pati prudentes, ac viri boni difficillimè possunt. Negamus tamen, ejus malitiam moralem formaliter in eo consistere, quod sit in ordine ad discordiam.

Nam 1. discordia est aliquid contumeliam consequens, eamque moraliter malam esse supponit: nam ob contumeliam sibi illatam homines rixari solent, quia illa injuriam sibi factam esse contendunt, 2. Varii sunt gradus delicti illius: aut enim probra, quæ jaciuntur in aliquem, peccata sunt, ut cum Simeï Davidem *virum sanguinis* vocat, 2 Sam. 16. quandoque non, ut si quis alicui exprobrat, quod sit *strumosus, claudus, cæcus.* &c. Rursus scelera, quæ alicui exprobrantur, vel occulta sunt, vel manifesta; vel vera sunt, vel falsa. Variat etiam gravitas contumeliarum ratione personarum, quibus & à quibus fiunt. Unde sequitur, malitiam moralem contumeliarum non in eo consistere formaliter, quod sint contra pacem; sed in ratione injuriæ, qua existimatio alicujus læditur, quod vel magis vel minus fit, prout probra vel magis vel minus comparata sunt ad existimationem proximi lædendam; personaque dignior est, vel minus digna. At discordia ex contumeliis resultat non pro ratione gravitatis hujus delicti, sed prout personæ, quibus illæ inferuntur, vel magis vel minus proclives sunt ad iram & rixas. Et docet experientia, plerumque illos, qui sibi malè conscii sunt, ob verbum contumeliosum magis tumultuari, quam solent illi, qui sunt integri vitæ scelerisque puri.

ri. 3. Malitiā morālis hujus peccati in eo consistit, quod sit contra legem charitatis, quæ jubet. 1. Non lædere honorem proximi *Prov. 10.* 2. Ita agere cum alio, ut ipsi nobiscum agi volumus, *Matt. 7. v. 12.* & quod contumeliæ in proximum redundant in ipsum Creatorem, ut cujus creatura (homo) contumeliosè habetur. *Prov. 14. v. 31.* & *17. v. 5.* & *22. v. 2.* *Iac. 3. v. 9.* 4. Discordiæ & bella oriuntur ex illatis contumeliis non per se, sed per accidens fragilitatis humanæ: quia contumelias inultas ægrè pati possunt homines: nam Servator, & multi viri sancti contumelias æquo animo passi sunt, & nos pati jubemur, *Matt. 5. v. 39, 44.* *Es. 50. v. 6.* & *51. v. 7.* *Act. 5. v. 41.* *2 Cor. 12. vers. 10.* *1 Petr. 2. v. 23.* & *3. v. 11.* Proinde rectè quidem Arist. in viro magnanimo requirit, ut non sit *μνησίχακτος* (memor injuriarum) deinde ut sit *ὑπὲρ χολόγος* (neque maledicus) ne quidem in inimicos; sed quod addit, *ἢ μὴ δὲ ὑβρίσῃ*, nisi illata contumelia provocatus, directè est contra præceptum Servatoris, *Matt. 5. 44.* Ejusdem farinae est illud Senecæ: *Non potest generosus animus contumelias pati*: nam generosius est, contumelias pati, quam ulcisci; *Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit moenia.* Quare aut contumeliæ, quæ negligentur, non sunt contra legem naturalem, quia pacem non disturbant, quod absurdum; aut earum malitia morālis non consistit formaliter in eo, quod sunt in ordine ad discordiam. 5. Si in eo consisteret earum malitia, tum contumeliosi dicendi essent, qui non animo nocendi, sed proximum corrigendi verbum convitii aut contumeliæ proferrent: quippe unde quam sæpe discordiæ nascuntur; at illud fecit Servator, appellans Discipulos suos stultos, *Luc. 24* &

& Apostolus Galatas insanos, *Gal. 3. 1.* & Prophetæ Israël meretricem, Sodomam, &c. *Es. 1. Ezech. 16.* qui tamen ideo non fuerunt contumeliosi: quia inde discordiæ sæpe enatæ fuerunt: quia hoc non fecerunt eo animo, ut infamia adspargerent populum Dei; sed ut ab idololatria, & sceleribus eos revocarent; unde etiam ab hoc delicto procul abfuit S. Paulus, qui acerrimè in Cretenses invecus, magna infamia universam eorum gentem notare videbatur, adducens carmen Epimenidis; *Κρητες αει ψοδσαι, &c.* *Tit. 1.* Probamus tamen monitum Augustini; *hoc raro faciendum esse, & cum iudicio.* 7. Contumelia afficere opponitur τῷ honore afficere, sed hujus moralis bonitas non formaliter in eo consistit, quod sit in ordine ad pacem, sed quod consentaneum sit legi justitiæ, quæ jubet unicuique suum tribuere, *Rom. 13.* ergo nec contumeliæ malitia moralis formaliter in eo consistit, quod sit in ordine ad discordiam; sed quod sit adversus legem justitiæ. 8. Nec contumeliæ in Deum malitia formaliter consistit in eo, quod Deum provocet ad iram: ut quod illam moraliter malam esse præsupponit, *Neb. 9. 18, 26. Hebr. 10. 29.* 9. Quin contumeliis affici maxime proprium est optimis servis Dei; ast illi minime solent contumeliis moveri ad rixas; quare aut illis factæ contumeliæ propriè non sunt, aut ratio formalis malitiæ, quæ contumeliæ inest, non descendit primariò à lege de pace quærenda.

EXERCITATIO V.

Ad Art. 24. ejusdem cap.

An nullum cum Arbitro pactum fieri debeat? & obligationi legis natura nihil addi possit ex pacto.

EX Arbitri definitione inquit intelligi, nullum pactum vel promissum intercedere inter ipsum & partes, quorum Arbitrarius constitutus est, cujus viteneatur in gratiam alterutrius partis pronuntiare: neque cujus viteneatur, ad id pronuntiandum, quod æquum est, vel æquum esse censet.

Nimirum (art. 5. c. 5.) statuit, in civitate constituenda officium Arbitri sive Judicis à subditis mutuis pactis inter sese translatum esse in Imperantem; unde veretur, si pacto hujusmodi inter arbitrum & partes, quorum arbitrarius constitutus est, locus esset, ne posset Princeps pacto aliquo subditis obligari; quod ipsi nefas. Quare operæ pretium facturi sumus, si illius argumenta, quæ pro hac sua sententia producit, inspiciamus.

I. Sic argumentatur; *Obligatur quidem Arbitrarius sententiam illam ferre, quam censet æquam per legem naturæ, quæ recensetur art. 15. cujus legis obligationi nihil est, quod addi possit ex pacto. Frustra igitur est pactum tale.*

Resp. Negamus, frustra esse pactum vel promissum, quod obligationi, quæ est à lege, accedit. Iacob Patriarcha lege divina obligatus erat ad colendum Deum; non tamen frustra fuit votum ejus, quod amplius ad illud officium obstrinxit, Gen. 28. Neque

que frustra fuit jusjurandum Davidis de præceptis Dei observandis; quia ad ea servanda obligatus jam antea erat. *Psal.* 119. 106. Idem cum Rex creatus esset, lege divina & naturali obligatus erat ad piè & justè imperandum; & populus Israel, Procereſque illius populi, ad ipsi obediendum, non tamen ideo frustra fuit pactum, quod inter ipsum & populum intercessit, quo utrimque sese sibi mutuo obstrinxerunt ad illud officium, ad quod lege divina & naturali erant obligati, *Deut.* 17. 2. *Sam.* 3. 21 & 5. Simile pactum intercessit inter Regem Ioam & populum, 2 *Reg.* 11. 7. inter eundem populum & alios suos Reges. Quin ipse statuit, ad Regnum Dei per naturam accessisse Regnum Dei per pactum; non tamen dicet, pactum illud Dei ideo frustra esse: quia eo obligamur ad eadem illa officia, ad quæ modo obligati eramus in Regno Dei per naturam; *cap.* 15. 16-17. Sic de pacto inter Deum & Abrahamum docet, quod leges, ad quas Abrahamus ex isto pacto obligabatur, nullæ aliæ fuerunt præter leges naturales & Circumcisionem; sed hæc non lex propriè fuit, sed pacti illius signaculum & Sacramentum, *Rom.* 4. 11. An ergo pactum illud invalidum fuit: quia ad observantiam legum naturalium jam Abrahamus obligatus fuisse supponebatur; Idem liquet ex pacto Dei cum populo Hebræo ad montem Sinai, de quo agit *c.* 16. a. 8. quod accessit ad obligationem, quæ erat à legibus naturalibus; quod tamen non fuit frustraneum, quia ad legum earum observantiam jam antea populus ille obligatus erat. Dicet; *Populum Israel quidem obligatum fuisse ad observantiam legum naturalium, sed non ex pacto Dei cum isto populo ad montem.* a. 10. *c.* 16. sed cum ipse saltem præcepta Decalogi, quæ pertinent ad mores, leges naturales esse fateatur; & constet, illò pacto populum se obligasse

gasse ad cuncta observanda, quæ loquutus est Dominus (*Cuncta*, inquiunt, *quæ loquutus est Dominus faciemus* Exod. 19. 5.) Deusque tum eloquutus fuerit omnia præcepta Decalogi, etiam quæ pertinent ad mores, ut liquet *Exod. cap. 20.* Quî negari potest, populum illo pacto se obligasse etiam ad observandas leges naturales? Similiter de Regno Dei per pactum novum ipse docet, Christum docuisse moralia, eaque non ut theoremata, sed ut leges, summamque doctrinæ Illius fuisse, mandare justitiam civilem, & observationem omnium legum naturalium, *a. 13. c. 17.* ad quas sanè à natura obligati sumus. Sed an ideo frustra fuit pactum illud: quia eo nobis injunctum est, ad quod per naturam ipsam obligati sumus? sive an frustra est pactum novum, quia ad vetus accessit, cui nullas dicit à Christo leges additas esse, præter institutionem Sacramentorum, *Ibid. a. 8.* Etiam Iobus pepigit foedus cum oculis suis, eoque se amplius obstrinxit ad id, quod postulat lex divina & naturalis, *Iob. 31. 1.* Simile est pactum Judæorum, quod exstat, *Nebem. 9. 38. & 10. 1.* Iuber lex naturalis proximum diligere, sed hoc præceptum pactum non excludit, quo nos ad illud officium adhuc magis obstringimus, ut in Davidis & Ionathani exemplo constat, *1 Sam. 18.* Prohibet lex naturalis damnum inferre proximo innocenti; hac tamen de causa foedus inierunt Iacob & Laban, *Gen. 31. 44.* Ipse statuit, nos à natura obligatos esse ad has, quas hoc & præcedente capite enumerat leges naturales; an ideo dicet, frustra pactum esse, quo homines sibi mutuò pollicentur in societate ineunda, se has leges observaturos esse? Si Arbiter aut Iudex iniquam ferret sententiam, & justum condemnaret; an non illi injuriam faceret? quare aut injuria non consistit adæquatè in pacti violatione, contra *a. 4. hujus cap.*
aut

aut si in pacti violatione ad æquate consistit; oportet arbitrum illum utrique litigantium pacto obligatum fuisse ad illud pronuntiandum, quod æquum esse censet. Ipse fatetur (a. 20. c. 2.) obligationi, quæ est à pacto; juramentum addi posse; quidni ergo obligationi, quæ est à lege naturæ, pactum? Quæres; quid illi legis obligationi, quâ Iudex tenetur pronuntiare quod justum est, addi possit ex pacto? Resp. 1. alia obligatio, qua tertius ille sive Arbitrator, præter obligationem, quâ Deo obligatur vi legis naturalis, etiam obligatur partibus inter se litigantibus ad pronuntiandum, quod justum est; sicut per juramentum obligationi, quæ est ex pacto, quo paciscentes inter se obligantur, alia additur, qua obligantur Deo. 2. Eiusmodi pacto obligatio legis naturalis ab Arbitro magis agnoscitur & recipitur, uti fit promissionibus & votis, quæ accedunt ad obligationem, quæ nobis incumbit ex lege Dei. Vide *Ames. Cas. pag. 200.*

II. Argumentatur; Si sententiam iniquam ferens æquam eam esse contenderet, nisi pactum tale invalidum sit, maneret controversia post sententiam latam, quod est contra Arbitri constitutionem, qui à disceptantibus ita electus est, ut invicem obligaverint se pro rata habere sententiam, quam ille pronuntiaverit.

Resp. Quasi pactum inter se disceptantium cum Arbitro, excluderet necessariò pactum mutuuum eorum inter sese de rata habenda sententia, quam ille pronuntiaverit.

EXERCITATIO VI.

Ad Art. 32. Ibid.

*Vindicatur Philosophia moralis hactenus
recepta.*

DE illa inquit loc. cit. *Cum Philosophi hactenus non observarent, bonitatem actionum in eo sitam esse, quod in ordine ad pacem, malitiam in eo, quod in ordine ad discordiam essent; moralem Philosophiam condiderunt a morali lege alienam, & sibi non constantem. Eccur?*

Quia, inquit, voluerunt, naturam virtutum in mediocritate quadam inter duo extrema sitam esse, vitia vero in ipsis extremitatibus, quod, ait, aperte falsum est. Quare?

1. *Quia, inquit, audere laudatur, & nomine fortitudinis pro virtute habetur, quanquam extremum sit, si causa approbatur.*

2. *Quia quantitas rei, quae dono datur, sive magna, sive parva, sive media sit, non facit liberalitatem; sed donandi causa.*

3. *Neque, inquit, injustitia est, si cui de meo plus dedero, quam debitum est.*

Ut quam immeritò dicat, Philosophiam moralem, hactenus receptam, alienam esse à lege morali, pateat; quamque nullius valoris sint rationes, quas producit ad probandum; naturam virtutum moralium non consistere in mediocritate quadam inter duo extrema vitia; aliquantum planius, sed (quantum possum) paucis Aristotelis sententia (hanc enim notat) explicanda est.

Ille

Ille ergo *virtutem moralem* definiens, quod sit *habitus cum consilio conjunctus, inque mediocritate consistens, quæ penes nos, & iudicio viri prudentis definita est*, 2 Eth. 6. apertè eam in mediocritate docet consistere; quam servandam esse docet. 1. In *affectibus animi*; hinc *virtutem habitum esse* dicit, quo bene sumus in *perturbationibus affecti*, 2 Eth. 5. alibi, quo *affectus nostri rationi obediunt*, 2. Eud. c. 1. Rationem reddit: quia affectuum quædam divisibilis latitudo est, unde in ijs excessus, defectus, & mediocritas locum habent, 2 Eth. 6. 2. Similiter se rem habere docet in *actionibus humanis*, seu potius in rebus circa quas illæ occupatæ sunt; veluti in pecunia, honore, periculis, nutrimento &c. unde etiam in iis mediocritatem servandam esse *l. cit.* 3. Idem statuit de *voluptate & dolore, quæ omnem affectum, omnem actionem, imo omnia, quæ sub electionem veniunt, comitantur.* 2 Eth. 3. Fatetur tamen (Ib. c. 6.) non omnem affectum, aut actionem medium admittere: quippe quædam esse, quorum nominibus statim vitium est implicatum; qualia sunt *invidia, impudentia, adulterium, furtum, & similia*; alia ipsa statim *appellatione bona esse*; qualia sunt, *veremesis, pudor, zelus, jejunium, elemosyna &c.* nempe quia hæc vocabula non nudos affectus, aut nudas actiones significant, sed cum circumstantiis conjunctas, in quibus earum bonitas aut malitia moralis posita est.

Rursus docet, *virtutem* bifariam spectari posse. 1. secundum *essentiam.* 2. secundum *perfectionem.* Priori modo virtutem medium esse inter extrema vitia; posteriori extremum esse; vitia vero alterius extremi rationem habere.

Præterea considerari virtutem vel ratione *qualitatis*, vel ratione *quantitatis*; ratione *qualitatis* esse divisibilem, & sensim crescere, prout altius in ani-

modo defigitur; ratione *quantitatis* consistere in medio indivisibili; eam tamen indivisibilitatem non *mathematicè*, sed *ethicè* considerari debere, cum aliqua qualicumque latitudine, 2 *Eth.* 2.

Medium virtutis etiam distinguit, quod sit vel *rei*, vel *personæ* sive *rationis*; illud peti docet ex ipsa re, esseque quod æqualiter distat ab extremis; hoc ex relatione ad nos, esseque quod unicuique convenit; quod varium est ac mutabile. In *mediationis* non *rei* docet, naturam virtutis moralis consistere; idque viri prudentis consilio, sive rectæ rationis dictamine, hoc est, à lege naturali, sive morali definiendum esse. 2. *Eth.* 5. 6.

Quibus observaris patescit, quam immerito Adversarius accuset Philosophiam moralem hactenus receptam, quod illa sit à lege morali aliena, & sibi non constans: quandoquidem juxta jam dicta Aristoteles medium virtutis docet à dictamine rectæ rationis, seu lege naturali, aut morali, quæ sanè inconstans non est, definiri. Evanescentque omnes, quas contra doctrinam Arist. movet difficultates, & quibus illam apertè falsam esse, demonstrare conatur.

Nam quantum ad *primum*; non mirum, *audere*, si bona sit causa, laudari, & nomine fortitudinis pro virtute haberi, *quanquam extremum sit*: quia *audere* hinc non nudè spectatur, prout speciem affectus denotat, sed vestitum tali circumstantia, in qua bonitas ejus moralis sita est; nempe *si causa est bona*; & *quatenus nomine fortitudinis pro virtute habetur*: nam juxta dicta ex Arist. virtutes ratione qualitatis indivisibiles sunt, & gradus quidem, non excessum admittunt, contra Stoicos, quibus *nec virtus virtute major est, nec rectè factum rectè facto*. Ut refert Plutarch. de Stoic. contrad. *Audere* etiam, quatenus nomine *for-*

fortitudinis pro virtute habetur, extremum quidem est secundum *perfectiorem* spectatum; sed secundum *essentiam* suam medium est inter *ignaviam* & *nimiam audaciam*.

Simile fere *alterum* est de *Liberalitate*: nam in eo actio, in quâ mediocritas servanda est, ut sit actus *liberalitatis*, non nudè spectatur; sed cum circumstantiâ aliquâ, in quâ cum aliis bonitas moralis *Liberalitatis* consistit: ad quam non sufficit, si *finis*, aut *donandi causa* sit bona; sed spectari quoque debent *personæ*, *quantitas* & *qualitas* beneficiorum, *tempus*, *locus*, *animus*, quibus si actio donationis juxta dictamen rectæ rationis debito modo respondeat, erit actus *Liberalitatis*, cui in defectu opponitur *avaritia*, in excessu *prodigalitas*.

Quantum ad *tertium* de *injustitiâ*; concedo, non esse injustitiam, si cui de meo plus dedero, quam debitum est; ast hinc non sequitur, virtutis moralis naturam non esse sitam in mediocritate; nam *justitia* non versatur circa bona utcumque considerata, sed *quatenus aliis jure debentur*; sed ut indebita considerata constituunt materiam *Liberalitatis*. Sed in bonis tanquam alteri jure debitis nimium & parum spectari possunt, sive excessus & defectus; nimirum si plus à me exigas, quam tibi deberur; parum si minus des, quam debes.

LOCUS XVI.

De Ecclesiâ.

CAPUT XXXII,

*De Ecclesia Christiana natura, ejusque
divisione.*

Regnum suum per pactum Evangelicum Deus in Christo Mediatore, unico Ecclesiæ suæ capite & Rege spirituali, per Verbi sui ministerium, atque internâ operatione Spir. S. in cordibus electorum, modo plane spirituali potenter exercet in Ecclesiâ suâ; dictum Regnum gratiæ, à Regnis hujus mundi *δις δια' πα'σων* distinctum. Vide *supra* cap. 19. *Ass.* 13. & *seqq.* *Εκκλησία* ita dicta ab *ἐκκαλεῖν* evocare. Ecclesia ergo est cætus electorum, à Deo per Verbum & Spiritum suum e mundo evocatorum ad unionem & communionem Christi per fidem, 1 Cor. I. v. 9. Estque partim *Militans* hâc in terrâ, partim *Triumphans* in cœlo. *Eph.* I. 10. *Col.* I. 20. Illa est vel *Catholica*, quam apertè profitemur in Symbolo: *Credo Ecclesiam Catholicam*; vel *particularis*, quam *institutam* vocant. Hobbes,

I. Ecclesiam contendit eandem rem esse cum Civitate. L. c. 33. p. 182.

Civitatem Christianam idem esse, quod Ecclesia Christiana. C. c. 17. à. 21.

Resp.

Resp. I. Ecclesia (juxta definit. modo datam) est coetus hominum electorum, à Deo per Euangelium & Sp. S. è mundo evocatorum ad unionem & communionem Christi per fidem; sed Civitas non est coetus electorum, ita per Euangelium à Christo vocatorum: nam. 1. multæ Civitates sunt, ubi homines non ita vocantur per Euangelium. 2. Et ubi homines ita vocantur multi sunt, qui illud non recipientes, nihilominus illius Civitatis cives sunt, non tamen illius loci Ecclesiæ Christianæ membra. 2. Tempore Christi, Apostolorum, & Imperatorum gentilium fuit Ecclesia Christiana, non autem usquam gentium Civitas Christiana. 3. Nec in Civitatibus Christianis ex iis ejici intelliguntur, qui ob hæresin vel vitam scandalosam excommunicantur ex Ecclesiis Christianis. 4. In omni Civitate obtinet imperium & potestas coactiva, quod (imperium) in cives exercent Imperantes in nomine solius Dei Creatoris & Rectoris Universi, ad civium omnium & singulorum communem pacem & defensionem, & salutem externam & temporalem, *1 Tim. 2. v. 2. Rom. 13.* sed in Ecclesiâ obtinet imperium & potestas spiritualis, quam in fideles exercet solus Christus, quæ Mediator, in nomine Dei Redemptoris, per ministerium Verbi & per Sp. S. ad communionem sanctorum, atque electorum salutem æternam, *Joh. 18. v. 36. Luc. 17. 20, 21. Ps. 2. 6. Rom. 14. v. 17.* Non ergo idem est Ecclesia Christiana, & Civitas Christiana.

II. Ecclesiam Christianam definit, Cœtum hominum, religionem Christianam profitentium, unitorum in persona una, summam habente potestatem, cujus jussu convenire debent, & cujus injussu convenire non debent. L. c. 39. p. 218.

Quasi I. præter solum Christum homo aliquis sum-

summam haberet potestatem in Ecclesia Christiana, contra *Matt.* 20. 25, 26. & 28. 18. *1 Petr.* 5. 3, 4. Et 2. quasi unio & communio, ad quam electi vocantur in Ecclesia per Euangelium, non esset eorum unio & communio spiritualis in solo J. Christo per fidem; sed unio & communio civium externa & politica in eo, qui in Civitate summam habet potestatem civilem; ineptè! contra *1 Cor.* 1. 9. Et 3. quasi forma Ecclesiæ (loquor jam de Ecclesia instituta) consisteret in conventu hominum, religionem Christianam profitentium, in unum locum; minime: consistit illa in unione foederali fidelium inter se in Christo. Et 4. quasi homines; religionem Christianam profitentes, in unum locum nunquam convenire deberent injussu Imperantis, contra praxin Ecclesiæ Christianæ tempore Christi & Apostolorum. 5. Denique cujus jussu aliquid fit, id fieri dicitur in illius nomine; sed nunquam in S. Literis Ecclesia convenire dicitur in nomine Civitatis, sive Imperantis, sed solius J. Christi, *Matt.* 18. v. 20. *1 Cor.* 5. 4.

III. *Distinctionem dominii temporalis & spiritualis negat in Regno Dei unquam fuisse. Lev. cap. 12. pag. 60.*

Illam temporalem & spiritualis distinctionem inanem esse, contendit. L. c. 29. p. 155.

Quâ tamen nihil frequentius in S. Script. Sic legimus de escâ & potu spirituali, *1 Cor.* 10. v. 3, 4. & lex moralis spiritualis esse dicitur, *Rom.* 7. 14. Res divinæ & coelestes appellantur τὰ τῶ πνεύματος, *Rom.* 8. 5. *1 Cor.* 2. v. 14. item cantiones spirituales dicuntur, *Col.* 3. 16. & dona spiritualia, *Rom.* 1. v. 11. *1 Cor.* 12. 1. & sapientia & intelligentia spiritualis, *Col.* 1. 9. spiritualis unitas, *Eph.* 4. 1. Ecclesia spiritualis domus nominatur, *1 Petr.* 2. v. 5. bona

bona opera fidelium hostiæ spirituales *Ibid.* Verbum Dei gladius spiritualis, *Eph.* 6. & homo spiritualis, *I Cor.* 2. v. 15. Et Christus negans, Regnum suum esse de hoc mundo (*Iob.* 18. 36.) an non spirituale esse significavit? Quæ ergo illa est Philosophi audacia, & temeritas, contra tam perpetuum & disertum usum S. Script. distinctionem *temporalis & spiritualis* in publico scripto inanem appellare!

IV. *Cætum electorum in hoc mundo militantium* negat propriè esse Ecclesiam; sed illam demum, ait, futuram in die illa, qua à reprobis segregati triumphaturi sunt. C. c. 17. a. 19.

Resp. I. Ecclesia, quam Christus ædificat in petrâ, est Ecclesia militans: nam de ea dicit Servator; *Portæ inferorum non prævalerunt contra illam*; quæ verba innuunt Ecclesiæ militiam spiritualem; sed Ecclesia, quam ita Christus ædificat, est Ecclesia electorum. *2 Tim.* 2. 19. 2. Ecclesia quam Christus acquisivit sibi suo sanguine, est Ecclesia militans: nam est Ecclesia, quæ pascitur Verbo & Sacramentis, *Act.* 20. v. 28. *Eph.* 5. v. 26. sed Ecclesia, quam Christus ita sibi acquisivit, est Ecclesia electorum, *Rom.* 8. 33, 34. 3. Ecclesia, cujus Christus est constitutus caput, est Ecclesia electorum; at Ecclesia, cujus Christus est constitutus caput, non est sola Ecclesia futura novissimo die: nam Christus jam olim constitutus est, non demum constituendus novissimo die, caput Ecclesiæ suæ, *Eph.* 1. 22. 4. Ecclesia, pro quâ Christus orat, est Ecclesia electorum, *Job.* 17. 9. at Christus non orat pro Ecclesiâ triumphante, sed militante. 5. Ecclesia sanctificata in Christo, quæ est in Deo Patre & D. J. Christo, est Ecclesia electorum; at talis olim fuit Ecclesia Corinthiaca & Thessalonica tempore S. Pauli militans in hoc mundo, *2 Cor.* 1. 1. *I Thess.* 1. v. 1. *2 Thess.* 1. v. 1. 6. Sponsa Christi est Ecclesia militans:

militans : est enim ut lilium inter spinas, *Cant. 2. v. 2.* aut sponsa Christi est Ecclesia electorum.

V. Cum Socinianis nullam agnoscit Ecclesiam triumphantem in caelo, aut iam esse, aut unquam futuram. C. cap. 15. art. 4. Lev. cap. 31. pag. 167. & c. 35. p. 192. & c. 44. p. 296.

Error est, inquit Smalcius, dum Ecclesiam invisibilem partitur Frantzius in triumphantem & militantem : nulla enim revera nunc est triumphans, sed olim futura, cum J. Christus venerit redditum unicuique secundum opera ipsius, contra Frantzius disp. de Ecclef. p. 273.

Resp. 1. Ecclesia in caelo reconciliata Deo per sanguinem Christi, est Ecclesia triumphans : est jam dudum existit in caelo talis Ecclesia, Col. 1. 20. *Per Christum reconciliavit omnia sibi, tum quae in terra, tum quae in caelis*; Nota, *Quae in caelis*, quod de electis Angelis intelligi nequit, quippe qui nunquam gratia Dei exciderunt; nec intelligere potest Adversarius : quippe qui negat, Angelos tales dari permanentis subsistentiae. *Vide supra cap. 15. 2.* Conventus universalis spirituum iustorum consummatorum est Ecclesia triumphans in caelo : nam iusti, quam diu hic vivunt, nunquam sunt consummati; sed jam dudum talis existit conventus spirituum iustorum consummatorum, *Hebr. 12. 23.* Idem colligitur *Luc. 16. v. 22. 2 Cor. 5. vers. 1.* & aliis plurimis locis supra cap. 16. pro animarum humanarum immortalitate citatis. *Vide pro Ecclesia triumphante contra Socinianos fuse disputantem Maccovium Loc. Comm. Cap. 74.*

Hujus Hobbesianae Assertionis causa est; quod cum Socinianis neget, animas hominum esse immortales; sed eas mori statuat simul cum eorum corporibus, simul cum iisdem novissimo die resuscitandas.

Quod

Quod *ἡρώτων Ἰουδαίων* prolixè refutavimus *supra*
c. 16. cit. Aff. 16. &c.

VI. Negat, *ullam existere Ecclesiam Catholicam.*

Totus, inquit, numerus Christianorum hominum, nisi una Civitate comprehendantur, non est persona una; neque ulla existit Ecclesia universalis, cujus autoritate regendi sunt. L. c. 33. p. 128.

Quin tot esse, ait, Ecclesias Catholicas, quot sunt Regna, & Respubl. Christianæ. App. cap. 2. p. 348.

Resp. 1. Si existunt Ecclesiæ particulares, necessario etiam existit Ecclesia universalis: nam Ecclesia universalis nihil aliud est, quam omnes Ecclesiæ particulares collectivè sumptæ. 2. Totus numerus Christianorum, quamvis non una Civitate comprehendantur, est una persona, unum corpus mysticum, cujus caput est Christus; unde ipsa Ecclesia mysticè Christus appellatur, 1 Cor. 12. 12. & complementum Christi, Eph. 1. 23. 3. Autoritas, qua Christiani omnes quarumvis gentium, locorum, & temporum, in Ecclesia Catholica regendi sunt, revera existit in Christo, cui data est omnis potestas in cælo & in terra. Matt. 28. v. 18. qui solus est Sponsus, Rex, Paterfamilias, & caput Ecclesiæ Catholicæ. 4. Regna & Respubl. Christianæ sunt multæ & variæ; sed Ecclesia Catholica, quam in Symbolo profiteremur est una tantum; Ineptè ergo & contradictoriè tot Ecclesiæ Catholicæ esse finguntur, quot sunt Civitates Christianæ.

VII. Tot Ecclesiarum capita esse contendit, quot sunt Regna & Respubl. Christianæ. App. 1. cit.

Cum tamen S. Script. præter unicum J. Christum nullum agnoscat caput Ecclesiæ Christianæ. 1 Cor. 3. v. 11,

v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest statuere præter id quod positum est, quod est J. Christus. Vide Eph. 1. v. 22, 23. & 4. 25. & 5. 23. Col. 1. 18. Matt. 16. 18. Rom. 12. 5. Eph. 2. 20. 22.*

CAPUT. XXXIII.

De Ecclesia Ministerio.

S E C T. I.

Quid Ministerium sit ?

Ministerium est *functio Ecclesiastica, quæ homo selectus ex jure speciali in nomine solius Christi res sacras in Ecclesia administrat ad hominum salutem æternam*; A munere Magistratus longè diversum est. Nam. 1. Ministerium Ecclesiasticum est purum putum ministerium, absque ullo imperio, potestate coactivâ; sed munus Magistratus est imperium cum potestate legislativa & coactivâ, *Luc. 22. 25, 26. 1 Cor. 4. 1, 2. 2 Cor. 1. v. 24. & 4. 5. & 5. 18, 19, 20. 1 Petr. 5. 2, 3.* 2. Illud est ab imperio solius Christi, seu Dei qua Redemptoris immediatè dependens, atque omnia in Ecclesia per se agens in nomine solius Christi, ex mero erga ipsum obsequio; hoc autem dependens à Deo, quæ Creatore & gubernatore Universi, in Civitate in nomine Dei Creatoris & gubernatoris omnia agens ex imperio; vel per se vel per alios. 3. Illud curat hominum salutem æternam; hoc civium omnium & singu-

singulorum pacem & salutem temporalem & eternam. Econtra Adversarius cum Erastianis & similibus *Ministerium Ecclesiasticum* functionem politicam esse somniat, & ab officio Magistratus immediatè derivari.

I. Reges contendit esse Ecclesiæ Pastores supremos.
l. c. 42. p. 256.

Resp. I. Quorum officium est dominari, illi ex illo officio non possunt esse Pastores Ecclesiæ: nam dominari Christus expressè interdixit Ecclesiæ suæ Pastoribus *Luc. 22. vers. 25, 26.* & aliis locis mox citatis; sed Regum, quæ talium, officium est dominari, *Luc. 22. vers. 25, 26. Rom. 13. v. 4.* Non ergo Reges, quæ tales, Pastores Ecclesiæ esse possunt. 2. Non illi sunt Ecclesiæ Pastores, qui ad munus illud Pastorale nullam habent juxta ordinem à Christo institutum legitimam vocationem, *Rom. 10. 15 Hebr. 5. 4.* Sed qui Reges talem habent ad munus Pastorale vocationem legitimam? nam cum ad illam pertineat. 1. vocandi exploratio quoad vitam & doctrinam ab Ecclesiâ faciendam. 2. ejusdem, præmissis precibus, e certo nominatorum numero, omnium aut majoris partis suffragiis, voce seu *χρηροσία*, electio. 3. & ita electi per *χρηροσία* publica & solemnisi confirmatio & introductio in S. Ministerium; horum tamen nihil in Regum ullorum inauguratione, vel ante vel post, fieri unquam observatum est. Nisi illos fingas instar Prophetarum & Apostolorum ad illud munus Pastorale à Deo vocari immediatè & extraordinarie: quod credemus, ubi in illis conspexerimus ejusmodi dona extraordinaria (nempe Prophetiæ, linguarum, & miraculorum) cujusmodi præditi esse solent, quos in S. Script. legimus isto modo extra ordinem à Deo

vocatos fuisse. 3. Qui implicantur negotiis hujus seculi, illi esse non possunt idonei Pastores Ecclesie, 2 Tim. 2. 4. sed Reges, quia tales, maximè implicantur illis negotiis. 5. Ecclesie ἀρχιεπίσκοπος, Pastor supremus solus Christus est 1 Petr. 5. 4. Hebr. 13. 20. Ergo salvo Christi honore Reges Ecclesie Pastores supremi dici non possunt.

II. *Solos Reges Christianos, ait, simpliciter dici Dei gratiâ docere; Ministros autem potestatem suam habere Dei & Regis Gratia.* l. c. 23. p. 120.

Resp. 1. Qui non habent requisita in Pastore, quæ recenset Apost. 1 Tim. 3. 2 -- 7. Tit. 1. 6- 9. illi simpliciter dici non debent Dei Gratia docere in Ecclesiâ: nam nemo ita docere in Ecclesia dici potest, in quo illa requisita non inveniuntur; sed illa requisita sæpe non habent Reges Christiani. 2. Reges, quia tales, Pastores Ecclesie esse non posse, Assert. præc. demonstravimus; quare simpliciter dici non debent, *Dei Gratia docere*: nam nemo ita docere potest, qui Ecclesie Pastor non est.

Hinc sequitur etiam, falsum esse alterum membrum hujus Assert. nempe, *Ministros potestatem suam habere Dei & Regis gratiâ*: nam 1. Cum nemo alteri dare possit, quod ipse non habet aut formaliter, aut virtualiter; ergo si ipsi Reges non sunt Pastores Ecclesie, neque ut tales in Ecclesiâ docere possunt; quâ Ministri dici possunt per illorum Gratiam habere suam potestatem docendi? 2. Per solius illius Gratiam Ministri habent illam potestatem, cujus solius Ministri sunt, & à quo solo in se positum habent sermonem reconciliationis, & in cujus solius nomine legatione funguntur, quique per illos dicitur docere, hortari, monere. Sed Pastores omnes sunt ministri solius Christi Mediatoris, 1 Cor. 4. 1. 2. Cor. 4. 5. à solo Christo in se positum habent sermo-

nem

nem reconciliationis, in illius solius nomine legatione funguntur, &c. uti exsertè de se reliquique Evangelii præconibus testatur Apostolus. 2. Cor. 5. 19, 20.

III. Reges dicit esse Ecclesiarum Pastores summos, Doctores Ecclesiæ subordinatos. Lev. c. 39. p. 219.

Quasi non omnes Doctores Ecclesiæ immediatè subordinati essent soli Christo; sed mediatè per Reges contra 1 Cor. 4. 1. Et non ἀρχιεπίσκοπον, Pastor supremus, esset solus Christus, contra supra citata.

IV. Ministros Christi (nisi Reges sint) obedientiam præstari sibi in nomine ejus postulare jure non posse, ait l. c. 42. p. 232.

Resp. Apostoli Reges non fuerunt, qui tamen in nomine Christi postulaverunt sibi præstari obedientiam. 2 Cor. 5. modo cit.

Excipit; Antequam Reges Christi fidem amplexi fuerunt, potuerunt Ministri Christi, quamvis Reges non essent, illud sibi postulare in nomine Christi; non jam postquam Reges Christiani facti sunt.

Resp. Postquam Reges fidem Christi amplexi sunt, non debuerunt ordinem à Christo in Ecclesiâ institutum immutare, sed sartum tectum conservare; ergo si ante illud tempus Ministri Ecclesiæ jure potuerunt postulare in nomine Christi sibi obediri; ergo non minus idem postulare debent, postquam Reges Christi fidem amplexi sunt.

Instat, Regnum Christi non est de hoc mundo; non ergo Ministri ejus (nisi Reges sunt) id sibi postulare possunt: nam si is, cujus jure postulant jus Regium, in hoc mundo Regnum non habuit, quo jure imperium habebunt ejus Ministri?

Resp. L. Antequam Reges fidem Christi amplexi sunt, neque Regnum Christi fuit de hoc mundo;

quocirca si nunc ideo Ministri Christi non possunt in nomine Christi postulare sibi obediri ; ergo propter eandem rationem idem non potuissent postulare Apostoli , contra id , quod ipse modo confessus est. 2. Neque in nomine Christi postulare obedientiam est imperium , sed ministerium : nam hoc est postulare non sibi , sed Christo obediri. 3. Et quod supponit ; *Christi Regnum necdum esse , sed demum futurum novissimo die ; atque hoc voluisse Christum verbis illis ex Job. 18. 36. quam falsum fit , supra abundè demonstravimus.*

V. *Regem Christianum docet gerere personam Civitatis , id est , Ecclesiæ ; & proinde sine illo Ecclesiam mutam esse. Lev. c. 42. p. 256.*

Resp. 1. Aut personam Ecclesiæ gerit Rex Christianus quâ Christianus , aut quâ Rex , aut quâ Rex Christianus ; non quâ Christianus : quia tum singuli Christiani gererent personam Ecclesiæ ; non quâ Rex : quia tum omnes Reges etiam infideles gererent personam Ecclesiæ ; non quâ Rex Christianus : quia duo subjecta & principia formalia , quæ non sunt unum aut unita per se , non possunt fundare effectum formalem seu ἀποτελεσμα per se unum ; uti (v. gr.) homo unus , qui simul Consul & Pater est , quâ Consul-Pater aut Pater-consul nullum effectum formalem per se unum producere potest , aut respectu civium , aut respectu filiorum suorum. Quod argumentum fusius deductum & vindicatum vide apud Voet. *Pol. Eccl. Part. 1. pag. 137. & Part. 3. pag. 828.* 2. Solus ille personam Ecclesiæ gerit , qui est illius Rex & Caput ; ast ille est solus Christus , *Pf. 2. 6. Eph. 1. 22.* 3. Nec muta fuit Ecclesia tempore Apostolorum , cum nullus adhuc esset Rex Christianus ; 4. In Ecclesia loqui audiuntur Christus , Prophetæ , & Apostoli , *Luc. 16. 29. Hebr. 12. 6.*
Quos.

quos in Ecclesia mutos esse absque Rege Christiano, sine blasphemia dici non potest. 5. Et Civitatem Christianam idem esse, quod Ecclesiam Christianam (quod hic innuit) quam falsum sit, cap. præc. monstravimus.

VI. *Cæteros Pastores Regis Christiani autoritate feri fingit, & esse illius ministros, non aliter quam qui urbibus, vel provinciis, vel oppidis præficiuntur. Ibid.*

Resp. Qui à Rege præficiuntur urbibus &c. præficiuntur ab illo, quatenus est Minister Dei Creatoris & Rectoris Universi; idque in negotiis ad externum hominem pertinentibus, cum potestate dominandi; sed Pastores Ecclesiæ sunt Ministri Christi, sive Dei quæ Redemptoris Ecclesiæ suæ, atque in iis quæ spectant internum hominem, atque æternam electorum salutem; eorumque munus est merè ministeriale immediatè sub Christo. Ergo Pastores Ecclesiæ sunt ministri Christi, 1 Cor. 4. 1. non Regis Christiani; fiuntque non hujus, sed illius autoritate. Eph. 4. 11.

VII. *Si quis Pastorem prædicantem vel Baptizantem videns interrogaret, sicut Servatorem nostrum interrogaverunt Sacerdotes & Seniores; Quâ autoritate facis ista? & quis tibi dedit istam autoritatem? Matt. 22. 23. Respondere, inquit, aliter non posset, nisi quod faciat ista autoritate Civitatis. Ibid.*

Resp. Respondere deberet, quod Christus respondit Sacerdotibus; Prædicatio & Baptismus an est ex cælo, an ex hominibus? Si dicat, ex hominibus esse, Christianus non est; si ex cælo dicat, tum fatetur, non hoc illum facere autoritate ullâ humanâ, sed cœlesti.

VIII. *Pastores omnes, inquit, præter supremum, jure civili ista facere; sed Regem eadem facere autoritate Dei. Ibid.*

O o 3

Resp.

Resp. 1. Si (quod docet C. c. 14. a. 3.) Jus est libertas a legibus non constituta, sed relicta; tum si jure civili ista faciunt Pastores, faciunt ista libertate, a lege civili non constituta, sed relicta; quare illa si non faciunt autoritate Dei, tum nullius autoritate faciunt. 2. Pastor supremus est solus Christus, ut sæpius dictum. 3. Evangelium prædicare & baptizare pertinet ad claves Regni coelorum, quarum administratio a Christo demandata est solis Ecclesiæ Pastoribus, *Matt. 16. 19. & 18. 18.* Reges a Deo armati sunt gladio, juxta *Rom. 13.* 4. Non ergo Reges possunt dici prædicare aut baptizare autoritate Dei.

IX. Regum solorum est, inquit, in titulis habere; Dei gratia Rex; Episcoporum, per gratiam Regis Episcopus. Ibid.

Resp. Juxta doctrinam Apostolicam, veri Episcopi in Titulis habent; *Spiritus sancti & Christi gratia Episcopus. Act. 20. 28. Episcopus Christi per voluntatem Dei. 1 Cor. 1. 1. 2 Cor. 1. 1. Eph. 1. 1. Episcopus non ab homine, neque per hominem, sed per Christum, ac Deum Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis. Gal. 1. 1. Servus Christi. Phil. 1. 1. Vide similia Coll. 1. 1. 2 Tim. 1. 1. Tit. 1. v. 1. Jac. 1. v. 1. 1 Petr. 1. 1. 2 Petr. 1. 1.*

X. Unumquemque Regem Christianum ait jus habere per se non solum prædicandi, sed etiam baptizandi, Sacramentum Cæne dominicæ administrandi. Ibid. pag. 257.

Non magis, quam per se in familiis civium suorum peragendi illa, quæ sunt Patrum-familias; aut olim in V. T. jus habuerunt per se sacrificandi Reges Saul, 1 *Sam. 13. 12, 13.* Jeroboam, 1 *Reg. 13. 1, 2.* Uzzias, 2 *Chron. 26. 16. &c.*

XI. Si potestas civilis sit penes feminam, quærit;
Ha-

Habeatne in Ecclesiis predicandi & Sacramenta administrandi potestatem? respondet; Scio foemina in Ecclesia prohibitum esse loqui; id vero non impedit, quin foemina, qua summa potestate praedita est, constituere viros possit, qui in Ecclesiis & loqui, & caetera administrare omnia auctoritate sua possint. Auctoritas enim masculinum & femininum non recipit. Ibid. pag. 259.

Resp. 1. Quasi constituere, qui in Ecclesiis loquantur ipsius auctoritate, non esset in Ecclesiis loqui, de quo Apost. 1 Cor. 14. 33, 34. 2. Ita per alium loqui plus est, quam loqui per se: nam ita per alium loqui, imperii est; per se loqui alterius auctoritate, ministerii est. Quod si ergo prohibitum est foeminis per se loqui in Ecclesia, ergo multo magis ibi loqui per alium. 3. Et per alium loqui in Ecclesia, est contra naturam Ministerii, Tit. 1. v. 19. 1 Tim. 3. 2. 4. Quod ait, *auctoritatem non recipere masculinum & femininum*, multis instantiis refellitur: nam multa auctoritate foeminarum facta leges rata esse prohibent, nisi intercedat auctoritas mariti. Tutelam virile munus esse, tradunt Icti, ideoque foeminis non permitti. Foeminae etiam ab omnibus civilibus officiis per leges removentur; non possunt dare tutores, nisi cum assensu Judicis: non possunt adoptare, & similia. Vide *Mynsing. ad Inst. p. 67. 85. 99. 851.*

Caelum quodammodo terrae miscebitur, si docendi jus (sive per se, sive per alios) arripiant mulieres, recte ait Calv. ad 1 Cor. 14. cit.

S E C T I O II.

Ministerium Ecclesiasticum quatuorplex?

ESt illud vel *extraordinarium* vel *ordinarium*; Ministri extraordinarii sunt, quibus Deus immediate revelavit Verbum suum, vel per inspirationem Sp. S. vel per vivam vocem, vel per somnium, vel visionem, 2 Petr. 1. 21. Num. 12. quales sunt Prophetæ, Apostoli, atque Evangelistæ. Eph. 4. 11. Ordinarii in V. T. fuerunt Patriarchæ, & postea Sacerdotes Levitici; in N. T. Ministri ordinarii sunt vel *docentes* (Doctores & Pastores *Ibid.*) vel *ministrantes tantum*, non docentes; Seniores & Diaconi, 1 Tim. 5. 17. & 3. 8. Act. 6. Quorum omnium functio putum ministerium est, immediate soli Christo subordinatum. Omnesque (exceptis Diaconis) promiscue in S. Script. *Episcopi, Presbyteri*, appellantur Act. 20. 17. cum v. 28. Tit. 1. 5, 7. Phil. 1. 1. Ille autem,

I. *Munerum Ecclesiasticorum aliud esse docet Ministerium; aliud Ministerium; Magistros esse Apostolos, Episcopos & Presbyteros.* C. c. 17. a. 23.

Cum aperte de se, aliisque Apostoli, Episcopis, & Presbyteris dicat Apostolus, 1 Cor. 4. 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi &c.* & 2 Cor. 4. v. 5. *Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum &c. esse Dominum: nos autem servos vestros propter Iesum.* Et Christus ipse dicat iisdem. *Vos autem ne vocamini Rabbi: unus enim est Doctor vester, nempe Christus: omnes autem vos fratres estis. Nec vocamini Doctores: unus enim vester est Doctor, nempe Christus. Sed qui maximus est vestrum, sit minister vester,* Matt. 23. 8-12.

8-12. Ergo omne Magisterium in Ecclesia solius Christi est. Apostolis autem, aliisque Ecclesie Pastoribus sola Ministerii gloria relicta est.

II. *Munus Sacerdotale V. T. docet demum ministeriale factum esse, postquam jugum Dei excusserunt Israelitæ.* L. c. 36. p. 199.

Quasi non semper munus illud fuisset ministeriale absque imperio; aut aliquando Regum imperio, non semper soli Deo immediatè fuisset subordinatum.

III. *Cum Pontificiis Episcopus contendit alios esse à Presbyteris.* C. c. 17. a. 23.

De hac controversia vide Amef. Bellarmin. *enervat.* Tom. 2. l. 3. c. 4.

IV. *Distinguit etiam Prophetas V. T. in ordinarios & extraordinarios; Ordinarios rursus in summos & subordinatos.* L. c. 36. p. 197. 200.

Quasi non omnes Prophetæ V. T. vocationem habuissent extraordinariam, & non immediatè subordinati fuissent soli Deo, vide *Hebr.* 1. 1. Et præter Christum quisquam summus Propheta in Ecclesia unquam fuisset, aut dici deberet.

V. *Duo inquit indicata esse in Scripturis Prophetæ veri signa; nempe Miraculorum operationem, & doctrinæ veræ prædicationem, quibus conjunctim, non seorsim Prophetæ verus dignoscatur.* *Leviath.* cap. 32. pag. 174.

Duas res esse; nimirum Prædicationem futurorum supernaturalem (quod esse ait ingens miraculum) & fidem in Deum Abrahami, quas Deus omnibus Judæis pro notis veri Prophetæ habendas proposuit: Cui alterum horum deest, eum Prophetam verum esse negat, & pro verbo Dei habendum quod pro tali obtendit. C. c. 16. a. 11.

Resp. 1. Multi fuere veri Prophetæ, qui miraculis non claruerunt. *Vide supra pag. 9.* 2. Et cum dicat,

antesciri non posse, quid sit verbum Dei, quam sciatur, quis sit Propheta verus; hoc autem sciri debere ex miraculis & fide (1. proximè cit.) ergo prædictio futurorum, cum sit ipsa verbum, quod Propheta loquutus est, quod ait an sit Verbum Dei Propheticum, & a vero Propheta profectum sciri non posse, priusquam sciatur quis sit Propheta verus, hoc autem sciri ex miraculis & fide; ineptè illa hic tanquam miraculum consideratur. 3. Neque essentia Prophetæ in prædictione futurorum adæquatè consistit: nam multi Viri sancti revelationem immediatam habuerunt, qui tamen futura non prædixerunt. 4. Multa etiam a Prophetis fuerunt prædicta, quæ non rarò post sæcula aliquot erant implenda; quod si ergo sciri non potuisset, verum Prophetam esse, qui futura prædixit, priusquam eventus prædictioni responderet, tum suspensi & dubii semper manere debuissent illi, ad quos Prophetæ illi loquuti fuerunt, de Prophetarum illorum fide; nec culpandi fuissent inter Judæos, qui Prophetis illis fidem adhibere recusarunt.

Objicit. Si defit fides, reprobatur his verbis, Deut. 13. 1--5. *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit, quod loquutus est, & dixerit tibi: eamus & sequamur Deos alienos &c. Propheta ille interficietur.* Si prædictio eventuum defit, rejicitur his verbis: Deut. 1. 21, 22. *Quod si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere, quod verbum Dominus non est loquutus? hoc habebis signum. Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est loquutus &c.*

Resp. Inuitur tantum loc. citt., non esse verum Prophetam, si aut doctrina ejus vera non fuerit, aut even-

eventus prædictioni non responderit; non autem rejiciendos aut non recipiendos esse, qui aut miracula non faciebant, aut quæ prædicebant futura, demum post secula aliquot implenda erant; aut quibus deerat prædictio futurorum.

VI. *Vocem Prophetæ ait in S. Script. significare aliquando eum, qui mente captus loquitur verba incoherentia.* Leviath. c. 36. p. 196.

Ubi hoc in S. Script. vox *Prophetæ* significat? respicit forsan 1 Sam. 18. 10. 1 Reg. 18. 29. sed neutro loco *prophetare* illud significat: nam loco *priore* Sauli prophetia non tribuitur insanix, sed malo spiritui, sive Dæmoni; de verbis incoherentibus ibi nihil. Loco *posteriore* non agitur de mente captis, sed Pseudo-Prophetis Achabi, qui *prophetasse* dicuntur *equivocè*; uti Pseudo-Theologia Gentilium *equivocè Theologia* appellatur.

VI. *Vocem Prophetæ etiam dicit sapissimè poni pro eo, qui nomine Dei alloquitur populum; eo sensu Moſen, Samuelem, Eliam, Iesaiam, Ieremiam, aliosque Prophetas fuisse, etiam summum Sacerdotem; uti Cajephas prophetasse dicitur Iob. 11. 15. Ibid.*

Quasi omnes Sacerdotes summi inter Iudæos & Cajephas Prophetæ fuissent, sicut Moſes, Samuël, Elias, &c. Ineptè! Nam 1. Moſes, Samuël, Elias &c. donum prophetandi habuerunt extraordinarium; tali sensu omnes summi Sacerdotes Prophetæ non fuerunt, ut notum. 2. Præterea donum Prophetandi in Moſe, Samuële &c. fuit permanens; non ergo Cajephas, quia semel prophetavit, ideo Prophetæ fuit, sicut Moſes, aliique. 3. Et aliud est, præter consilium suum per occultam Dei providentiam aliquid futurum prædicere, quod fecit Cajephas; aliud Prophetam esse, sicut Moſes, Samuël, aliique viri sancti fuerunt, qui acti à Sp. S. loquuti fue-

fuerunt. 4. Et si Moses, Samuël &c. tantum ideo Prophetæ fuerunt: quia nomine Dei alloquuti fuerunt populum; tum etiam Pastores Ecclesiæ ordinarii Prophetæ essent, sicut Moses, Samuël, Elias &c. ut qui etiam in nomine Dei populum alloquuntur, 2 Cor. 5. 20.

VII. Prophetas negat loquutos fuisse per Sp. S. Lev. cap. 8. pag. 40. & cap. 32. pag. 174. & cap. 36. pag. 197, 200.

Quod si quis dicat, Deum se immediatè alloquutum fuisse (quod certè dixerunt Prophetæ & Apostoli) nisi hoc dicat Rex, causam nullam esse docet, neque ut credam, neque ut obediam. Leviath. cap. 32. pag. 174.

Nam qui Deum in somnio ad se loquutum esse dicit (quod utique dixerunt Prophetæ) Deum ad se loquutum esse, somniasse se dicere, ait Ibid.

Quæ & inepta & impia sunt, seria refutatione indigna.

VIII. De Prophetis inquit, quod Reges Iudæ & Israëlitis criminati fuerint, aliquando quod religionem, aliquando quod statum civilem malè administraverint, quod illos fecisse ait: quia jus Regum illorum non intellexerunt. L. c. 40. p. 225.

An ergo Elias, Jesaias, Jeremias, aliique Prophetæ, quos S. Petrus testatur loquutos fuisse actos a Sp. S. 2 Petr. 1. 21. quosque constat dictos Reges criminatos fuisse ob idololatriam aliaque peccata, jus illorum Regum non intellexerunt? nempe jus illorum Regum hodie melius intellexit Hobbes, quam suo tempore dicti Prophetæ intelligere potuerunt? En hominis arrogantiam!

S E C T. III.

De Ministrorum Vocatione.

OMnes Ministri Ecclesiæ vocationem suam habent a Deo, *Hebr. 5. 4.* extraordinarii immediate, *Gal. 1. 1.* Ordinarii mediatè per Ecclesiam. *1 Tim. 4. 14.*

Ille *populum docendi auctoritatem Monarchis solis à Deo immediate concessam esse* contendit. *Ministros autem docendi potestatem immediate à summa Potestate, & mediatè à Deo accepisse.* *L. c. 23. p. 120. & c. 42. p. 256.*

Resp. 1. Qui immediate à Deo acceperunt potestatem docendi in Ecclesia, illi sunt Ministri Ecclesiæ extraordinarii; sed omnes Monarchas esse Ministros Christi extraordinarios, ipse negat, *L. c. 36. p. 199.* 2. Ministri habuerunt potestatem docendi, priusquam ulli Reges Christiani fuerunt, quam ergo tum immediate à summa potestate non acceperunt, sed a Deo mediatè per Ecclesiam. 3. Factis Regibus Christianis, tum Deum Ministros Ecclesiæ non amplius vocare voluisse mediatè per Ecclesiam, sed mediatè per eum, qui in Republ. summam habet potestatem, unde constat? 4. De *populum docendi auctoritate, quam hic rursus Monarchis concessam esse ait, supra diximus.*

S E C T. IV.

De Ministrorum & Auditorum officio.

Illorum officium est docere Verbum Dei, quamvis hoc leges civiles prohiberent, uti fecerunt Christus

stus & Apostoli; idque per se non per alios. 1 Tim. 3. v. 2. 2 Tim. 2. 2, 24. Tit. 1. 9. Officium Auditorum est, verbum sibi annuntiatum a Pastoribus explorare ad Lydium lapidem S. Scripturæ, Act. 17. 11. 1 Iob. 4. 1. 1 Thess. 5. 21. Ille contra

L. *Doctrinam nullam à civē doceri jure posse ait, quam Civitas temporalis doceri prohibet.* Leviath. cap. 39. pag. 219.

In Civitate Christiana prophetare, aut docere contra doctrinam à summo Imperante stabilitam, civili licere nemini. Lev. c. 40. p. 222.

Contra perpetuam praxin Prophetarum V. T. & Christi & Apostolorum in N. T. & mandatum Christi. Matt. 10. 18, 19.

II. *Fieri posse, ut Rex aliquis subditorum suorum Pastorem constituat Regem alium; sicut multi Reges Christiani Pastorem fecerunt subditorum suorum Papam Romanum.* L. c. 42. p. 256.

Quasi Pastor esse posset alicujus Ecclesiæ, qui non indefinenter illam pascit per se verbo & Sacramentis, eique præsto est, cui præstet; sed Papa in multis Regnis simul præsto esse non potest; & per alios jure hoc facere non posse, liquet locis statim citatis.

III. *Qui summam in Republ. Christiana potestatem habent, Pastores supremos esse ait; solosque per quos hodie loquentem Deum audiunt Christiani; atque in quibus ultimo fides subditorum suorum terminari debet.* L. c. 43. p. 281.

Resp. Cum in multis civitatibus Christianis doctrinæ doceantur & verbo Dei, & sibi invicem contrariæ; ut constat experiential; si Christiani hodie per solos illos Deum audiunt loquentem, tum Christiani per illos audirent Deum loquentem doctrinas & verbo suo, & sibi invicem contrarias, hoc est, mendacia loquentem. Quod impium & absurdum est.

IV. De-

IV. Denique cum Pontificiis negat, *Laicos teneri judicare de doctrinis Pastorum suorum.* App. cap. 2. pag. 353.

CONTRA loca supra citata.

CAPUT. XXXIII.

De Hostibus Ecclesia.

INter Hostes Ecclesiae excellunt *Anti-Christus* ἡγρ³ ἑξοχλῶ ita dictus (de quo 1 Job. 2. 18. 2 Thess. 2. v. 4. Apoc. 13. v. 11.) atque *Hæretici*. Ille est, qui sub Vicarii Christi nomine summus ejus hostis existit; quem *Papam Romanum* esse, luce meridianâ clarius jam dudum demonstratum est. Vide *Gomar. disp. Theol. de Antichr.* Hi sunt, qui dogma aliquod, fundamentum fidei Christianæ convellens, pertinaciter adversus demonstratam veritatis lucem propugnant. Hobbes,

I. *Papam Antichristum esse*, negat cum Pontificiis, quatinus alias satis ipsis infensus, Lev. cap. 42. pag. 263.

Nempe metuit Papis suis politicis, ne & illi Antichristi dicendi essent, si talis revera esset Papa Romanus, imprimis propter dominatum, quem usurpat in Ecclesiam Christi.

Sed I. quod ipse scribit (L. c. 42. p. 256.) *Multos Reges Christianos Pastorem fecisse subditorum suorum Papam Romanum*, genuina nota Antichristi est. Apoc. 17. 12-17. & 18. 3, 9. 2. Ipse dicit, *Antichristum esse hominem ambiciosum, impostorem, qui regnare conatur, quique populum per miracula falsa, per vitam hypocrisisicam, vel per orationes & doctrinas blan-*

blandas decipiendi artem cabet. Ibid. sed talem hominem esse Papam, quis ignorat?

Obj. 1. *Antichristus est, qui negat ꝑ. Christum in carnem venisse, seu ꝑ. esse Christum, 1 Joh. 4. v. 3. & seipsum Christum esse dicit, Matt. 24. v. 5. at hoc non facit Papa; Ergo &c.*

Resp. ꝑ. *Christum in carnem venisse, seu ꝑ. esse Christum, negat Papa; non quidem aperte: quia aliquam similitudinem agni debet habere, Apoc. 13. 11. sed in corde suo, Ps. 14. 1. & in operibus suis, Ezech. 28. v. 2. & per consequentiam dogmatum suorum. Et Papa se Christum esse dicit tum verbis, se appellans Deum, Christum, Sponsum & caput Ecclesiae eo modo quo Christus fuit, dum in terris degebat; Ecclesiae fundamentum, lapidem illum angularem, de quo Ies. 28. v. 16. 1 Petr. 2. v. 6. tum factis & doctrina.*

Obj. 2. *Antichristus non est, qui Christi Vicarium se esse dicit; sed talem se esse, dicit Papa.*

Resp. Præpositio ἀντι tam in compositione, quam in appositione, significat pro, loco & vice alicujus; ut Matt. 2. 22. ἀντι Ἡραδῶ. & apud Homer. Il. 1. ἀντι πολλῶν λαῶν. Act. 13. v. 7. Ἀνθύπατος, Vicarius Consulis, & apud Bud. Ἀντισρατηγός, ducis vicarius; & apud Dion. Halic. Ἀντιβασιλεύς, Regis vicarius. Eadem præpositio etiam contra significat; ut in ἀντιβάλλω, ἀντιλέγω, &c. manifestum est. Antichristus ergo Papa est: quia sub Vicarii Christi nomine, revera summus ejus hostis est.

Obj. 3. *Notam (inquit) etsi non valde perspicuam habemus (Matt. 24. 15. &c.) nempe; Cum videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est per Danielem Prophetam positam in loco sancto. Et erit tunc*

tunc afflictio magna, qualis facta non fuit &c. Sed, inquit, afflictio illa nondum venit. Sequutura enim statim est obscuratio solis, & stellæ cadent, & potestates cælorum concutientur, & tunc apparebit signum filii hominis, &c. & videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potentia & gloria multa. Nondum ergo venit ille Antichristus; Pontifices autem multi & venerunt & abierunt.

Resp. 1. Christus hîc de abominatione vastatrice loquens, non respicit Dan. 11. 31. & 12. 11. ubi de Antiocho agitur tanquam typo Antichristi; sed Dan. 9. 27. ubi per abominationem illam vastatricem positam in loco sancto intelliguntur signa Romanorum militaria, sive exercitus Romanorum sub Tito Vespasiano; in loco sancto, hoc non est in ipso templo: id enim nota venturæ cladis supra Jerusalem non erat (de quâ hîc loquitur Servator); sed ipsa clades præsentissima; verum in templi conspectu, in solo circum urbem: quod solum Deo uni, non gentium Diis, sacrum esse oportebat. Vide hîc imprimis insignes notas Bald: Walæi. Loquitur ergo Servator de destructione urbis Hierusalem, tanquam typo interituri mundi; non de tempore venturi Antichristi.

2. Proinde afflictionem illam nondum venisse, falsum: nam per illam afflictionem (ut dixi) intelligit Dominus ipsum urbis excidium. 3. Quæ ibi dicuntur statim sequutura afflictionem illam, si allegoricè intelligenda sunt de calamitatibus Ecclesiæ ac mundo eventuris ante Christi adventum, partim facta sunt, atque etiamnum hodie fiunt; si tanquam propriè dicta, nondum quidem facta sunt, & tamen statim (iudæos) post illam afflictionem dicuntur futura: quia inter afflictionem illam, & illa, quæ illam sequutura dicuntur, nulla interveniet insignis clades,

quæ populo Judaico accidat. Ergo in illis Christi verbis nihil pro Papa non Antichristo.

Obj. 4. Denique potestatem, inquit, in alienis dominiis legislativam sibi quidem assumunt Papa, & Regnum quoddam usurpant, sed in hoc mundo; nec ut Christus, sed ut pro Christo. Id quod nihil habet in se de Antichristo.

Resp. I. Potestatem in dominiis alienis supra Reges & Imperatores usurpare, est genuina nota Antichristi; quam tradit Apost. 2 Thess. 2. 4. 2. Et Christum Regnum ullum habere, aut habiturum unquam, quam in hoc mundo, passim negat Hobbes ipse. 3. Regnum aliquod usurpare pro Christo, hoc est, vice Christi, est ipsius Antichristi, ut ostensum. 4. Illud Papa ut Christus usurpat: dicit enim ut Christus; *Mihi data est omnis potestas in caelo & terra.* 5. Nec ille pro Christo Regnum usurpat, qui Christum in membris suis persequitur. De Papa Antichristo nervosè vide disputantem contra Bellarm. Amef. Tom. 1. l. 3. c. 4. & 5.

II. Ad Hæresios definitionem contendit nihil pertinere errorem. Lev. cap. 42. pag. 277. App. cap. 2. pag. 247.

Resp. Quamvis vox *æspicuos* primâ suâ origine mediæ significationis esse non negemus; uti in Paradoxo ait Cic. *Non sum in eadem cum illo hæresi*, i. e. opinione; semper tamen in S. Script. in malam partem pro opinione erroneâ usurpatur: nam Hæresis semper in S. Script. veritati fideique Divinæ opponitur; cum ergo fides Divina sit assensus verus, qui præbetur Verbo Dei; ergo hæresis est opinio falsa, sive erronea. 1 Cor. II. v. 19. Gal. I. v. 7. & 3. I. & 5. 20. Rom. 16. 17. 2 Thess. 2. II. Tit. 3. 10, 11. 2 Petr. 2. 1, 2.

Aposto-

Apostolus quidem (Act. 24. 14.) *hæresin* vocat Christianam religionem; sed non simpliciter, aut suo sensu, sed sensu aliorum: nam disertè addit, *quam vocant hæresin*. Etiam Pharisaismum *hæresin* appellat, Act. 26. 5. nempe quia revera erat perniciofa hæresis: vocat enim *exquisitissimam hæresin*: quia hypocrisis suâ Pharisæi singularem sanctitatis opinionem sectæ suæ conciliare studebant.

III. *Omniem opinionem privatam, sive erronea sit sive non, contra leges Civitatis obstinatè propugnata, hæresin esse contendit.*

Quippe impossibile esse, opinionem ullam hæreticam esse, quam publicè doceri jubent, vel permittunt leges Civitatis. Ibid.

Resp. 1. Pharisaismum tempore Pauli publicè doceri permittebant leges Civitatis; eum tamen Apost. *αυξουσιωτικω* (*exquisitissimam*) *hæresin* appellat, Act. 26. 5. nempe ut in Scriptis Apostolicis sumitur semper in malam partem. Vide *Eduard. Leigh Crit. Sacr. in voce αἵρεσις*. Non ergo impossibile est, opinionem hæreticam esse, quam publicè doceri permittunt leges Civitatis. 2. Et omnium Christianorum calculo, hæretica olim fuit Arianorum opinio; sed juxta hunc Hobbesianismum talis non fuisset sub Imperatoribus Arianis: quippe qui Arianismum publicè doceri permittebant; sed Hæretica fuisset ei contraria fides orthodoxa de *δμοουσιω*. 3. Hæretici fuissent etiam omnes pii Martyres, & jure à Tyrannis occisi: quippe qui S. S. Dei veritatem contra leges Civitatis eonstanter propugnauerunt.

IV. *Quin religionem Christianam tempore Imperatorum Ethnicorum hæreticam fuisse, disertè scribit. App. c. 2. p. 350.*

Cum disertè tempore Imperatorum Ethnicorum

hæresis ab Apost. numeretur inter opera carnis, uti adulterium, scortatio, &c. Gal. 5. v. 20. Ergone tempore Imperatorum gentilium Religio Christiana fuit opus carnis, ut adulterium, scortatio? *Apage!*

C A P U T. XXXV.

De Disciplinâ Ecclesiæ.

S E C T. I.

In quo consistat?

Consistit *Disciplina Ecclesiæ* in potestate remittendi & retinendi peccata, *Iob. 20. v. 23.* quæ designatione *Clavium* continetur, & vocabulis *ligandi* & *solvendi* designatur, *Matt. 16. 19. & 18. 18.* Quæ potestas in Ministris Ecclesiæ non est *authoritativa*: quippe quæ solius Christi est, *Apoc. 3. v. 7.* sed purè *ministerialis*, in solius Christi nomine, & juxta illius voluntatem & præscriptum exercenda, *1 Cor. 4. 1.* Et quamvis illa, quam Christus Ecclesiæ Ministris dedit, potestas remittendi peccata, sit vera & propria, non tamen est *absoluta*, qualis in Christo est; sed *hypothetica*; nempe *si verè & ex animo credas & resipiscas.* *Excommunicationem* revera poenam esse, liquet *2 Cor. 10. 6. & 13. 10.* ubi *virga, vindicta* appellatur. *Hobbes*

I. Pastores ait *habere potestatem, peccata verè & absolutè remittendi.* Addit; *Sed pœnitentibus. C. c. 17. art. 25.*

Resp. Si solis pœnitentibus (cum nemo præter solum

solum Deum scire possit, quinam verè & ex animo poeniteant) etiam nemo præter solum Deum ita verè & absolutè peccata remittere potest. *Vide supra c. 3 I.*

Sett. I. Ass. 4.

II. *Apostolis statuit datam fuisse omnem potestatem remittendi, quam ipse habuit Christus. Ibid.*

Resp. Christus habuit potestatem remittendi peccata, qualem nemo habet, aut habere potest, præter solum Deum, *Luc. 5. 20--24.* quam ergo Christus Apostolis dare non potuit.

Obj. *Sicut misit me Pater, inquit Christus, & ego mitto vos (Job. 20. 21.) subjungitque: Quorum remiseritis peccata &c.*

Resp. *Sicut, hinc non notat equalitatem potestatis, sed similitudinem in qualitate & modo missionis. Potestatem remittendi & retinendi peccata ministerialem tantum Christus iis verbis concessit Apostolis, auctoritativam sibi soli vindicans.*

Idem ex illis verbis Christi vult colligere Bellarminus *Controv. Tom. I. lib. 4. cap. 23.* Quare de hac controversia consule Amesium, aliosque Bellarmi. Antagonistas.

III. *Excommunicationem penam esse, negat. App. c. 2. p. 353.*

Resp. Poena est malum, alicui propter peccatum inflictum ab eo, qui legitimam habet potestatem; sed 1. Excommunicationem malum triste esse, liquet *Matt. 16. v. 19.* 2. Et propter peccatum immittere, etiam manifestum est, *Matt. 18. 15--17.* nec ipse diffidetur. 3. Ecclesiam autem, ipse etiam fatetur, habuisse legitimam potestatem excommunicandi ante Constantinum M.; & liquet, *1 Cor. 5. v. 4.* & aliis locis citatis. Quare illam poenam esse, negari non debet.

Obj. *Non est poena, inquit: quia saepenumero ex-*

*communicantibus magis, quam excommunicato esse in-
commodum.*

Resp. Hoc si fit, fit per accidens præter naturam
excommunicationis, & scopum excommunicantis.
Neque excommunicantis finis per se est excommuni-
cando incommodare, sed illum corrigere & emen-
dare. Unde non sequitur, illam poenam non
esse.

*IV. Potestatem illam ligandi (Matt. 18. 21.) cum
Bellarmino (T. I. l. 4. cap. 15.) legislativam esse con-
tendit; sed eum (contra eundem Bellarmi.) locum
illum ait tribuere potestati civili. Leviath. cap. 42.
pag. 266.*

*Secundo, inquit, adducit Bellarminus textum
Matt. 18. v. 21. Quicquid ligaveris in terrâ &c. & ita
interpretatur, ac si potestas ligandi esset potestas legisla-
tiva, quam potestatem locus hic attribuit potestati ci-
vili: Scriba enim & Pharisei sedebant tunc, non Pe-
trus in Cathedra Moſis, & propterea ligare idem erat,
quod legem condere.*

Resp. Hæc verba (quam potestatem locus hic attri-
buit potestati civili) non possunt intelligi de Bellarmi-
no; non enim ille statuit, illam locum potestatem
ligandi attribuire potestati civili; sunt ergo Hobbe-
si verba. Statuit ergo ille, loco hoc citato po-
testatem illam ligandi esse potestatem legislativam,
quam ille locus tribuit potestati civili; quod & se-
quentia verba indicant: *Et propterea ligare idem erat,
quod legem condere.* Hæc autem verba: *Scriba enim
& Pharisei sedebant tunc, non Petrus, in cathedra
Moſis, quid sibi velint, non intelligo; nisi putave-
rit; hæc verba (Quicquid ligaveris) Dominum lo-
quentem fuisse ad eos, qui tunc sedebant in Cathedra
Moſis.*

*Ligare isto loco non esse legem condere, liquet
Matt.*

Matt. 18. v. 17, 18. Job. 20. v. 22, 23. Et alibi ipse potestatem ligandi & solvendi interpretatur retentionem & remissionem peccatorum; eamque docet pertinere ad Pastores Ecclesiae. *de Cive. cap. 17. art. 25.*

SECTIONO II.

Cui competat ?

Illam potestatem Christus concessit Ecclesiae suae, vel qui eam repraesentant Ministris suis, *Matt. cap. 18. vers. 17.* I *Cor. 5. v. 1 -- 5.* Qui illam exercent in nomine solius Christi. I *Cor. 5. v. 4.* Ille vero

I. Distinguit inter *judicare de peccato, & judicatos ex Ecclesia ejicere*; prius pertinere docet ad Principes Christianos; posterius tantum ad Pastores. *de Cive. cap. 17. art. 15.*

Quasi Christus quibus posterius mandavit, nempe peccatores ex Ecclesia ejicere, non etiam mandasset prius, nempe de peccato judicare, *Matt. 18. v. 17.* Et *Clavem cognitionis*, sive de peccato & poenitentia Christianorum judicandi potestatem denegasset iis (Pastoribus), quibus ipse fateretur Christum dedisse claves Regni coelorum, sive potestatem ligandi & solvendi. Ineptè!

II. Neminem excommunicare Ecclesiam ait; nisi quem excommunicat autoritate ejus, qui summam habet in Civitate potestatem. C. l. cit. *Lev. cap. 42. pag. 245.*

Resp. I. Quod Ecclesia facit autoritate coelesti, id non facit autoritate Magistratûs; sed quem excommunicat, illum excommunicat autoritate coelesti,

lesti, *Matt. 16. 19. & 18. 18.* 2. Quod Ecclesia facit in nomine Christi, illud non facit autoritate ejus, qui summam in Civitate potestatem habet; sed Ecclesia excommunicat peccantes in nomine solius J. Christi. *1 Cor. 5. v. 4.* 3. Cujus autoritate olim tempore Apostolorum Ecclesia excommunicavit peccantes, eadem illos nunc excommunicat Ecclesia; sed ipse non dicit Adversarius, tempore Apostolorum Ecclesiam quemquam excommunicasse autoritate Imperantis civilis. 4. Illius autoritate Ecclesia debet excommunicare, qui summam habet in Ecclesia potestatem; at ille est solus Christus. *Apoc. 3. 7.*

III. Quin *excommunicationem*, si careat potestate civili, inutilem esse, contendit. *Leviath. loc. cit.*

Resp. 1. Excommunicatio incoestuosi, mandato Pauli facta ab Ecclesiâ Corinthiaca, non fuit inutilis, uti eventus docuit; illa tamen potestate civili non fuit munita. *1 Cor. 5. cum 2 Cor. 2. 2.* Quod D. N. Jesus Christus instituit in Ecclesia ad illius ædificationem, illud absque blasphemia dici non potest per se inutile esse; sed ita Christus ipse instituit excommunicationem. 3. Et Apostolus de hac Ecclesiæ potestate differens diserte negat, *hæc arma illius carnalia esse*, hoc est, à potestate aliquâ civili dependere; sed *divinitus valida esse*, ait, *ad destructionem munitionum &c.* *2 Cor. 10. vers. 4.*

SECT.

S E C T. III.

In quos & quas ob causas adhibenda?

Hic liquet, excommunicandos esse illos, qui cum membra sint Ecclesie institutæ, in doctrinâ versantur hæreticâ, vel vitâ scandalosâ. *1 Tim. 1. v. 20. Tit. 3. 10. 2 Iob. v. 10, 11. 1 Cor. 5. Matt. 18. v. 17.* Nam etiam hæresis recensetur inter illa peccata, quæ hominem excludunt ex Regno Dei, uti adulterium, scortatio, &c. *Gál. 5. vers. 19, 20.* Ille vero,

I. *Excommunicari neminem posse, docet, qui credit I. esse Christum, dummodo legibus Civitatis obediat. L. c. 42. p. 241..*

Ubi hæc duo impia & falsa supponit. 1. Nullum fidei articulum fundamentalem esse præter hunc, *I. esse Christum*; quod fusè refutatum *suprà cap. 8.* 2. Et nullam actionem scandalosam committi posse à Christiano, quæ excommunicationem mereatur, nisi quæ committitur contra leges civiles; quasi præter illas nullæ essent aliæ proprie dictæ. De quo *Vide suprà cap. 20. Exerc. 6.*

II. *Neque propter hæresin excommunicari quemquam posse, ubi religio Christiana à potestate civili non protegatur. Ibid. p. 239, 241.*

Resp. 1. Tempore Pauli religio Christiana à potestate civili non protegebatur; & tamen tunc hymenæum & Alexandrum propter hæresin ex Ecclesia ejectos Satanæ mancipavit. *1 Tim. 1. v. 20.* Quod Paulus non fecisset, si tum facere non potuisset. Vide etiam *Tit. 3. 10.* de quo statim. 2. Ubi homo Christianus ob datum scandalum excommuni-

cari potest ; ibi etiam excommunicari potest ob hæresin : quia doctrinam falsam contra fundamentum cum pertinacia profiteri, maximè scandalosum est ; sed pro dato scandalo quenquam excommunicari posse , ubi religio Christiana à potestate civili non protegitur, ipse concedit , *Ibid.* pag 240.

III. *Hominem Hæreticum rejicere* (Tit. 3. vers. 10.) negat , esse *hominem excommunicare* ; sed *desinere illum admonere , et cum illo non amplius disputare*, ait *Ibid.* p. 240.

Resp. I. cit. dicit Apost., *hominem hæreticum rejiciendum esse , post unam atque alteram admonitionem* , quarum postrema saltem de publica intelligenda videtur ; ne sc. hæreticus gloriatur , se neque auditum , neque convictum esse ; quod indicium est , I. cit. excommunicationem intelligi : quod etiam postulare videtur ratio , quam subjungit Apost. v. II. *Ut qui novis eversum esse eum , qui sit ejusmodi , et peccare , ut qui suapte judicio sit condemnatus.* Quis dicat , talem indignum esse excommunicari ? Et cum Religio Christiana à potestate civili tam necdum protegatur , invictè ille textus demonstrat ; etiam ob hæresin quenquam excommunicari posse , ubi religio Christiana non protegitur à potestate civili , *contra Aff. præced.*

CAPUT. XXXVI.

De Sacramentis Ecclesie.

Illa *signa* esse *et signa* fœderis gratie , liquet
 Rom. 4. v. 11. *Et signum accepit Circumcisionis ,*
sigillum

figillum justitiæ fidei. Eaque administrari debere à solis Verbi Divini Ministris, significat Christus, dicens Apostolis, Matt. 28. vers. 19. *μαθητεύσατε, discipulos facite omnes gentes, baptizantes eos.* & I Cor. 4. 1. inquit Apostolus de se, omnibusque Evangelii Præconibus; Sic de nobis reputet homo, ut de Ministris Christi, & dispensatoribus Mysteriorum Dei. Atque in Baptismo fidelibus & resipiscentibus peccata remissa esse, liquet Marc. 1. 4. *Baptizabat Iohannes in deserto, & prædibat baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum.* & Act. 2. 38. *Resipiscite & baptizetur unusquisque vestrum in nomen I. Christi in remissionem peccatorum.* Transsubstantiationemque Pontificiam figmentum esse, fidei Christianæ contrarium, liquet ex Symbolo; *Ascendit in cætos, sedet ad dextram Dei.* Ille verd,

I. *Sacramenta*, contendit, esse tantum *nuda signa* admissionis in Regnum Dei (quod credit necdum esse; sed demum futurum novissimo die, quale olim fuit in populo Israëlítico sub Prorege Dei Mose) & in *memoriam tanti beneficii instituta.* Leviath. cap. 35. pag. 193.

Quasi 1. admitti posses in Regnum, quod non existit in rerum naturâ; & memoria esse posset beneficii nec præsentis nec præteriti, sed demum novissimo tempore futuri. 2. Quamvis *Circumcisio* dici possit in V. T. signum fuisse admissionis in Regnum Dei, sive Ecclesiam; & jam *Baptisma* idem esse in N. T.; idem tamen dici non potest olim fuisse *Pascha* in V. T. & nunc esse S. Coenam in N. T.; quippe quæ respiciunt primario Sacrificium Christi; illud suo tempore peragendum, hæc in cruce peractum, I Cor. 5. v. 7. Ioh. 1. v. 29. Matt. 26. v. 26, 27, 28. I Cor. 10. vers. 16. & II. v. 23 -- 27. 3. Et Sa-
cra-

cramenta non nuda signa esse, liquet ex *Rom. 4. vers. II. cit.*

II. *Etiam Regibus Christianis*, docet, *licitum esse illa administrare*, App. c. 3. pag. 364.

Sic terram coelo miscet. Vide *supra cap. 33. de Ministerio, Sect. 1. Ass. 10.*

III. *In Baptismo* negat *pœnitentibus factam esse peccatorum remissionem*. C. c. 17. a. 25.

Contra tam diserta loca S. Script. statim citata.

IV. De *Transsubstantiatione* ait; *Siquis dicat, quod post certa verba, ab ipso prolata super buccam panis, non sit amplius panis, sed Deus vel homo, etsi oculis, ut ante, panis videatur, causam nullam esse, cur quis ita factum realiter esse putet, neque illum timeat; donec à Deo per illum, qui locum ejus in Civitate tenet, utrum realiter factum sit nec ne, inquisi erit. Et siquidem ille negat, tum sequi id, quod à Mose dictum est (Deut. 18. 22. Temere Propheta ille loquutus est). Sin factum esse realiter, dicat; acquiescendum esse. L. c. 37. p. 207.*

Qui tamen alibi ipse, *impudenter mendaces esse, dicit, Sacerdotes, cum se panem in hominem, & (quod magis est) in Deum convertisse affirmant. L. c. 44. p. 293. Imo crassissimam continere Idololatriam, Ibid. Qua (Idololatria) excepta, una cum Atheismo & Apostasia, docet, in omnibus doctrinis, à summam habente potestatem in Civitate Christiana definitis, acquiescendum esse, C. c. 18. a. II. Hæc qui cohærent? nempe Transsubstantiationem crassissimam esse Idololatriam, quam si definit lex civilis, acquiescendum esse; ut scribit *L. l. cit.* Et non acquiescendum esse, si Idololatriam definiat lex civilis, ut scribit, *C. l. cit.**

L O C U S XVII.

C A P U T. XXXVII.

De Magistratu & lege civili.

Initium *societatis civilis* non solum aut præcipue esse a mutuo hominum metu, sed a propensione ad eam naturali, divinitus naturæ rationali implantata, liquet, tum quod a Deo illam esse testatur S. Scriptura, Rom. 13. 1. Prov. 8: 15, 16. tum quod unusquisque naturalem illam ad societatem propensionem in sese deprehendat. Unde merito Arist. hominem dixit *animal politicum*, & πόλις esse τῆ φύσει. Regimini politico in excessu opponi *Tyrannidem*, in defectu *Anarchiam*, per se notum videtur, Prov. 28. 15. Jud. 16. 17. & 18: 19. Idem liquet de *resistentia positiva* subditorum, Rom. 13. v. 2. Præterea finem & scopum Potestatis civilis legumque civilium, esse debere non bonum Imperantis privatum, sed publicum populi, liquet Rom. 13. 4. I Tim. 2. 2. Denique *omnium legum civilium inanem esse censuram*, nisi *divinæ legis imaginem gerant*, non minus verè, quam eleganter ait Augustinus. Hobbes autem,

I. *Societatis civilis initium esse*, contendit, à mutuo hominum metu, nequaquam à naturali instinctu naturæ humanæ. C. c. a. 2.

Quod prolixè refutavimus *supra cap. 17. in Exercit. ad illum locum.*

II. *Obli.*

II. *Oligarchiam, Anarchiam, Tyrannidem* negat *statum Civitatis esse diversum à legitima Aristocratia, Democratia, & Monarchia.*

Quod, inquit, antiqui rerum politicarum Scriptores introduxerunt tres alias species his (Democratia, Aristocratia, Monarchia) oppositas; nempe Democratia Anarchiam, Aristocratia Oligarchiam, Monarchia Tyrannidem; non sunt illae tres aliae species Civitatis; sed tria nomina diversa, quae illis indidere illi, quibus vel regimen vel Regentes displicuerunt: solent enim homines non res tantum, sed & proprios affectus significare, ita ut his nominibus non designentur diversae species Civitatis, sed civium diversa sententia de Imperante. C. c. 7. a. 2.

Nomina Tyrannis, Oligarchia, Anarchia non sunt propria; inquit; sed significant affectum, non conceptum ejus, qui illis utitur: nam qui Monarchae irati sunt, Tyrannum appellant; qui Optimates oderunt, statum eorum Oligarchiam dicunt; & qui Demagogos non amant, statum Democraticum Anarchiam vocant. L. c. 19. p. 92.

Resp. Siqui antiqui rerum politicarum Scriptores inter species Civitatis numerarunt etiam Anarchiam, Oligarchiam, Tyrannidem, errarunt illi procul dubio: Quis enim ignorat, dictos Civitatis status non nisi æquivoce species Civitatis dici posse? ut qui veræ Civitati privative opponuntur, ut morbus sanitati, cæcitas visui. Ude nunquam Arist. illas diversas species, sed quidem *ἁδὲρας* seu *corruptiones* Civitatis nuncupavit, §. Pal 1.

Quod Hobbes Anarchiam & Democratiam; Oligarchiam & Aristocratiam; Tyrannidem & Monarchiam, dicat solo nomine differre; & nominibus Anarchia, Oligarchia, Tyrannidis indicari tantum civium diversas sententias de Imperante, perperam de

de statu regiminis, secundum proprios suos affectus judicantium, in eo graviter fallit, aut fallitur. Nam 1. passim videmus Sp. S. malos Imperantes appellare *Dracones*, *Lupos rapaces*, *Leones*, *Ursos*, *Vulpes*, *Sues*, *Porcos*, Prov. 25. 15. Ezech. 22. 27. Dan. 2. Pf. 58. Es. 27. Zeph. 3. 3. Ezech. 19. 5, 6. Luc. 13. 32. Pf. 80. & 14. 4. Jes. 33. 1. an hæc tum nomina tantum sunt, non rem ipsam, sed sententiam tantum Sp. S. secundum affectus suos perperam de statu regiminis judicantis, significantia? Quin *Anarchiam*, ipse agnoscit, æque omnibus speciebus Civitatis revera opponi, & significare nullum omnino regimem; quare saltem, quod hîc ait, de Anarchiâ verum esse non potest. 2. Et quamvis demus, solere homines per nomina non res ipsas tantum significare, sed unâ etiâ proprios affectus; atque dictis nominibus non significari diversas species Civitatis, sed hominum diversas sententias de Imperante; non tamen inde sequitur, re ipsa Anarchiam à Democratia, Oligarchiam ab Aristocratia, Tyrannidem à legitimâ Monarchia non differre. Nam 1. aut illud civium judicium aliquando est rei ipsi consentaneum, aut nunquam; si prius dicas, tum non solo nomine, aut solo hominum judicio, sed re ipsa differunt; si nunquam; tum 1. ipsi rei non erit consentaneum judicium Virorum *Διοκρίτους* loc. cit. quod absit. 2. Et quoad rem ipsam illa imperandi ratio, ubi illi, penes quos est summum imperium, posthabito bono communi privatum tantum intendunt cum oppressione subditorum, forma regiminis diversa non esset ab illo imperii statu, ubi legitima ratio imperandi & parendi observatur, contra a. 18. c. 6. & a. 2. c. 13. ubi ipse damnare videtur illos Imperantes, qui potestate sua ad propriam libidinem abutuntur. 2. Affectus hominum, quos connotari vult

vult illis nominibus, possunt esse aut causa ejusmodi judicii hominum, aut illius effectus; quamvis ergo fieri possit, ut quis perverse de re aliqua iudicet, ubi affectus talis iudicii causa est; non tamen sequitur, hoc semper significari istis nominibus, quibus hominum affectus consignificantur.

Ineptè etiam dicit, hæc nomina (*Tyrannis, Oligarchia, Anarchia*) significare affectum, non conceptum ejus, qui illis utitur. Nam nunquam in hominibus existunt affectus, nisi prævia de re aliqua bona aut mala notitia. Quin ipse ait, *appetitus & aversiones esse à prospectu bonorum & malorum*, L. c. 6. p. 31. Quare affectus, si qui comitantur hæc nomina, ab aliquo prolata, necessario conceptum aliquem præsupponunt in iis, qui nominibus istis utuntur.

Obj. Quod ab altero *Democratia*, idem ab altero *Anarchia*; quod ab his *Aristocratia*, ab illis *Oligarchia* solet nominari; & quem alius *Regem*, alius *Tyrannum* esse dicitur. Ergo nominibus illis non res ipsæ, sed hominum tantum diversæ sententiæ de imperiis significantur.

Resp. Hæc ratio argumentandi si procederet, sequeretur, v. gr. *Idololatriam* a vero Dei cultu reipsa non esse diversam; sed solo nomine, & hominum iudicio ab illo discrepare: nam etiam eadem Dei colendi ratio ab uno *Idololatria*, ab altero verus Dei cultus solet nominari.

III. Speciatim *Anarchiam* contendit non esse statum regiminis diversum à legitima *Democratia*: nam illam opponi æque omnibus dictis speciebus: significare enim illam vocem, nullum omnino regimen, hoc est, ne *Civitatem* quidem esse. Non *Civitas* autem, inquit, *Civitatis* species esse non potest. Ibid.

Resp. 1. Non quæritur, an *Anarchia* sit *Civitatis* species,

species ; sed an nomen sit , affectus hominum tantum , non autem imperandi rationem significans diversam à legitima Democratia. 2. Quamvis *Anarchia* vi vocis defectum regiminis notes , eoque sensu omnibus dictis speciebus opponatur ; tamen usus obtinuit , ut speciatim illum statum popularem significet , in quo posthabitâ salute publica Regentes privata tantum commoda sectantur ; quo sensu est morbus Democratix , eique speciali modo opponitur ; & *Anarchia* appellatur : quia à tali statu regiminis facilis prolapsus est ad veram Anarchiam , & ab ea parum differt.

IV. Similiter speciatim de *Oligarchia* nugatur , quod non sit status regiminis diversus à legitima *Aristocratia*.

Quæ , inquit , *differentia est inter Oligarchiam , quâ significatur imperium paucorum , & Aristocratiam , quæ est imperium Optimatum ; præterquam quod homines ita inter se differunt , ut non eadem omnibus bona sint ; quo fit , ut qui aliis optimi , aliis pessimi videantur ?*

Resp. *Oligarchia* quidem vi vocis imperium paucorum significat ; sed cum verba instar nummorum usu valeant , videndum , quid ex usu Philosophorum significet ; sed his semper in deteriore partem sumitur , notatque talem regiminis statum , in quo pauci quidam cæteris imperant ut servis , suaque potestate ad propriam libidinem abutuntur. *Quæ* sanè differentia non est in solâ hominum opinione , sed in ipsa re , sive imperandi ratione : nam ipse (ut ante monuimus) non negat , Imperantes ita potestate suâ abuti posse , a. 18. c. 6.

V. Restat *Tyrannis* , de qua etiam pronuntiat , quod non sit status Civitatis diversus à legitima *Monarchia*.

Q q

Quod

Quod Regnum & Tyrannis non sine diversis speciebus Civitatis, haud facile persuadebitur, inquit, propter affectus hominum, qui etsi Civitatem Uni subjectam esse mallent, quam pluribus; non tamen rectè eam gubernari putant, nisi gubernetur ad arbitrium suum; sed quid differat Rex à Tyranno, ratione investigandum est, non affectu. Ibid. a. 3.

Resp. Tyrannidem non nisi æquivoce speciem Civitatis dici, ante diximus. Hoc ergo non quæritur sed (ut ipse in margine loquitur) *An Tyrannis non sit status Civitatis diversus à legitima Monarchia?* Non esse haud facile nobis persuadebit; neque affectus perversi (ut ille vult) in causa sunt, quod ita judicemus; sed quod ita ea de re judicet & pronuntiet S. Script. : nam si Tyrannus a legitimo Monarcha non differat; qui tum Deus Tyrannos excitare dicitur, ut populi peccata ulciscatur? *Ies. 19. 4.* Quod quandoque in gratiam populi eorum sævitiam cessare faciat, *Ezech. 34. 25, 28.* sint formidibiles. *Dan. 6. 5. v. 19.* Quod omnibus modis affigant subditos; ut de Pharaone memoratur; quod dominantur improbè, iracundè, dure; quod sint ursi violenti, afficientes angustia; quod sint ursi discursantes, bestiarum malæ, &c. Quorsum hæc, si Tyrannus à legitimo Monarcha non differat? Utique hæc à legitimo Monarcha procul absunt. Non igitur, quod sic de Tyrannide judicemus, in causa sunt perversi affectus, sed ipsa imperandi ratio: nam quamvis affectus hominum comitari soleant ejusmodi judicium; non tamen illud semper oritur ab illis affectibus; sed cum res per se omnibus maximè exosa sit Tyrannis, fieri non potest, quin ad tale judicium hominum affectus commoveantur; imprimis quando ipsi tali imperandi ratione præter spem opprimi se sentiunt immerentes. Si qui autem Civitatem Uni subjectam malint quam

quasi pluribus; & tamen eam non rectè gubernari autumant, nisi gubernetur ad arbitrium suum; errant illi procul dubio. Sed hoc non queritur; sed de ipso imperii exercitio in se; an illa imperandi ratio, quæ Tyrannis appellari solet, non sit diversa à legitima imperandi ratione? & mirum, contra huctari illum, qui post quædam ipse ita concludit; *Differunt ergo solo imperii exercitio; ut Rex sit, qui rectè regit; Tyrannus qui aliter.*

Obj. *Primo*, inquit, non eo differunt, quod major sit potentia Tyranni, quam Regis: quia summo imperio majus dari nequit.

Resp. 1. In eo supponit, potentiam Imperantis esse absolutè summam, quæ major dari nequit, quod falsum. 2. Potentia Tyranni (non legitima, sed usurpata) major est, quam Regis legitimè imperantis, seseque intra terminos suæ potestatis (quæ sunt leges tum Dei, tum illæ hominum, in quibus imperii potestas fundatur) continentis; quos limites qui excedunt Imperantes, jam non amplius legitimi Monarchæ sunt, sed Tyranni evadunt vel magis vel minus, prout vel magis vel minus exorbitant, Deut. 15. 16. Vide Alth. Pol. p. 885.

Secundo, inquit, non in eo differunt, quod alter potentiam habeat præscriptam, alter non: cuius enim potentia præscripta est, non est Rex, sed subditus.

Resp. Quid absurdi, si dicamus Regem eatenus subditum esse præscribentis: neque enim eo potentia Regis imminuitur; nam 1. nulla datur potentia ad malum. 2. Nec præscriptio illa est privativa, sed conservativa.

Tertio, inquit, non modo acquirendi differunt: siquidem enim in Civitate civis aliquis vi occupet impe-

rium, habito consensu, legitimus fit. Monarcha: eo consensu non habito hostis est, non Tyrannus.

Quasi 1. αούσατα essent, hostem & Tyrannum esse. *Altb. Pol. p. 893.* 2. Et usu receptum non esset, etiam illum Tyrannum dici, qui absque justo titulo vi invadit imperium.

Ex hisce concludit; *Differre ergo solo imperii exercitio; ut Rex sit, qui rectè regit; Tyrannus, qui aliter. Huc ergo, inquit, res redit, ut cives Regem, legitime in summo imperio constitutum, si imperium ipsis rectè videbitur exercere, tum Regem, aliter Tyrannum appellandum censeant. Non sunt igitur diversi status Civitatis Regnum & Tyrannis; sed eidem Monarchæ nomen Regis pro honore, Tyranni pro vitio datur.*

Resp. 1. Si Tyrannis & Monarchia revera imperii exercitio differunt, ut hîc ipse fatetur; miror, qui neget, Tyrannidem revera esse statum regiminis diversum à legitima Monarchia; dicatque, differentiam inter Regem & Tyrannum consistere in sola civium opinione diversa. An diversa civium opinio facit, ut imperii exercitio differant Imperantes, ut unus rectè, alter male imperet? Quod eidem Monarchæ sæpe nomen Regis pro honore, Tyranni pro vitio detur, nobis non obest: nam (ut etiam supra diximus) etiam eidem cultui divino nomen Religionis pro honore, idololatriæ pro vitio dari solet; an ideo idololatria non est Dei colendi ratio distincta à cultu Dei legitimo? 3. Mira est hæc argumentandi ratio; Homines judicant, Tyrannidem esse statum regiminis distinctum à legitima Monarchia, ergo reipsa distinctus non est; ac si dicerem, Hobbes judicet, Tyrannidem non esse diversam a legitima Monarchia; ergo Tyrannis a legitima Monarchia diversa est.

De-

Denique, *quæ*, inquit *passim contra Tyrannos dicta in libris reperiuntur*, originem à Græcis & Romanis Scriptoribus traxerunt, qui partim à Populo, partim ab Optimatibus regebantur; ideoque non modo Tyrannos, sed etiam Reges exosi sunt.

Resp. 1. Quid hoc ad rem, de qua disputamus?
 2. Nec verum: nam 1. Græcus fuit Aristoteles, qui tamen imperium Regium magnoperè commendat, ut primum maximeque divinum, 4. Pol. 3.
 2. Neque etiam Græci & Romani semper Regibus caruerunt. 3. Et apud Græcos & Romanos nomen Tyranni olim honorificum fuit non minus, quam Regis, ut liquet in illo Virgilio;

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

Tyranni, id est, Regis. Et Aristoph. Jovem appellat *Διὸν Τύραννον*. Et apud Athen. *Ἐγὼς* dicitur *Τύραννος* & *Διὸντος* & *ἀνδραπέτων*. Sed postea illud nomen in sequiorem partem usurpari cœpit ad designandos illos solos, qui insolenter viribus imperii abutebantur ad propriam libidinem, & injustam subditorum oppressionem, prout de Nerone canit Juvenalis Sat. 18.

Quid Nero tam sava crudaque tyrannide fecit?

4. Et olim plebs Romana Consulium nomen haud fecus, quam Regum perosa erat; quid tum?

VI. Imperantis potestatem indefinitam esse contendit, neque limites ullos admittere præter legem naturæ non scriptam. Leviath. cap. 22. pag. 112. C. cap. 6. art. 13.

Resp. 1. Quæ potestas sensu Hobbesiano est infinita soli Deo propria, illa absque blasphemia homini Imperanti attribui non potest; sed sensu Hobbesiano potestas infinita soli Deo propria est indefinita: nam

per *infinidum* soli Deo proprium Hobbes statuit non aliquid in re significari, sed *impotentiam in animo nostro*, tanquam si diceremus, nescire nos, an & ubi terminetur, C. c. 14. a. 14. sed hoc omnium sensu *indefinitum* est; si ergo potestas Imperantis est *indefinita*, ergo illa sensu Hobbesiano est *infinita*, ut solus Deus *infinitus* est. 2. Et si potestas Imperantis *limitata* est saltem à lege naturæ non scripta, ut hic fatetur, quæ illa absque contradictione dici potest *indefinita* esse? nisi quod neget leges naturæ leges esse proprie & accurate loquendo, quod refutavimus Cap. 20. Exero. 6. 3. Quæ potestas humana tantum est, & à potestate superiore, nempe Dei Creatoris & Regis Universi, non minus in genere *moris*, quam in genere *entis* dependens; & aliunde à Deo & hominibus derivata, & definita per leges divinas, naturales & in S. Script. revelatas, & illas hominum leges in quibus Imperii potestas fundatur, quæ leges Regni fundamentales appellantur; illa potestas *indefinita* dici non potest; sed talem esse Imperantium potestatem, per se manifestum est, & demonstravimus in Disp. inaug. de Exempt. Princ. in *Hobbesio ἐλεγχόμενῳ*.

Obj. 1. Omnes cives ita absolute voluntatem suam voluntati Civitatis subjecerunt, ut quilibet possit impune facere, leges condere, lites judicare, pœnas sumere, viribus & opibus omnium suo arbitrio uti, atque hæc omnia jure; ergo illius potestas est absoluta & *indefinita*.

Resp. 1. Tam absolutam subjectionem voluntatum civium ad voluntatem Imperantis negamus: habet enim & populus suam *Majestatem realem* legibus fundamentalibus contra licentiam Imperantis munitam, & *personali Majestati* Imperantis *contradistinctam*,

ctam,

Etiam, Deut. 17. 18, &c. 2 Sam. 5. v. 3. Non enim Imperans dominium Regni obtinet; sed administrationem tantum, Vide *Althus*, Pol. c. 9, n. 19, 20. &c. 2. Nec illud argumentum evincit potestatem ita absolutam & indefinitam. 3. Pro arbitrio suo viribus & opibus subditorum suorum uti, Tyrannicum est, ut liquet in historia de vinea Nabothi, 1 Reg. 21. nam certe aliud imperium est, aliud dominium; & Rex *director* magis, quam *dominus* existit; recte Seneca; *Sub optimo Rege omnia Rex imperio possides, singuli dominio.* 7. de benef. c. 5. Dominium *jurisdictionis* in bona subditorum Imperanti concedimus, non autem *proprietas*; quod nimirum bona sua à subditis non alio jure possiderentur, quam olim peculia à servis. Vide *Besold. Synops. in pracogn. Molinam de justit. & jure Tract. 2. disput. 3. n. 7.*

Obj. 2. *Idem experientia per omnes civitates, quae sunt vel fuerunt unquam, confirmari potest.*

Resp. Experientia manifeste nobis favet: ubi namque aut quo in Imperio Imperans habet potestatem tam absolutam & indefinitam? in Israëlitico imperio contrarium patet, & in aliis omnibus modernis imperiis; uti fuse demonstrat *Althus. pol. cap. 19. n. 38. & seqq.* Et si alicubi tam absoluta & indefinita potestas principis esset, inveniretur illa maxime in Dominica Monarchia; sed recte ostendit *Besold.* quod nec illa careat reali Majestate. *Synops. l. 1. c. 1. n. 9.*

Obj. 3. *Sublata hac potentia, una tollitur civitas, & redit confusio omnium rerum: nam nisi absoluta sit haec Principis potestas, jus imperii frustra foret concessum.*

Resp. Illud manifeste repugnat experientiae.

VII. *Nullus color, inquit, inveniri potest opinioni eorum, qui dicunt de Regibus, quod ipsi singulis ma-*

jores , & universis minores *fin.* Leviath. cap. 18. pag. 91.

Resp. 1. Qui gerit personam alicujus , ille minor est eo , cujus personam gerit ; uti Legatus minor est ipso Principe , cujus personam repræsentat ; sed qui summam in civitate potestatem habet , ille personam gerit totius civitatis ; ut ipse fatetur *loc. cit.*
 2. Ille major est , qui rem aliquam facit tanquam *author* , quam qui rem eandem facit tanquam *actor* ; sed quæ in civitate ut actor facit Imperans , illa ipse fatetur ut authorem facere civitatem , *Ibid.* Unde hîc dici miror , opinioni illi , quam hâc Assert. refert , nullum colorem inveniri posse : ut quæ tam evidenter sequitur ex ipsis illius hypothesibus. Plura vide apud *Altb. pol. c. 18. n. 8. &c.*

Obj. *Cum autoritas indivisibilis sit , & habenti summam potestatem inseparabiliter adhæreat ; quis color inveniri potest huic opinioni ?*

Resp. Hoc quî cohæret cum eo , quod jam illum docentem audivimus ? nempe eum , qui summam potestatem habet , personam gèrere totius Civitatis ; & quæ ille facit tanquam *actor* , Civitatem facere ut *authorem* : nam inde sequitur , autoritatem habenti summum imperium non adhærere inseparabiliter , sed ei potius , cujus personam gerit , nempe Civitati. Nam ipse ait (pag. 80.) *Verba & facta repræsentantium ab iis , quos repræsentant , aliquando pro suis agnoscî ; tunc repræsentantem Actorem , repræsentatum Authorem dici , ut cujus autoritate Actor agit. Qui autem in quæstione de bonis & possessionibus Dominus dicitur , in quæstione de verbis & actionibus Authorem appellari ; & ut jus habendi dominium dicitur , ita jus agendi autoritatem dici. Quis ferat tam insulas contradictiones ?*

VIII. *Voluntatem Regis docet stare pro ratione ,*
juxta

juxta illud ; Sic volo , sic jubeo ; stat pro ratione voluntas.

Tantam esse Imperantium in leges auctoritatem , ut omnis ratio obedientiam iis præstandi in totum dependeat ab eorum voluntate.

Proinde nullam æquitatem ad Imperantis voluntatem præsupponi ; sed omne justum & injustum à solâ illius voluntate jubendo & vetando in leges derivari. C. c. 12. a. 1. & c. 14. a. 1.

Hinc legem definit , Mandatum ejus personæ , cujus præceptum continet obedientiæ rationem. Ibid.

Resp. Quamvis voluntas Imperantis , subditis promulganda , ad vigorem legum civilium necessaria sit ; sola tamen non sufficit ; sed insuper illæ in ratione & æquitate naturali fundari debent ; ut legum nomen non mereantur , quæ illam rationem & æquitatem naturalem in se non continent : nam ratio est anima legis , & lex ex ratione semper æstimanda est , ut ubi ratio non est , ibi nec lex sit : cum justitia sit animi habitus , & quidem bonus , qualis esse non potest , nisi quatenus ratione perficitur ; proinde sicut justitia sine ratione non est , ita nec lex ; uti præclare argumentatur Schonborn. pol. l. 3. c. 3.

Obj. In eo consistere unicum discrimen inter consilium & præceptum ; quod in consilio ratio parendi sumatur ab ipsâ re ; in præcepto unica ratio parendi sumatur à voluntate Imperantis.

Resp. In præcepto ratio obediendi sumitur ab utroque ; in eo consistit discrimen : nam ut dixi , necessaria quidem est in præcepto Principis voluntas , sed sola non sufficit ; sed præterea requiritur , ne juri Divino , aut legi naturali adversetur. A&. 5. v. 29.

IX. Impossibile esse ait lege civili quicquam juberi contra legem naturalem. Ibid. art. 10.

Q 9 5

Resp.

Resp. 1. Omnium consensu contra legem naturalem est, hominem innocenter occidere, pactum violare, inceustus, adulterium, falsum testimonium &c. hæc autem quidni aliquando lege civili possent imperari? 2. Lege civili illud potest juberi, in quo tenemur illi legi non obedire; Act. 5. v. 29. Exod. 1. v. 7. Dan. 3. 16, 17, 18. & 6. 14. sed in quo tenemur non obedire legi civili, illud est contra legem Divinam aut naturalem. 3. Quod ipsi Imperantes facere possunt, illud aliis faciendum possunt imperare per leges civiles; sed illi ipsi sæpe faciunt, quod est contra leges Divinas, aut naturales.

Excipit; *Et si natura lex prohibet furtum, adulterium, &c. si tamen lex civilis jubeat invadere aliquid, non est illud furtum, adulterium &c.*

De quo vide supra cap. 21. Exerc. 2.

X. *Legem civilem dirigi, ait, ad finem ejus, qui precipit. C. c. 14. art. 1.*

Cum de Magistratu leges ferente discrete dicat Apostolus; *Dei Minister est tuo bono, Rom. 13. v. 3.* Vide *Disput. meam de lege in comm. in Hobbesio* *λογχομείνῃ pag. 18. &c.*

XI. *In Monarchia ait bonum publicum & privatum idem esse. L. c. 19. p. 93.*

Bonum populi, & ejus qui summam habet potestatem, separari a se invicem non posse. Leviath. cap. 30. pag. 163.

Et tamen scribit; *Inter incommoda imperii summi unum esse, quod Imperans præter pecunias ad sumptus publicos possit etiam, si velit, alias exigere per libidinem, quibus filios, cognatos, gratiosos, atque etiam adulatorum ditare possit. C. cap. 10. art. 6. Quod cum sit in Monarchiâ, an tum bonum publicum & privatum idem est? sive privatum à publico non separatur?*

XII. In Civitate jam constituta , docet , unumquemque jus seipsum contra vim , à Magistratu legitime illatam , defendendi retinuisse. de Cive. cap. 5. art. 7.

Quò imprimis facit illud notatu dignum , quod exhibeo ad 6. Præc. Aff. 8. Quo sanè nihil securitati Imperantium , atque obedientiæ civili magis contrarium scribi potuit. Vide supra ad 6. Præc. ad Aff. cit. & Exercit. ibi subjunctam.

LOCUS XVIII.

CAPUT. XXXVIII.

De Pœnis & præmiis post hanc vitam.

Præmium fidelium post hanc vitam est *Vita æterna* , quæ est summus beatitudinis gradus , quo Christi gloriæ participes facti , Dei visione & cælestibus gaudiis fruemur in æternum. Hæc quamvis animæ & corpori conjunctim non concedatur ex ordine ante novissimum diem , quo simul omnes fideles erunt in Christo consummati , Eph. 4. v. 13. Phil. 3. 20 , 21. illam tamen concedi animabus fidelium immediatè post earum separationem à corpore , liquet plurimis S. Script. locis. Locum vero , ubi post hanc vitam vitâ æternâ fruemur , cœlum esse non terram , patet 2 Cor. 5. 1. Job. 17. 24. Impios è contrâ manere æternos cruciatus in Inferno , liquet Matt. 25. v. 46. Marc. 9. 44 , 46 , 48. Ille verò ,

I. *Vitam*

I. *Vitam æternam quidem post hanc vitam videtur agnoscere; sed quâ demum fruturi sunt fideles novissimo die.*

Nam nihil esse, inquit, propter quod anime justorum in cælum irent ante corpora.

Ante resurrectionem nihil habere in cælo, quod faciat anima, etsi per se existeret, Leviath. cap. 38. pag. 210, 211.

Quasi agnosceret, illam in cælo futuram post resurrectionem. Vide Assert. seq.

Immortalitatem nullam esse posse ante resurrectionem, ait L. c. 44. p. 301.

Vitam æternam hominibus non incipere nisi à resurrectione. App. c. 1. p. 336.

Nimirum cum Socinianis statuit; hominum animas mori simul cum eorum corporibus, demum novissimo die resuscitandas, *Lev. c. 38. p. 210, 211.* ideo cum iisdem negat, eas ante resurrectionem frui vitâ æternâ. *Satis apparet, inquit Socinus, sentire, non ita vivere posse post hominis ipsius mortem animam ejus, ut per se præmiorum panarumve capax existat, in Epist. ad Philippoviam.*

Contra diserta S. Scripturæ testimonia, *Luc. 23. v. 43. & 16. 22. 2 Cor. 5. vers. 1. Phil. 1. vers. 24. Hebr. 12. vers. 23. Apoc. 14. vers. 13.* Sed illud *πρωτον* *Ἰησὺς* *⊙* prolixè satis resutavimus *suprà cap. 16. Assert. 16. & seqq.*

Obj. 1. *Manifestum est, inquit, Luc. 14. v. 14. homines non recepturos mercedem operum suorum ante Judicium.*

Resp. Nempe non ante Judicium universale quoad animam & corpus plenè & consummatè; non autem nullo modo quoad animam statim à morte, ut liquet ex loc. cit.

Obj. 2. *Error est, inquit, hominem vitam æternam*

nam habere naturâ suâ, quod animâ præditus sit immortalis; & proinde non modo fideles, sed etiam reprobi & Ethnici vita æterna fruituri sint. Leviath. c. 44. p. 294.

Resp. 1. Quis unquam sommiavit, jam post lapsum hominem vitam æternam habere natura sua? dicimus quidem, hominem unumquemque præditum esse anima sua natura immortalis; sed illa sola non est homo. Et quamvis homo unusquisque immortalis rectè dicatur quoad animam suam, inde tamen immortalis dici non potest simpliciter & absolutè. 2. Nec per vitam æternam, quæ in Sacris promittitur solis fidelibus, intelligitur simplex immortalitas, sed beata & salutaris, quæ sola vita appellari meretur; & per vitam æternam reproborum intelligimus (ut notum) vitam in cruciatibus æternam, quæ non propriè vita, sed mors æterna est, & in S. Literis nominatur, Unde Augustinus, *Eam inquit, vitam æternam dicimus, ubi est sine fine felicitas.* Nam si anima in pœnis vivit æternis, quibus & ipsi Spiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius æterna dicenda est, quam vita. Nulla quippe major & pejor est mors, quam ubi non moritur mors. Sed quod animæ natura, per id quod immortalis creata est, sine qualicunque vita esse non potest, summa mors ejus est alienatio a vita Dei in æternitate supplicii. de Civ. Dei l. 6. cap. ult.

Sed, inquit Hobbes, hæc est figurata loquutio, præterquam in hac occasione nunquam usurpata.

Resp. Imperite! quam sæpe enim vita misera & calamitosa mors appellatur in S. Script. Exod. 10. 17. Deut. 30. 15, 19. Ps. 33. 19. & 55. 6. & 56. 14. & 68. 21. & 116. 8. Prov. 15. 10. & 19. 16. & 23. v. 13, 14. Job 2. 9. & 7. 15. 1 Cor. 15. 31. 2 Cor. 4. v. 11. & 9. 6. Thren. 1. 20. Es. 28. 15, 18. & alibi passim.

passim. Meritò ergo vita in æternum misera & calamitosa mors æterna appellatur.

II. *Vitam æternam statuit fidelis novissimo die fruitor esse non in cælo, sed hîc in terrâ.* Leviath. cap. 38. pag. 209.

Quod locus, inquit, in quo æternum post resurrectionem habitaturi sunt electi, sit cælum, id est, partes illæ, quæ à terra remotissimæ sunt, ut ubi sunt stellæ, aut adhuc altius in cælo, quod (non in S. Script.) dicitur Empyræum, non confirmatur ab ullo, quod sciam, textu Script. Ibid. p. 210, 216.

Sic Regnum Dei post resurrectionem futurum esse in terra, ait App. c. 3. p. 263.

Hominem non esse ascensurum ad felicitatem suam altius, quam ad scammum pedum Regis sui cælestis, L. c. 38. p. 216.

Resp. 1. Locus ille, qui in S. Script. cælum appellatur, tertium cælum, cælum cælorum, cælum supra omnes cælos, & à terra remotissimus esse dicitur, non est hæc terra, sed locus, ubi post hanc vitam electi fruuntur vita æterna, ita appellatur, 2 Cor. 5. 1. & 12. 2. 1 Reg. 8. v. 27. Eph. 4. v. 10. Ps. 103. v. 11. 2. In quo loco Christus fruitor vita æterna, in eodem illa apud Christum fruuntur electi, Job. 14. 2, 3. & 17. 24. & 12. 26. Phil. 1. 23. sed Christus vita æterna fruitor in cælo, non hîc in terra: nam ascendit in cælum &c. 3. Quin alibi ipse sui (ut videtur) oblitus disertè scribit; *In cælo corpora hominum post resurrectionem æterna & spiritualia fore*, Lev. cap. 39. pag. 218. nisi per cælum terram intelligat.

Obj. 1. *Adamus nisi peccasset, inquit, victurus fuisset in terrestri Paradiso in æternum; sed Christus vitam illam æternam, quam perdidit Adamus, recuperavit, nempe vitam in Paradiso futuram.*

Resp.

Resp. 1. Nisi fingat cum Bellarmino, alicubi in rerum natura adhuc existere Paradisum illum terrestrem, aut novissimo die à Deo reproducendum, quis intelligat, Christum nobis recuperasse vitam æternam in terrestri Paradiso futuram? 2. Nec de Paradiso illo terrestri intelligi potest, quod Christus dicebat Latroni; *Hodie mecum eris in Paradiso.* 3. Et expressè Paradisus ille, in quo beati erimus post hanc vitam appellatur tertium cœlum, 2 Cor. 12. v. 2. 4. Adamum, nisi peccasset, in æternum victurum fuisse in terrestri Paradiso, quam falsum, vide *suprà cap. 16. Aff. 2.*

Obj. 2. Dicit Psalmista (Ps. 134. 3.) *Dominus, qui fecit cœlum & terram, benedicat tibi è Zion. Alio- qui dixisset, Benedicat tibi è cœlo.*

Resp. Utrumque dicere potuit, ut liquet *Eph. 1. vers. 3.* Nimirum è cœlo: quia Deus speciali ratione ibi habitat tanquam in throno gloriæ. E Zion: quia olim habitavit in Zione, ubi erat Arca foederis, tanquam in throno Gratiae. Sed quid hoc ad rem?

Obj. 3. *Apoc. 2. 7.* Illi, qui vincit, dabo comedere ex fructu arboris vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei. Quæ arbor, inquit, Adamo erat arbor vitæ, sed in terra.

Resp. Per arborem vitæ loc. cit. metaphoricè intelligitur Christus, & per Paradisum cœlum, ut liquet locis cit.

Obj. 4. *Apoc. 21. 2.* Et ego Johannes vidi sanctam urbem Jerusalem novam, descendentem è cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornataam viro suo, & audivi vocem magnam è throno dicentem; Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Id est, inquit, Jerusalem nova, in qua est mons Zion, nempe locus electorum descendit in terram.

Resp.

Resp. Jerusalem descendisse dicitur : quia ejus figura seu species aliqua coelitus Johanni fuit repræsentata ; tum etiam ratione virtutis coelestis , qua omnia illa fuere peracta ; uti recte observant ad locum citatum Interpretes Belgæ. Quid hoc ad locum beatorum post resurrectionem hac in terra futurum ?

Obj. 5. Act. 1. 11. *Angeli duo in vestimentis albis dicunt ; Hic idem Jesus , qui assumptus est in cælum , ita veniet , sicut vidistis illum ascendere : Quæ verba , inquit , ita sonant , ac si dixisset , venturum esse ad populum Patris sui regendum hic ; non quasi illos in cælo regendos , in cælum sublaturus esset.*

Resp. Hoc tamen dicit Apost. 1 Theff. 4. 17. *Ipse Dominus cum Dei tuba descendet e cælo ; & qui mortui fuerint in Christo , resurgent primo : deinde nos vivi , qui reliqui erimus , rapiemur simul cum eis in nubes , in occursum Domini , in aëra : & ita semper cum Domino erimus.*

Obj. 6. *Illud Regni Dei , sub Mose instituti , restitutioni consentaneum est ; illud autem Regnum erat Civitas Iudeorum in terra.*

Ubi supponit , Regnum Dei novissimo die restituendum esse , quale olim fuit institutum sub Mose. Quod *αἰῶνος ἰεὺς* refutavimus suprâ cap. 19. ad Aff. 18.

Obj. 7. Iob. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum , nisi filius hominis , qui est in cælo.*

Resp. Non agitur ibi de ascensione Christi locali , ut liquet exemplis Enochi & Elxæ.

Obj. 8. Act. 2. vers. 24. *David non ascendit in cælum.*

Resp. Non quoad corpus sicut Christus ; sed non negatur , illum quoad corpus resuscitatum in cælum ascensurum esse novissimo die.

Obj.

Obj. 9. *Apoc. 5. 9 -- 11. Regnabimus in terra. Quid hoc clarius ? inquit.*

Resp. Non ibi sermo est de loco ubi fideles post resurrectionem fruuntur vitâ æternâ; sed ubi in futuro Christi adventu ipsi aderunt, thundum & ipsos Angelos judicaturi. *Matt. 19. v. 28. Luc. 22. 30. I Cor. 6. 3.*

III. *Impios post hanc vitam manere æternos cruciatos, aperte negat cum Socinianis. L. c. 12. pag. 38, 44, 46. App. c. 1. & 3.*

Cum de impiis disertè dicat Christus, quod *abibunt in supplicium æternum, Matt. 25. 46. in ignem illum inextinctum; ubi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur, Marc. 9. v. 43 - 48. in ignem illum æternum, paratum Diabolo & angelis ejus, Matt. 25. v. 41. & de Sodomâ & Gomorrha dicatur, quod ignis æterni pœnam sustineant. Jud. v. 7. Tertull. de resurr. Siquis occisionem carnis atque animæ in gehennam ad interitum & finem utriusque substantiæ arripiet, non ad supplicium, quasi consumendarum, non quasi puniendarum; recordetur, ignem Gehennæ æternum prædicari in pœnam æternam, & inde æternitatem occisionis agnoscat, propterea humanæ ut temporali prætimendam. Tunc & æternas substantias credet, quarum æterna sit occisio in pœnam. Certè cum post resurrectionem corpus cum animâ occidi habeat à Deo in Gehenna, satis de utroque constabit, & de carnali resurrectione, & de æterna occisione. Absurdissimum alioquin, si idcirco resuscitata caro occidatur in Gehenna, ut finiatur, quod & non resuscitata pateretur: In hoc se. reficietur ne sit, cui non esse jam evenit? Quæ verba Tertulliani, quamvis prolixiora, hic adducere volui: quia relata ad textus citatos imprimis contra Hobbesium aliosque, qui resurrectionem impiorum agnoscentes, tamen eorum æternos cruciatos*

negant, non exigui momenti mihi esse videntur.

Exc. Ignis paratus hominibus impiis perpetuus esse potest, & dici inextinguibilis, atqui inde inferri non potest, quod illi, qui in ignem illum conjicientur, in eo æternum ardebunt aut cruciabuntur, nec tamen consumerentur.

Resp. 1. Quorsum tum ignis ille perpetuus & inextinguibilis post impios in illo consumptos? 2. Nec ignis ille dicitur tantum perpetuus & inextinguibilis; verum etiam ipsi cruciatus impiorum in igne illo dicuntur fore perpetui & æterni, locis cit.

IV. Per hanc fenestram (intelligit doctrinam de immortalitate animæ) doctrina illa tenebrosa intravit de cruciatibus æternis, ait Leviath. cap. 44. pag. 295.

Ita etiam Theod. Raph. Camphuysen, se arbitrari, scribit, Socinum nulli plus præstitisse, quam quod spissas & communes tenebras perruperit fabulosi inferni & infinitæ damnationis, & in re ista reddiderit hominibus lucem oppidò excellentem. Quare infernum jam fabulam appellat, tum puerile terriculamentum, commentum Papisticum, vel potius Ethnicum & Poeticum, in Epist. de abolitione vel extinctione injustorum.

Similiter Hobbes doctrinam de immortalitate animæ, & cruciatibus æternis impiorum tenebrosam appellat, & reliquias religionum Ethnicarum. Leviath. cap. 45. pag. 305. Sic similes habent labra lactucas.

Resp. 1. Doctrina illa de cruciatibus æternis impiorum non est tenebrosa nisi Atheis, iisque qui imaginariâ sapientiâ inflati, multisque falsis præjudiciis contra veritatem excoecati, instar ulularum in clarâ meridie non vident. 2. Si ideo falsa est & tenebrosa doctrina de animarum immortalitate & cru-

cruciatibus æternis impiorum : quia in eâ fuerunt Gentiles ; tum etiam falsa & tenebrosa dicenda esset doctrina de existentia & providentia Dei , & tanquam reliquæ religionum Ethnicarum explodenda : quippe quam ipsi etiam agnoverunt & tradiderunt Gentiles. 3. Quin illa doctrina potius tenebrosa dicenda est , ex qua sequitur , & sequi haud obscure fatetur ipse Adversarius ; *Edamus , bibamus : cras moriemur.* I Cor. 15. 32. App. c. I. p. 337.

Obj. I. Apoc. 20. v. 13, 14. *contrarium dicitur ; Et dedit mare mortuos , qui in eo erant , & mors & infernus dederunt mortuos , qui in ipsis erant. Et iudicabuntur unusquisque secundum opera ipsorum. Et mors & infernus coniecti sunt in stagnum ignis ; & hæc est mors secunda.*

Resp. Si per *mortem secundam* hîc intelligamus mortem corpoream hujus vitæ , quæ respectu mortis spiritualis in peccatis ita appellatur ; tum illa & infernus coniecti esse dicuntur in stagnum ignis : quia respectu fidelium mors absorpta est in victoriam , I Cor. 15. 54. Sin mortem æternam ; tum l. c. mors & infernus dicuntur post resurrectionem in toto mundo non amplius fore præterquam in stagno ignis , ubi impii cruciabuntur dies & noctes in secula seculorum , v. 10. Ergo in loco objecto nihil dicitur nobis contrarium.

Obj. 2. *Mibi , inquit , durum videtur , de Deo dicere , quod peccata hominum cruciatibus extremis , majoribus quam quisquam imaginari potest , & sine fine temporis punire velit. Deus est Pater misericordiarum , qui facit in cælo & terra , quicquid vult ; in cujus manibus sunt corda hominum omnium ; qui in hominibus operatur tum facere tum velle , & sine cujus gratia libera nemo habet neque inclinationem ad bonum ; neque resipiscenciam à malo.*

Similiter Sociniani, non hoc permittere, ajunt, Deo *salva misericordia*, que infinita dicitur.

Quasi. 1. quod Hobbesio ejusque similibus videtur, norma esse deberet fidei Christianæ, non S. Scriptura. 2. Ubi ipse docet, Deum in causa esse, quod peccemus (quod blasphemum) sibi obficianti; *Si Deus in causa est, cur condemnatur nos? Responde mihi*, inquit ipse, *quis sic rogas, cur Deus ab æterno alios elegit, alios reprobavit? & quomodo ad pœnas æternas maximasque condemnavit eos, qui malum nondum fecerant, aut cogitaverant, nec nisi à Deo volente, & vim præbente, facere aut cogitare potuerunt?* Responde etiam, *an figulo de vase, quod finxit, non sit licitum statuere, quicquid vult?* Ecce Deum in causa esse dicit, quod peccemus, & tamen justè nos condemnari. Jam dicat nobis, an non hoc de Deo dicere (cujus misericordia est infinita) durum sibi videatur? 3. Non minus justitia Dei infinita est, & veritas ejus immutabilis, quæ postulant peccata, adversus infinitam illius Majest. commissa, pœnâ infinita, hoc est, æterna puniri, cui nihil derogat misericordia Dei infinita. *Gen. 18. 25. Exod. 34. 7. Nahum 1. 2, 3. Rom. 1. 32.* 4. Et si gratia Dei est libera, non à Deo homini debita, quid habet peccator, de quo queratur adversus Deum, si pro merito æternis cruciatibus puniatur? Neque quæ hic tradit de gratia Dei libera consentanea sunt iis, quæ de illa alibi tradit. *Vide supra cap. 26.* 5. Denique admittunt ipsi Sociniani, Deum saltem pro absoluta sua potestate etiam æternos cruciatibus & supplicia æterna positiva impiis potuisse decernere & irrogare. *Vide Moartib. Soc. conf. T. 3. l. 5. c. 1. & 3.* & Hobbes, potuisse Deum hominem justè affligere vel etiam interficere, etsi non peccasset, *C. v. 15. n. 5.* sed negat, hoc Deum velle; sed, inquam, Deus velle

velle potest, quod facere absolute loquendo potest; aut de voluntate Dei non ex eo, quod nobis videtur, sed ex S. Script. statuendum est. Et si non repugnat misericordiae Dei, hominem innocentem affligere vel occidere, qui durum videatur, hominem peccatorem à Deo puniri extremis cruciatibus?

V. *Justitiam Dei, qui cruciatus aeternos comminatus est peccatoribus, arguere aeternitatem ipsorum cruciatuum non posse, contendit App. c. I. p. 335.*

Resp. Ex quo Apostolus Paulus, ipsique Gentiles, imo sceleratissimi homines inviti, colligere poterunt, aeternos cruciatus manere peccatores; illud arguit illos cruciatus; sed ex justitia Dei illud colligit 1. Apostolus 2 *Thess.* 1. *vers.* 6, 8. 2. Et idem colligere poterunt ipsi gentiles: est enim hic articulus in omnium gentium symbolo disertè expressus; cum Deus per naturam suam sit bonus & justus; proinde bonos post hanc vitam perenni lætitia frui; malos autem justo Dei judicio perpetuis poenis damnari. Hinc Plato: *Qui in via insaniae & pravitatis perrexerint, in locum illum beatum, ab omni malo alienum, non recipiuntur; sed uti malo indulerunt, ita etiam malo perpetuo implicabuntur, adeo ut cum malo aeternum habitare cogantur.* in Thext. *Qui boni Demonis afflatui paruerint, in paradysum inducentur; at qui furiarum instinctui, id est, Demonum tentationibus obsequuti fuerint, in tenebras inque chaos damnati projicientur.* in Axioch. Similiter Jamblichus, *Bona, inquit, anima habitabit cum Deo, & in caelo spatiabitur, quod ei domicilii loco erit; verum quae sese sceleribus & flagitiis contaminavit, ad subterranea loca devertetur, ut judicia, quae in scelestas animas exercentur, luat & perferat.* Sed, inquit Hobbes, *se post Script. S. Philosophos sibi magistros non desiderare.* Quali non idem passim doceret S.

Script. & non vellet hac in re nobis etiam magistros esse Philosophos gentiles, Rom. 1. v. 32. 3. Idem ex justitia Dei colligunt inviti etiam homines sceleratissimi; non enim sub finem vitæ diem illis diceret conscientia sua, neque ita poenas anteactorum scelerum sibi instare sentirent, non sine sensu gravissimo gustandas, utcunque horrorem suppliciorum à morte sequentium animo excutere conerur; nisi Deum justum scelerum vindicem per naturam scirent & reformidarent. *O testimonium naturaliter Christianum!* exclamat Tertull. Vide Rom. 2. vers. 14, 15.

Obj. *Et si qui bona, quæ debentur, non præstat injustus sit; is tamen, qui mala vel damna debita non præstat, injustus non est, sed misericors. Quanto minus Deus, qui est infinite misericors, non poterit sine justitiæ suæ violatione mitigare tum diuturnitatem, tum acerbiter meritum pœnarum.*

Resp. 1. Uti injustus est, qui bona, quæ debentur, non præstat; ita injustus est Magistratus vel Judex, qui mala vel damna debita non præstat nocentibus, Prov. 17. v. 15. quamvis injustus non sit homo privatus, qui malum vel damnum sibi illatum non ulciscitur. Proinde cum Deus sit Judex totius terræ, non sine justitiæ suæ violatione, meritis suppliciiis non punit peccatores; *An Judex totius terræ non exerceret jus?* Gen. 18. vers. 25. Non est misericordia in Judice, fontibus pœnas debitas non irrogare; sed potius crudelitas adversus infantes, qui eo tanquam præda improborum hominum libidini & malitiæ exponuntur. 2. Nulla est misericordia Dei erga peccatores nisi in Mediatore J. Christo, qui horrendis suis cruciatibus, quos in corpore & anima sua fuit perpeffus, pro electis in ipsum credentibus justitiæ

justitiæ Divinæ satisfecit. *Rom. 3. vers. 24, 25.*
 3. Et cum Deus non minus sit infinitè justus, quam est infinitè misericors, per suam misericordiam non vult, quod justitiæ suæ essentiali adversatur, cujusmodi est meritas poenas non infligere peccantibus. *Gen. 18. vers. 25. Exod. 34. vers. 7. Nabum 1. vers. 1, 2, 3.* 4. Quamvis Deus, salva sua justitia, poenas commertitas mitigare posset, de quo nolo contendere; cum tamen comminatus fuerit peccatoribus æternos cruciatus, & quas poenas comminatur, eas comminetur ex justitia sua essentiali; quæ negari potest, justitiam Dei, qui cruciatus illos comminatus est peccatoribus, arguere æternitatem ipsorum cruciatuum? Nam nisi æterni essent illi cruciatus, sicut comminatus est Deus, tum Deus nec justus foret, nec verax, quod de Deo cogitare nefas.

VI. *Apud Romanos veteres, inquit, ea negare, quæ de gaudiis & poenis post hanc vitam à Poëtis scripta erant, non prohibebatur. Et (NB) multi magni gravissimique viri ea publicè deridebant. Lev. cap. 12. pag. 60.*

Quare igitur apud Christianos ea negare, quæ de gaudiis & poenis post hanc vitam scripta sunt à viris *Σοφιστοῖς*, prohiberetur Hobbésio? Et non ille etiam, vir magnus sc. gravissimusque, illa publicè derideret? Quis ferat tam impiam hominis impudentiam?

VII. *Locum, ubi post resurrectionem impii cruciandi sunt, definit terram esse. App. cap. 3. pag. 363.*

Quantum ad locum, ubi post hanc vitam pu-

niendi sunt reprobi, probamus pium monitum
 Chrysoft. *Non curiose investigandum, ubi situs sit
 infernus; sed potius curandum, ne in illum ali-
 quando detrudamur.* Tom. 3. Serm. de præm.
 Sanct.

FINIS.



HOB-

HOBBIANISMI

delineatio Poëtica.

Hobbesii monstrosa brevi depicta tabellâ
Dogmata, Lectores, conspicienda damus.

Hactenus ingenti preffit pia corda dolore
Christiadum populi vita profana palam;
Ast hic audacter scribuntur & absq; pudore,

Cap. Quæ mihi non possunt absq; tremore legi.

1. *Theiologia notat de rebus verba salutis,*
Non tamen aeterni verba verenda Dei.

2. *Infusa nulla Dei est hominum sententia menti;*
Unde ergo tantus Religionis amor ?

Primitus unius conscripta est arte Simonis,
Stulta magis quàm Plebs obsequiosa foret.

3. *Corporis, haudanima, felix est vita voluptas:*
Nam mortalis homo nihil nisi corpus habet.

Nec requies animi felix est vita: vocari
Nam ne vita quidem vita quietata potest.

Est igitur varia jactata cupidine vita

Dicenda Hobbesio vita beata meo. (porro

Rectè Flaccus ait; Cupiens metuit quoque,
Qui metuens vivit, nemo beatus erit.

4. *Hic Oracla fidem nullam Divina merentur,*
Regis ab imperio mutua tota venit.

33. *Divinos Vates afflatu Numinis olim*
Affatos sanctum pernegat esse gregem.

Qui sibi visa refert, vel somnia cœlitus esse,
Quid nisi mera tibi somnia narrat? ait.

Ergo

Ergo Divini sunt hîc duo signa Propheta ;

Si Verbo factô dogma salutis adest.

Quî tum quisq; suo Vates cognovit in œvo ;

Tam citò non fieri cœlica dicta solent.

Vatis an eventus verbo respondeat , unde

Scimus ? id à solo Principe scire potes.

Scilicet in Reges (qui Sanctus Spiritus illi)

Omnis salvificans est referenda fides.

Sic dicit Dominus ; sunt Vatis verba loquentis ,

Non Domini ; Quonam nititur ergo fides ?

Nititur ergo fides erroris teste capaci ,

Non autem summo Numine teste Deo.

Me miserum ! si tota meæ fiducia mentis

Non aliâ possit nixa cubare basi.

8. *Ad vitam aeternam , Messiam credere Iesum ,*

Sufficit , & quovis regia iussa sequi.

9. *Hac est illa fides , hac observantia legum ,*

30. *Qua coram cœlo justificatur homo.*

10. *Simplex , o Cives , cœcumque per omnia regis*

Hîc est præstandum Regibus obsequium.

Et te Christe palam , vita mihi charior ipsa ,

Rege iubente jubet voce negare mea.

Scilicet hoc vetitus quondam vult arboris esus ,

Qua dicta est pravi , notitiæque boni.

12. *Ad teretem quondam qua sit ratione cylindrum*

Sphæra , Syracuseus repperit arte Senex ;

Quod certè ratione sua quacunque sagaci

Quilibet ex vulgo non reperire potest.

Sic licet ESSE DEUM possit ratione probari ;

Non tamen à quovis scirier esse potest.

Hic

*Hic est immensum corpus, qui cuncta creavit,
(Spirituale tamen) materiale Deus.*

*Nempe sua quia mente nequit comprehendere Ma-
gnum,*

Si non sit corpus materiale, Deum.

*Immensus certè, Magnus, Ter Maximus
ille est,*

*Qui nequit Angelicâ mente capace capi.
Quem cœlum neque terra capit, quiq; enter
ubique,*

*Præsentè cunctis, atque potenter adest;
Immensâ qui cuncta suâ virtute creavit,*

*Et porro semper sustinet atque regit;
Est infinitè justus, sine fine beatus,*

Ter sanctus, sapiens, & sine fine bonus.

*Cumque sit immensus, penetrare per omnia
debet;*

*Sed corpus corpus non penetrare potest.
Ergo potest Magnus dici, Ter Maximus esse,
Ut non sit corpus materiale Deus.*

13. Trinus Personis unus Deus esse negatur,

27. Æternusque Dei Filius esse Deus.

*Scilicet haud Dominum Christum putat ante fuisse
Quam peperit Gnatum Virgo beata suum.*

14. Hic naturalis de Mundo quaestio quævis

(An Mundi moles sit sine vasta modo ?

Harum num fuerint unquam primordia rerum ?

Unde sit igniferum fulmen, & unde nives ?

Qua rerum causa ? qua currant sydera lege)

Decidi solo Principis ore potest.

Cum

- Cum Sadduceis ut inania sermone ridet,
 Quod de Spiritibus pagina sacra docet,
 Ens sine materia qui dicere sustinet, illum
 Corpus non corpus dicere saepe monet.*
- 16.** *Hic genus humanum, Divina Mentis imago,
 Mente, pecus sicut, morte carente caret.
 Nam pauci non sunt Epicuri de grege porci,
 Post obitum mentes qui superesse negant.
 Hos secum confere inquit, dum talia ructant;
 Nunc age vivamus, cras moriamur enim.*
- 17.** *Hic ubi nulla riget Regis suprema potestas,
 Omnibus in quo vis, quod libet, omne licet.
 Crimen adulterii non est confusa libido;
 Non alma incestus cum genitrice thorus.
 Quique aliena rapit, non furti lege tenetur;
 Qui necat innocuos non homicida viros;
 Nec paricida pium qui perdit morte parentem;
 Perfidia est sanctam fallere nulla fidem.*
- 18.** *Proh! Deus hic audit cunctorum causa malorum;
 Illorum solus, qui jubet, Author homo est.*
- 19.** *Hic Christus Rex est terrenus, Rex sine Regno,
 Quod necdum caelum, terra nec ampla capit.
 Sed tellus gaudebit eo, quandoque futuro,
 Ultima cum tandem venerit illa dies.
 Nam proprie Christi non est Ecclesia Regnum,
 Dum placidas inter saviat hordus oves.*
- 20.** *Hic est summa sua lex conservatio vitae;
 Foeda philanthiam pagina quaque sonat.
 Non est hic animis proprie lex insita nostris,
 Nec mihi quam scriptam pagina sacra refert.*

Hic

Hic est casusvis discordia regula pravi,

Pax contra cuncti regula certa boni.

Nulla salus bello; pacem nos poscimus omnes

At certè pax est Lesbica norma boni.

Pessimus & Strygio patem Cacodæmon in

Orco

Quærit pro Regno nocte dieque suo.

Contra Euangelium, quod iter commonstrat

ad astra,

Hæu! sæpe in mundo bella cruenta ciet.

21. *Hic tantum Regi quid civis debeat omnis,*

Divina legis prima tabella docet.

Cedere, scortari, furari, fallere quamvis

Connaturalis lex docet esse nefas;

Non tamen illa docet quid sint dignoscere quen-

Sed lex hoc Regis sola docere potest. (quam,

22. *Contra præceptum primam se polluit ille,*

Statum civilem qui renovare studet.

Imprudenter agunt tantum, qui Numen adorant

Nullum: nam nullâ lege venentur, ait.

Non igitur, fas est penas expendere mortis,

Sanctum blasphemus qui negat ore Deum;

Sed justa exilium pro pœna sufficit illi,

Non hoc supplicium, sed fuga supplicii.

Ille nec exilio patria pellendus ab urbe,

Publica sed denam tam nocumenta dedit.

Non est hæc legis transgressio credere nolle;

Credere, vel minime credere, jure potes.

Posse nocere Magos secretis artibus ulli,

Aut prodesse suis, credere vana fides.

Hæc

*Hæc est præcepti transgressio sola secundi,
Civem conspicuo Regis honore coli.*

*Divinum tu rite coles in imagine Numen,
Si visum Regi lege jubere sua.*

Tertia lex prohibet convitia dicere Regi;

Quarta jubet Regis publica jura legi.

A juramento verbis nihil additur illis,

Queis à me dictis est tibi facta fides.

In sanctum Numen blasphema emittere verba,

Non valet hic aliquem reddere morte reum.

Ille dies, veteri qui poscit lege quietem,

Primitus Abrami tempore nata fuit.

Nullum crimen habet, Numen coram venerari,

Et ficto vultu cor simulare pium.

*Ut regnent Reges, sic mentibus impius om-
nem*

Pellit Divini Numinis ille metum.

Exulat hic sopor: quin naturalia matri

Permittunt gnatos cadere jura suos.

Non secus est civis subjectus Regibus omnis,

Ac infame suo mancipium Domino.

Scilicet ut malè conveniunt quadrata rotundis,

Sic nemo Civis Liber & esse potest.

*Fallitur: egregio quoniam sub Principe nun-
quam*

Servitium; nusquam libera vita magis.

Posse suis Reges injustos civibus esse,

Qui dicit civis seditiosus homo est.

Pro ratione valet jubeo; vis unica legum

Principis in jussu, non ratione sita est.

Ergo

Ergo peccari parendo Regibus unquam;

Qui dicit civis, seditiosus erit.

Iussa tui Regis, sed ad aras usque capeffe:

*Nam mage sunt summi iussa sequenda
Dei.*

*Hic miseri mihi turpe mei est miserescere quen-
quam*

Quippe mihi parum roboris esse notat.

Non est injustus, qui jussu Principis ullos

Cives morigeros, innocuosque necat.

Non contra innocuum David peccavit Uriam,

Cujus arenosam sanguine tinxit humum.

Sic mihi natura fas est occidere quemvis,

Hoc in rem quoties arbitror esse meam.

Hic sunt Cardineæ virtutes visque dolusque:

Nam nil, civilis lex ubi nulla, malum.

Omnia per sese socii consortia lecti

(Dummodo non obstant Regia jura) valent.

Nil vetat immensi consumere pocula Bacchi,

Mens tua dum constat quomodocunque tibi.

Crimen avaritiæ non est immensa cupido

Auri, si mediis abstinet illa malis.

In modicis Regnis verè fortisque probusque

Olim, qui terra Prado marique fuit.

Si tibi contractu minime devincior ullo,

Contra justitiam nil tibi præsto mali:

Per se verba nihil: neque enim promissa loquen-

Non etiam sancte dicta, ligare valent. (tem,

Tortus seu verum fateatur Judice coram,

Seu falsum dicat, jure probeque facit.

Non

- Non est (Non Cupies) Decima violatio legis ;
 Alterius tantum conjuge mente frui.
 Ergo animi motus primos qui culpatur, iniquus
 Severusque nimis Censor habetur ei.*
23. *Seditiosa cluit sententia, dicere ; Contra
 Mentem quod præstat subditus esse nefas.
 Nil nisi civilis lex est conscientia civi ;
 Sistere iudicium, Rege iubente, jubet.*
25. *Hic bona prospectat dumtaxat poena futura ;
 Non autem factum respicit illa malum.
 Qui Deus irasci, qui tunc ob crimina facta
 Vindictam dici sumere jure potest ?*
26. *Pernegat infundi virtutes cœlitus ullas ;
 Sed studio acquiri cum pietate fidem.
 Omnes mortales pollutos crimine nasci,
 Absque gravi dici crimine posse negat.
 Et tamen in cunctis natura ladere quosvis,
 Ipse voluntatem tradit inesse malam.*
28. *Quæ spes est, quæ vita mihi, nisi victima Chri-
 In cruce pro mundi crimine cæsa fuit. (Iustus
 Victima cæsa quidem ; sed eam negat ille fuisse
 Peccatis nostris criminibusque parem.
 Non secus ac hircus quondam mactatus in arvis
 Numine placando victima digna fuit.
 Scilicet infaulti vestigia sacra Socini
 Insequitur presso semper ubique pede.*
29. *Siquis sancta Dei contemnit verba vocantis,
 Non illud reddit, vita sed acta, reum.*
32. *Civile est Regnum pretiosa Ecclesia Christi,
 Illius & Princeps dicitur esse Caput.*

33. Et

33. Et Pastor supremus; idem inysteriu solus
 Trahere in Christi nomine sacra potest.
 In totu populi celestia dogmata Christi
 Facundo etoquo commemorare palam.
 Tingere fideles sacra Baptismatis unda;
 Et Cenam propria tradere cuique manu.
 Non sic Pastores reliqui; sed Namine Regis
 Fungitur hęc Pastor munere quisque suo.
34. Heresis est etiam quavis sententia vera,
 Dummodo civilis lex docuisse verat.
35. Celorum referare fores, & claudere Regni
 Rex hęc in terris ius sibi solus habet.
 Vana Ministrorum censura, & inutilis omnis,
 Principis armati robore cassa sui.
36. Quod si Missificans post quadam verba Sacerdos
 In Cena panem non remanere ferat;
 Atque sub externis panis speciebus & umbris
 Revera Domini corpus adesse mei;
 Quamvis revera non sit mutatio talis;
 Sed tantum panis, prateraque nihil.
 Et tamen hoc fieri dicat, cui summa potestas;
 Tunc hoc non fieri credere grande nefas.
 At si veriloquo fieri sic abnuat ore;
 Tunc mihi vana fides Missificantis erit.
 Scilicet hęc sola civili lege sciendum,
 In re quid verum qualibet, atque minus.
 Ergone dicenda est & vera & falsa subinde
 Res eadem, quamvis invariata manens?
 Nempe sub externis panis speciebus & umbris
 In Corna Domini corpus adesse mei,

Est verum, si Papa jubet sic credere Romæ;
Hic falsum, si lex credere nostra vetat.

17. Errat Aristoteles (Homini si credere fas est)

37. Civile humanum qui docet esse genus.

Omnes mortales Naturam prorsus ineptam

Civilem ad cœtum progenuisse docet.

Verum communem tandem duntaxat in unum

Complures homines consociasse metum.

Scilicet aequales geniti sunt viribus omnes,

Atque hinc est primò mutuus ille metus.

Et jure aequali vult res sibi quilibet omnes;

Atque hinc tum porro mutuus ille metus.

Sed quia communis rerum non suppetit usus,

Protinus in bellum plebs furibunda ruit.

Hinc cædes hominum, & certa discrimina mortis,

Atque hinc ulterius mutuus ille metus.

Ergo quo certam possent evadere mortem,

Sic fingit plures consociasse metum.

Sed proles hominis primi numerosa fuisset,

Si sine peccati labe fuisset Adam;

Quos tamē haudquaquam cœtum sociasset in

(Si Mosis credas) mutuus ille metus. (unum

Non hinc immites distant à Rege Neronem,

Qui gerit innocua mitia sceptrum manu.

Scilicet immensa est Regis veneranda potestas,

Quæ planè hinc nullis est cohibenda modis.

38. Non hinc æternas pœnas in morte timendum;

Speranda in cœlis gaudia nulla piis.

Nil igitur speras Hobbesi? Spero, sed, inquam

Hic erit in terris vita beata piis.

Non

*Non secus ac celebri quondam vixisset in horto
(Eden ei nomen, vel Paradisus erat)
In terra aeternum sine prole beatus in ævum,
Divinam legem ni temerasset Adam.
Nempe immortalem poterat concedere vitam
Arbor, quæ vitæ nomine dicta fuit.
Cætera de genere hoc (adeo sunt horrida)
plura*

Mens mea, Lectores, posse referre negat.
Qui sapiunt hodie, sapiunt ex hisce lacunis;
Sunt nostri hæc sæcli (o tempora!) deliciae.
Mittere condignas procul hæc cessatis in
oras,

Queis Deus est curæ, queis populi que salus?
Impia vitemus nos hæc cane pejus & angue;
Hæc merces nostri digna laboris erit.

F I N I S.

E R R A T A

Præcipue quæ vel absente, vel
 dormiente Auctore irrepererunt.

P. 19. l. 13. *lege, animi tranquillitas.* p. 32. l. 21. *crede*
 p. 42. l. 8. *nemo absque.* l. 19. *resicientes.* p. 44. l. 2.
aliud. p. 45. l. 17. **ΠΡΩ.** p. 48. l. 20. *Affert.* 8. cap.
præc. p. 54. l. 21. 2 Cor. 10. p. 58. l. 5. a fin. **ΣΙΩ**
 p. 66. l. 2. a fin. *discernit.* p. 68. l. 4. *voltozandas.* l. 14. *fit.*
 l. 15. *se pro st.* l. 26. *onus pro omnis.* l. 27. *sapientie.* l. 30.
requiesceres. l. 32. *instinctu.* p. 72. l. 13. *arcedise.* p. 87. l. 8.
 3. pro 2. p. 93. l. 23. *ita loquentem.* p. 105. l. 2. **ΥΠΩ**
 p. 111. l. 27. *Naxianz.* p. 117. l. 11. **ΥΠΩ** p. 123. l. 13.
χαρκτηρ. p. 131. l. 19. *enim pro eorum.* p. 145. l. 25.
non est ecclasis. p. 146. l. 4. *possent pro non possant.* p. 155. l.
 25. *percut.* p. 156. l. 1. *Conditor.* p. 160. l. 27. *sensu.* p. 177. l.
 18. **αδδδδδδ** p. 178. l. 7. *statu extra.* p. 186. l. 5. *inexpli-*
cabilis p. 211. l. 16. *conversatione.* p. 212. l. 8. *Antoninus.*
 p. 213. l. 4. *in colonias exeunt.* *Sequatur connubia & affini-*
tates. l. 2. a fin. *necessaria fit.* p. 224. l. 24. *rectè.* p. 225. l. 22.
sollicitetis. p. 227. l. 2. *equi.* p. 228. l. 23. *juri.* p. 230. l. 8.
absque legum naturalium violatione. p. 231. l. 1. *beatæque.*
 l. 9. *imprimis.* l. 11. *sunt ipsius verba.* l. 14. *natura.* l. 20.
enatis cornibus. l. 31. *ergastuli.* p. 233. l. 21. *igitur pecca-*
tum. p. 234. l. 5. *hec vita* p. 235. l. 3. *maximè autem*
maximi malorum. l. 25. *conscientie.* l. 30. *Rhadamantus.*
 p. 236. l. 1. *Pythag.* l. 9. *dele conjungera & lege vitupe-*
rabile. l. 22. *Philosophi.* p. 238. l. 2. *Philosophi.* p. 239.
 l. 9. *unicuique.* l. 23. l. cit. p. 293. l. 19. *verum* p. 365. l. 25.
dele ait. p. 383. l. 11. *occurrit.* l. 33, 34. *Ephestorum re-*
fertur. p. 384. l. 2. *fendorum.* p. 386. l. 10. I Cor. 5. p. 418.
 l. 5. a fin. *institutas.* p. 436. l. 3. a fin. *imperare.* p. 486. l.
 5. *volentis.* p. 568. l. 5. a fin. *divisibiles, dele in.* p. 575.
 l. 1. **αδδδδδδ** *Ecclesie.* p. 586. l. 28. *Deut.* 18.



